

3

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM
DECADES

EDIDERUNT

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI ET L. JUHÁSZ

— IN IV TOMIS —

TOMUS I.

DECAS I.

CUM INTRODUCTIONE
ET III REPRODUCTIONIBUS CODICUM PHOTOTYPICIS

MCMXXXVI. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÖGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

RM

SAECULA XII—XIII.

Anonymus, v. P. magister.
P. magister quondam Bele regis Hungarie notarius [vulgo Anonymus],
Gesta Hungarorum, ed. L. Juhász. 1932. — — — — — 5.40

SAECULUM XIII.

De orthographia (incerti auctoris), ed. L. K. Born. (Apparebit.)
Garlandia, Iohannes de, Integumenta fabularum Ovidii, ed. L. K. Born.
(Excuduntur.)

SAECULA XIII—XIV.

Dantes Alagherius, Epistolae, edd. Io. Nachod—P. Stern. (Apparebunt.)

SAECULA XIV—XV.

Ravenna, Iohannes Conversinus de, Epistolarum liber, ed. L. Smith.
(Excuditur.)
— Liber rerum memorandarum, ed. L. Smith. (Apparebit.)
Salutatus, Coluccius, De saeculo et religione, ed. B. L. Ullman. (Apparebit.)

SAECULUM XV.

Barbarus, Franciscus, Epistolae, ed. P. Gothein. (Apparebunt.)
— Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis, ed. P. Gothein.
(Apparebunt.)
Barius, Nicolaus—**Kostolan**, Georgius Polycarpus de—**Hungarus**, Simon—**Zagabriensis**, Georgius Augustinus, Reliquiae, ed. L. Juhász. 1932. — — — — — 1.50
Bonfinis, Antonius de, Rerum Ungaricarum Decades, edd. I. Fögel—
B. Iványi—L. Juhász (in IV tomis).
Tomus I. — Decas I. Cum Introductione et III reproductionibus
codicum phototypicis 1936. — — — — — 14.—
Tomus II. — Decas II. 1936. — — — — — 13.—
Tomus III. — Decas III. 1936. — — — — — 13.—
Tomus IV. — Decas IV. et dimidia decadis V. et Index nomi-
num. (Excuduntur.)
— Symposion de virginitate et pudicitia coniugali, ed. St. Apró. (Excuditur.)
Brandolinus, Aurelius Lippus, Dialogi, ed. P. Angyal. (Apparebunt.)
Callimachus Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani
Cimbriaci ad Attilam pertinentia, ed. T. Kardos. 1932. — — — — — 1.70
Corsinus, Amerigus, Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Laurentium Medicem, ed. L. Juhász. 1934. — — — — — 2.—
Cortesius, Alexander, De laudibus bellicis Matthiae Corvini Hungariae regis, ed. I. Fögel. 1934. — — — — — 2.—
Facius, Bartholomaeus, Invectivae in Laurentium Vallam, ed. R. Valentini. (Apparebunt.)

Vide paginas 3. et 4. involucris.

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM
DECADES

EDIDERUNT

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI ET L. JUHÁSZ

— IN IV TOMIS —

TOMUS I.

DECAS I.

CUM INTRODUCTIONE
ET III REPRODUCTIONIBUS CODICUM PHOTOTYPICIS

MCMXXXVI. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Jq kv
114 923 / I

SUMPTIBUS
SODALITATIS AMICORUM UNIVERSITATIS LITTERARUM
REGIAE HUNGARICAE FRANCISCO-IOSEPHINÆ SZEGEDINENSIS
EDITAE



Excudebat typographia de Árpád nominata, Szeged (Hungaria)

EXCELLENTISSIMO DOMINO

BÁLINT HÓMAN

EXIMIO RERUM HUNGARICARUM SCRIPTORI

D. D. D.

INTRODUCTIO.

I. — *De vita operibusque Antonii de Bonfinis.*

A) *Vita.* Antonius¹⁾ de Bonfinis²⁾ in pago Patregnono³⁾ prope Asculum⁴⁾ in agro Piceno⁵⁾ natus est; annus natalis 1427. (mēsis Decembris) fuisse creditur (vel fortasse 1434.).⁶⁾ Avus eius Achilles, pater Franciscus⁷⁾ erat; de matre nihil scimus. Fratres eius natu minores Emidius et Matthaeus⁸⁾ erant. Iuvenis Antonius Asculi magistrum Henochum Asculanum⁹⁾ habebat; studiis finitis filios familiarum divitum Patregnoni, Florentiae,¹⁰⁾ Patavii et Ferrariae¹¹⁾ educabat et docebat.¹²⁾ A. 1456. Spinam Roccensem¹³⁾ (filiam Marini Roccensis patrici et consiliarii Asculani) uxorem duxit, e qua filios Iulium, Mucium, Franciscum,¹⁴⁾ Achillem et filiam¹⁵⁾ Franciscam Ventidiam¹⁶⁾ sustulit. Interea civis Asculanus et magister factus est.

1) Sunt, qui eum Marcum Antonium nominant. Quia Bonfinius magister erat, ex abbreviatione magistri (M.) ei praenomen Marco additum esse videtur.

2) De Bonfinis s. (persaepe) Bonfinis s. (saepius) Bonfinius s. Bonfinus; Italice: (falso: Marco) Antonio Bonfini s. Bonfinio s. Bonfino.

3) Italice: Patrignone. Domus eius (monumentum archaeologicum declarata) ibi etiam nunc exstat.

4) In Italia media et orientali; Italice: Ascoli (sive Ascoli Piceno).

5) Picenum patrimonii S. Petri erat.

6) Itali eum plerumque a. 1427., et quidem mense Decembri natum dicunt; sunt, qui eum a. 1434. natum affirmant. Usque ad hoc tempus certus annus natalis statui nequivit. Quia frater eius Matthaeus a. 1441. natus est, eum quoque fortasse magis a. 1434. dicamus contra maioris momenti documenta, inter fratres enim discrimen septem annorum magis supponi potest, quam quattuordecim. Annus natalis 1441. a paucis memoratus accipi non potest, nam eodem anno frater Matthaeus natus est et uxor ab Antonio quindecim annorum vix duci potuit; qui hunc annum afferunt, annum natalem Antonii cum fratris anno natali permutasse creduntur.

7) Idem Petrus quoque memoratur; fortasse ei nomen duplum Petro-Francisco erat.

8) A. 1441. natus est. Commentarios in A. Gellii Noctes Atticas et ad Horatium scripsit, praeterea epistolas. (Commentarios ad Gellium et Horatium scriptos permulti falso Antonio tribuerunt.) A. 1515. mortuus est.

9) Italice: Enoc s. Enoch s. Enoche s. Henoc d'Ascoli, cuius Vespasianus Bisticcius quoque meminit.

10) Unde in patriam (vel Patregnonum vel Asculum) evocatus ibi decem annos docuisse dicitur.

11) Hic filium M. Antonii Sabellici (rerum Venetarum scriptoris) Marium quoque docuit, de cuius educatione pater ad Bonfinium duodecim epistolas scripsit (Opera Mar. Ant. Sabellici, Venetiis, 1500.).

12) Immo et Roma memoratur; sed in memoratis locis quo temporis ordine et quot annos docuerit, plane nescitur.

13) Italice: Spina della Rocca; pater Marino della Rocca.

14) Medicus clarus factus est. Patrem a. 1491. in Hungariam secutus est, ut inferius dicitur.

15) Vel fortasse plures quoque filias habuit.

16) Monacha annos 115 nata in coenobio S. Aegidii Asculi mortua est.

A. 1473. magister¹⁷⁾ scholae (academiae) Recanatensis¹⁸⁾ electus est, honorem autem tunc non accepit. Cum Beatrix de Aragonia,¹⁹⁾ uxor Mathiae Corvini de Hunyad regis Hungarorum²⁰⁾ Neapoli in Hungariam proficiscens Lauretum²¹⁾ mense Octobri a. 1476. visitaret, ei salutandae Bonfinius quoque affuisse dicitur. A. 1478. electionem Recanatensem accepit, ubi rector octo annos usque ad Septembrem anni 1486. linguas Latinam et Graecam, grammaticam, artes poeticam et oratoriam docebat. A. 1479. rectoratus in tres annos²²⁾ prorogatus et honorarium quoque auctum²³⁾ est. Recanati a. 1481. aream (fundum) cum campo emit. Calendis Septembris a. 1486. a civitate Recanatensi (famam eius quoque propagaturus) licentiam duorum mensium rogavit, ut quinque libros²⁴⁾ Mathiae regi Hungarorum dedicatos — fama eius succensus²⁵⁾ — traderet; a magistratu tres menses una cum viatico accepit. Die 25. mensis Septembris Recanati discessit, in Carnorum autem finibus febrim incidens tantum diebus paucis ante 20. Decembris Rhetiae (Retz; in Austria) Mathiam regem convenire²⁶⁾ potuit, qui eum apud se detinuit et in aulam suam suscepit. Calendis Ianuariis a. 1487. Viennae in aulam introductus regem in nomine aulicorum tam eleganti sermone salutavit, ut lector reginae eligeretur.²⁷⁾ Rex ei praeter alia²⁸⁾ mandatum rerum Hungaricarum²⁹⁾ stilo elegantiore

17) Alii rectorem electum esse dicunt.

18) Civitas Recanate (s. Recinate; Italice: Recanati) in vicinitate Anconae et Laureti (Italice: Loreto) est ab Asculo ad septentrionem.

19) 1457—1508.; filia Ferdinandi regis Neapolitani (1458—94).

20) 1458—90. (a. 1443. natus est); Bibliothecam Corvinianam famosam condidit; filius Iohannis Corvini de Hunyad (†1456.), qui Turcos multoties profligavit.

21) Italice: Loreto; prope Anconam et Recanate.

22) Quia rectoratus Bonfinii a. 1479. in tres annos prorogatus est, multi credebant rectoratum eius iterum in tres annos prorogatum esse, id est, Bonfinium iam ab anno 1476. rectorem fuisse et Beatrici a. 1476. Laureti salutandae iam rectorem Recanatensem affuisse. — Fieri potest, ut Bonfinius iam tunc, cum Beatrici salutandae adesset, de Mathia rege multa audiens decreverit se in aulam Budensem ire temptaturum.

23) Honorarium Bonfinii fortasse abire volenti, ut remaneret, in 120 ducatos aureos auctum est.

24) Et quidem Mathiae regi tres: traductos e Graeco Hermogenem (una cum Aphthonio) et Herodianum, praeterea Libellum de Corvinae domus origine; Beatrici reginae duos: Symposion et Historiam Asculanam; in supplicatione Bonfinii ad civitatem Recanatensem scripta inter quinque codices fortasse Epigrammaton libellus praefatione Iohanni Corvino regis filio dedicatus non numeratus est. (Conf. comm. 26.)

25) Ut ipse dicit: dec. IV., lib. 7., sent. 78.

26) Dec. IV., lib. 7., sent. 178. et sqq., ubi iam omnes sex codices in comm. 24. iam enumeratos Bonfinius memorat.

27) Ut lector Beatricis Neapoli Austria (Wienerneustadt in Austria) mense Augusto a 1487 a Mathia occupata pompae militari ibidem ostentae aderat (dec. IV., lib. 8., sent. 104.).

28) Ut Philostratum e Graeco (Bonfinius tres menses mandatum regis exsecutus est: dec. IV., lib. 7., sent. 183.) et Verulinum (Italice: Averulino) ex Italico in Latinum converteret.

29) Licet in Praefatione (dedicatione) quattuor decadam ad Wladislaum

conscribendarum³⁰⁾ dedit, quo ille historicus aulicus factus est; proventu regio Iadrensi (in Dalmatia) donato opus grande componere aggressus est. Quia Bonfinius penuria librorum necessariorum historiam hic conficere nequivit, post annum (11. mensis Ianuarii a. 1488.) Recanate ad familiam suam revertitur et, ut videtur, ibidem docere pergit, sed quattuor mensibus post a rege revocatus die 11. mensis Maii³¹⁾ iterum ad regem Viennam rediit. Mense Decembri eiusdem anni Laureti invenimus eum paulo post rursus ad Mathiam revertentem, nam circa Calendas Ianuarias a. 1489. iam Viennae apud regem moratur;³²⁾ mense Martio exeunte una cum Mathia Vienna in Danubio Budam denavigavit.³³⁾ Die 16. mensis Iulii iterum Laureti invenitur. Cum Bonfinius totiens it reditque (verisimile est eum a rege identidem revocatum esse), sedulo materiam grandi operi collegit; compertum habemus eum codices ab Ugoletto Thaddaeo Mathiae regi missos secum in Hungariam portavisse, quod alias quoque accidere potuisset. Cum Mathias rex die 6. mensis Aprilis Viennae repente mortuus est, Bonfinius Recanati morari videtur.³⁴⁾ Usque ad mortem Mathiae Bonfinius materiam operis sui — priorum quattuor decadum — non solum maximam partem collegit, sed etiam conscripsit, saepenumero enim de rege vivente loquitur. Vocatur Wladislai II. regis,³⁵⁾ qui Mathiae in regno successit, Bonfinius rectoratu se abdicans una cum filio Francisco circa annum 1491.³⁶⁾ ineunte, cum ab multis libris oneratus — ultimum in Hungariam venit et inceptum opus continuare a rege iussus historicus aulicus Wladislai quoque factus est. Mense Iulio a. 1492. de Casimiro Polonorum rege, patre Wladislai regis tunc mortuo in aula regia Budae orationem habuit et ferme eodem tempore vel paulo post priores quattuor decades³⁷⁾ Rerum Ungaricarum (una cum praefatione circa a. 1492.

regem data (sent. 21.) Bonfinius memoraverit Mathiam tantum Hunnorum historiam et Wladislaum res gestas Hungarorum usque ad sua tempora a se scribi voluisse, certo tamen credimus Mathiam totam Hungarorum historiam usque ad sua tempora componi iussisse, quia Bonfinius hac ratione ab initio materiam collegit nec alioquin unum annum (ab anno 1491. ineunte, cum ab Wladislao mandatum accepit, usque ad annum 1492. medium, cum priores quattuor decades regi obtulit) plus quam tres decades, quae extra Hunnorum historiam exstant, conscribere potuisset.

³⁰⁾ Historiam Hungarorum rudi stilo compositam tunc incunabulum quoddam a. 1473. ab Andrea Hess Budae impressum et vulgo Chronicon Budense vocitatum continuit

³¹⁾ Die 20. mensis Martii huius anni (1488.) Brunae Chronica Hungarorum a Iohanne Thwroc edita est, quam Mathias rex Bonfinio, ut ea uteretur, tunc certo tradidit. (Editionem Brunensem die 3. mensis Iunii eiusdem anni editio Augustana secuta est.)

³²⁾ Dec. IV., lib. 8., sent. 150.

³³⁾ Dec. IV., lib. 8., sent. 206—07.

³⁴⁾ Si affuisset, certo mentionem huius fecisset.

³⁵⁾ Rex Hungarorum 1490—1516.

³⁶⁾ Quo anno in loco eius iam M. Dominicum invenimus.

³⁷⁾ Decas IV. coronatione Wladislai regis (18. Septembris a. 1490.) finitur.

ineuntem ad regem scripta) Wladislao tradidit, quibus meritis rex eum die 10. mensis Octobris una cum Francisco ceterisque filiis nobilitate donavit et lauro poetica coronavit. Opus magnum paulo post in membranam certe Bonfinio praesente describi et mox illuminari ornarique coeptum esse videtur;³⁸⁾ interea Bonfinium et quattuor decades correxisse polivisseque et quintam decadem componere aggressum esse verisimile est. Res Hungaricas in quinque decadibus usque ad suum tempus componere voluit, e quinta autem decade priores tantum quinque libros conscribere potuit (res gestae a. 1496. exeunte finiuntur), quia circa a. medium 1496. apoplexia correptus est, ut ipse in quintae decadis praefatione ad Wladislaum scripta dicit.³⁹⁾ Quia multum aegrotavit et quintam decadem conficere iam desperavit, circa annum 1497. exeuntem in Italiam reverti voluit, sed a rege retentus est. Cum vere anni 1502.⁴⁰⁾ denuo in Italiam invito rege reversurus erat, incommodis molestisque profectionis, sicut fieri solet, commotus apoplexia iterum tactus Budae moritur et in civitate Buda Vetere⁴¹⁾ in templo S. Margarethae sepelitur. In sepulcro haec inscripta esse videntur:⁴²⁾

Hac sub tumba iacet Bonfinus gente Picens,
Doctus et ingenuus, auctor amoenus erat.
Hic eius ossa cubant, sed, quod hisce omnibus maius,
Iam suas historias Hungara tellus habet.⁴³⁾

Bonfinius in Hungaria dives factus esse et a coetu humanistarum se prohibere memoratur. — In arce Budensi (Budapest), ubi habitavit, in annum natalem semimillennarium (a. 1927.) statua marmorea eius erecta est.

³⁸⁾ In Registro proventuum Hungariae tempore Wladislai II. annorum 1494. et 1495. (edidit Iohannes Christianus Engel in opere Geschichte des ungrischen Reichs und seiner Nebenländer, tom. I. Halle, 1797., pagg. 71—181. pro descriptione operis Bonfinii annis 1494. et 1495. membrana empta (pagg. 91., 122. et 169.) et Bonfinio pecunia data (pagg. 91. et 172.) memorantur.

³⁹⁾ Haec Praefatio (dedicatio) usque ad hoc tempus ignota erat. (V. inferius codicem n.)

⁴⁰⁾ Eum alii vere anni 1503., alii anno 1505. mortuum esse dicunt. Quia autem Matthaeus frater Antonii in invectiva in Luceium Ripam anno 1502. medio scripta de Antonio fratre mortuo loquitur (Libellus Donati. Grammaticae institutiones. Ed. Matthaeus Bonfinis Asculanus; libellus Fani mense Iulio excusus est), Bonfinius certe vere anni 1502. e vita decessit, quod tempus etiam alii affirmant.

⁴¹⁾ Non longe a Buda ad septentrionem.

⁴²⁾ In pagina tituli cuiusdam exemplaris editionis operis Bonfinii a 1568. inveniebatur hoc epitaphium inscriptum (Kemény, o. c. pag. 250.) cum hoc titulo: Epitaphium Antonio Bonfinio positum. Quod epitaphium utrum de sepulcro scriptum est, an aliquis huic editioni composuerit, decerni iam nequit.

⁴³⁾ Epitaphium, quod ad prosodiam attinet, admodum mendosum est (tumba, ingenuus, quod, suas); ceterum more poetarum Latinorum antiquissimorum lege: ei(u), omnibu, su(a).

Wladislaus rex totum opus (quattuor et dimidiam decades) in quinque⁴⁴⁾ tomis (codicibus) alterum post alterum per Iohannem scriptorem⁴⁵⁾ describi et fortasse per eundem illuminari ornarique⁴⁶⁾ iussit. Omnes quinque codices⁴⁷⁾ circa annum 1498.⁴⁸⁾ medium finiti et in Bibliotheca Corviniana Budensi collocati inscriptique sunt. Totum igitur opus, ut habemus, ab ipso Bonfinio finitum et editum est.⁴⁹⁾ Ut autem opus eius excuderetur, ei vivo contingere non potuit.⁵⁰⁾

B) Opera. Historia Genuensis (periit). — De mirabilibus Italiae et Germaniae (periit). — Historia Asculana (periit).⁵¹⁾ — De Corvinae domus origine (periit).⁵²⁾ — Rerum Ungaricarum Decades (quattuor cum dimidia). — Symposion de virginitate et pudicitia coniugali.⁵³⁾ — Epigrammata (uno excepto⁵⁴⁾ latent et perierunt). — Orationes (una excepta⁵⁵⁾ latent et perierunt). — Epistolae (latent et perierunt). — Traductiones in Latinum (e Graeco: Hermogenis libri De arte rhetorica, Aphthonii sophistae Praeexercitamenta, Hero-

44) Et non in quattuor tomis, scilicet quarta decas et dimidia quintae in uno tomo, sicut adhuc credebant Ae. Jakubovich (Az eredeti Bonfini-kódex második töredéke [De fragmento secundo originalis codicis Bonfiniani], in ephemeride Magyar Könyvszemle, Budapest, 1925., pagg. 19–27.; v. propius pag. 24.) et post eum L. Tóth (Analecta, o. c.); ceterum profusius v. inferius codices m₁ et m₂.

45) Cum quinque codices circa annum 1498. descripsit, ab Wladislao nobilitate donatus est.

46) Sunt, qui Wladislaum codices per Iohannem Antonium Cataneum abbatem Madocensem describi iussisse dicunt; fieri potest, sed certo affirmari nequit. Sunt, qui Iohannem scriptorem et Iohannem Antonium Cataneum eandem personam esse credunt (L. Tóth).

47) Ex his quinque codicibus ad nostram aetatem sola quattuor folia remanserunt, et quidem e decadibus I. et IV. bina folia. Quae fragmenta nos littera m notavimus (v. inferius).

48) Bohuslaus Hassensteinus a. 1499. codices Buda Pragae mutuos rogat; acceperint eos, nescimus. (Listar Bohuslava Hasisteinského z Lobkovic [Epistolae Bohuslai Hassensteinii a Lobkovicz], ed. Iosephus Truhlár. Praha, 1893., ep. 69., pag. 109. — Novam editionem epistolarum Bohuslai Hassensteinii in hac Bibliotheca Au. Potucek nunc praeparat: epist. 54.

49) Post mortem Bonfinii paene semisaeculum decas IV. et dimidia decadis V. ignotae erant; posterius quoque imperfectae et ab ipso Bonfinio non recognitae habebantur; re vera stilus dimidiae decadis V. a quattuor decadum stilo aliquantulum differt, longioribus enim sententiis in dimidia decadis V. utitur.

50) Post mortem quattuor decennia, dum tres priores decades (editio b), et sexaginta sex anni, dum totum opus (s) excudebatur, praeteribant.

51) E qua Historia Asculana epitomen discipulus Bonfinii, Quintus Calvus de Quintodecimo composuit, cuius codex Asculi in Bibliotheca Ordinis S. Augustini asservatur.

52) Bonfinius posterius Decades Rerum Ungaricarum scribens operi, et quidem tertiae decadi inseruit. — Au. Potthast (Bibliotheca Historica Medii Aevi. Wegweiser durch die Geschichtswerke des europäischen Mittelalters bis 1500 Ed II, tom. I., Berlin, 1896., pag. 163., col. II.) libellum a. 1577. Basileae excusum memorat, editionem hanc autem invenire non potuimus.

53) Editionem novam in hac Bibliotheca nunc St. Apró praeparat.

54) Dec. IV., lib. 7., sent. 100.

55) Conf. Abel, o. c.

diani Historiarum libri VIII, Philostrati Heroica et Icones et Vitae sophistarum et Epistolae; ex Italico: Antonii Verulini [Italice: Averulino] De architectura libri XXV).

- C) *Bibliographia*. De Bonfinio v. profusius haec opera: [Moller, Daniel] Disputationem circulem de Ant. Bonfinio sub praesidio Dan. Guil. Molleri . . . sinceris Bonfinii aestimatoribus exhibet Ioh. Christophorus Stemler. Altdorf, 1698. (Cf. K. Szabó—Á. Hellebrant, Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Hungarica Vetus), tom. III. Budapest, 1898., no. 4075.) — *Czvitinger*, David. Specimen Hungariae Literatae, Francofurti et Lipsiae, 1711. (pp. 80—90.) — *Schwarz*, Godofredus, Decadum Antonii Bonfinii editio nupera Posonio-Viennensis iusto pretio aestimata, Osnabrugi, 1745. — *Mazzuchelli*, Giammaria, Scrittori d'Italia, cioè notizie storiche e critiche intorno alle vite e agli scritti di letterati italiani. Brescia, 1753—63. Tom. II., pars II., pp. 1621. sqq. — *Marcucci*, Fr. Antonio, Saggio delle cose Ascolane e dei vescovi di Ascoli nel Piceno. Teramo, 1766., pp. CIX. et CCCXXII. — *Haner*, Georgius Ieremias, De scriptoribus ordine chronologico digestis adversaria. Tom. I., Viennae, 1774., pp. 79—90. — *Windisch*, Karl Gottlieb, Beyträge zur Lebensgeschichte des Markus Antonius Bonfinis. In libro periodico Ungarisches Magazin, tom. I., 1781., pp. 206—16. — *Carboni*, Giacinto Cantalamessa, Memoria intorno i letterati et gli artisti della città di Ascoli nel Piceno. Ascoli, 1830., pp. 96. sqq. — *Tiraboschi*, Girolamo, Storia della letteratura italiana, tom. 16., Milano, 1834., pagg. 208. et sqq. — *Kemény*, József (Iosephus), Bonfinius élete és munkái (De vita operibusque Bonfinii). In ephemeride Uj Magyar Muzeum, tom. IV., Pest, 1854., pagg. 246—70., 315—23. — *Vogel*, Iosephus Antonius, De ecclesiis Recanatensi et Lauretana earumque episcopis commentarius historicus. Vol. I. Recineti, 1859. — *Helmér*, Ágost (Augustinus), Bonfiniusnak mint történetírónak jellemzése és műve külfőinek kimutatása s bírálati méltatása (De Bonfinio historico et de operis eius fontibus necnon de aestimatione eiusdem critica). Budapest, 1876. — *Zsilinszky*, Mihály (Michael), Bonfinius Antal történetíró jellemzése (De Antonii Bonfinii historici aestimatione). In ephemeride Századok, Budapest, 1877., tom. XI., pp. 510—27. — *Ábel*, Jenő (Eugenius), Bonfini életrajzáról (De Bonfinii biographia). In ephemeride Egyetemes Philologiai Közlöny, tom. IV., Budapest, 1880., pp. 28—91. — *Szinnyei*, József (Iosephus), Magyar írók élete és munkái (De vitis operibusque scriptorum Hungarorum), tom. I., Budapest, 1891., coll. 1209—12. — *Bejgel*, István (Stephanus), Bonfini élete történetéhez (Ad Bonfinii biographiam). In ephemeride Századok, tom. XXXVI., Budapest, 1902., pp. 88—91. — *Békesi*, Emil (Aemilius), Magyar írók Hunyadi Mátyás korából (De scriptoribus Hungaris tempore Mathiae Corvini regis de Hunyad). In ephemeride Katholikus Szemle, tom. XVI., Budapest, 1902., pp. 328—31. — *Császár*, Mihály (Michael), A magyar művelődés a XV. században Antonio Bonfini Rerum Hungaricarum Decades-ének alapján (Cultura Hungarica saeculo XV. secundum Decades Rerum Hungaricarum Antonii de Bonfinis). Budapest, 1902. — *Ábel*, Eugenius—*Hegedűs*, Stephanus, Analecta nova ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia, Budapest, 1903., pp. 47—76, 478. — *Fögel*, Iosephus, Quomodo rex Wladislaus II. cancellariaeque eius de rebus litterariis meriti sint in Hungaria. Commentarii nonnulli de historia litterarum renascentium in Hungaria. (MCCCCXC—MDXVI.) Budapestini, 1911., pp. 6—7. — *Idem*, *Fögel*, József (Iosephus), II. Ulászló udvartartása (De aula Uladislai II. regis). Budapest, 1913., pp. 77. et aliae. — *Idem*, Antonius de Bonfinis. Születésének 500. évfordulójára. (In annum natalem eius semimillennarium). In libro periodico Széphalom, tom. II. Szeged, 1928., pagg. 53—55. — *Idem*, v. inferiori Bibliotheca Corvina, 1927. — *Idem*, Antonio de Bonfinis „Rerum Hungaricarum Decades“ c. művének kézírata a krakói Czartoryski-könyvtárban (De codice manuscriptorum Decadum Rerum Hungaricarum Antonii de Bonfinis in Bibliotheca principum Czartoryski Cracoviensi). In opere: Magyarország és Lengyelország (Hungaria et Polonia); szerkesztette (redegit) Huszár. Károly (Carolus), Budapest—Warszawa, 1936., pp. 48—49. — *Foglia*, G., Un umanista italiano alla

corte d'Ungheria. In actis diurnalibus Corriere d'Italia, 16. aprile, 1927. — *Bibliotheca Corvina*. Mátyás király budai könyvtára. (Bibliotheca Mathiae Corvini regis Budensis) Irták † Frankói Vilmos, Fögel József, Gulyás Pál és Hoffmann Edith, szerkesztették Berzeviczy Albert, Kollányi Ferenc, Gerevich Tibor (Scripserunt † Guilelmus Fraknói, Iosephus Fögel, Paulus Gulyás et Editha Hoffmann, redigerunt Albertus Berzeviczy, Franciscus Kollányi, Tiberius Gerevich). Budapest, 1927., passim — *Idem Italice*: † Guglielmo Fraknói — Giuseppe Fögel — Paolo Gulyás — Edit Hoffmann, Bibliotheca Corvina. La Biblioteca di Mattia Corvino re d'Ungheria. Per cura di Alberto Berzeviczy — Francesco Kollányi — Tiberio Gerevich. Traduzione dall'ungherese di Luigi Zambra. Budapest, 1927., passim. — *Amadio*, Giulio, La patria di Antonio Bonfini. Montalto Marche, 1928. — *Idem*, Desiderio Bonfini nel quadro storico della sua nobile famiglia. Montalto Marche, 1928. — *Idem*, La vita e l'opera di Antonio Bonfini, primo storico della nazione ungherese in generale et di Mattia Corvino in particolare. Montalto Marche, 1930. — *Antonio Bonfini*, MCDXXVII—MCMXXVII. Ascoli Piceno (1928.). Continet 1. Notizie Biografiche. 2. Tóth, Ladislao, Bonfini in Ungheria. 3. Battistrada, Mario, Il rinascimento e il regno di Mattia Corvino nell'opera di Antonio Bonfini. — *Tóth*, Ladislao, v. superius Antonio Bonfini, MCDXXVII—MCMXXVII (1928.) — *Idem*, *Tóth*, László (Ladislau), *Analecta Bonfiniana*. In libro periodico Turul, tom. XLIII., Budapest, 1929., pp. 48—60.; idem separate impressum *Analecta Bonfiniana*, Budapest, 1929., (cum extracto Franco-Gallico); idem *Italice*: *Analecta Bonfiniana*, in libro periodico *Corvina*, tom. XVII/XVIII., Budapest, 1929., pp. 182—204.; idem separate impressum *Analecta Bonfiniana*, in serie Pubblicazioni dell'Istituto Storico Ungherese di Roma. Roma—Budapest, 1929. — *Battistrada*, Mario, v. superius Antonio Bonfini, MCDXXVII—MCMXXVII. (1928.) — *Hoffmann*, Edith, Régi magyar bibliofilek (Bibliophili Hungari veteres). Budapest, 1929., passim. — *Horváth*, János (Iohannes), Az irodalmi műveltség megoszlása. Magyar humanizmus (De cultura litteraria divisa Humanismus Hungaricus). Budapest, 1935., pp. 147—61. et passim — *Hóman*, Bálint (Valentinus)—*Szekfű*, Gyula (Iulius), Magyar történet, ed. II., tom. II. (Szekfű), Budapest, 1936., passim (v. Indicem in tomo V. [Budapest, 1936.] pag. 17).

D) De Bonfinio historico eiusque Decadibus Rerum Ungaricarum. Bonfinius primus erat, qui historiam Hungarorum stilo cultiore elegantioreque et idea sublimiore composuit, Chronicon enim Budense (1473.) et Chronica Hungarorum Iohannis Thwroc (1488.) aetati litterarum renascentium convenire iam non potuerunt. Hic Italus primus in Hungaria iam non chronicam, sed historiam — opus rhetoricum — scripsit et tamen inter historicorum Hungarorum primos merito et iure memoratur. Bonfinius sibi Livium proposuit, quem — ipse quoque permultas orationes operi inserens — et divisione (decades) et stilo et idea imitatus est, quare nomen Livii Hungarici⁵⁶⁾ optime meruit. Ita historiam composuit, sicut illa aetas renascens requisivit desideravitque: Romanum spiritum respirationem; itaque origines rerum, quantum fieri potuit, ad tempora Romana reducit, quam ob rem iure reprehenditur. Hoc modo Hungaros non solum sui temporis, sed posteriorum saeculorum quoque erigere, sublimare, amore patriae complere et consolari necnon investigationem historiae Hungaricae suscitare potuit: sic historicus magni affectus et momenti factus est.

⁵⁶⁾ Conf. inter Editiones particulares editionem a. 1732.: Livii Hungarici Antonii Bonfinii historicae orationes. Multae orationes Bonfinii operi in seriae separatim editae sunt.

Fontes et antiquos⁵⁷⁾ et coetaneos, quantum in potestate erat, toti operi diligentissime conquisivit et multoties sine iudicio et critica iis usus est. Ad res ante se gestas componendas praecipue Chronicam Iohannis Thwroc, quae Chronico Budensi nititur, fundamento posuit, qua de causa pars pretiosissima decadum profecto aetatis suae est, cuius testis fidus comprobatur. Licet historicus aulicus Mathiae et Wladislai regum factus esset, tamen sincerus et non plane adulator exstitit.

Bonfinius totum opus in quinque decadibus conscribere voluit; quominus opus suum finiret, apoplexia eum impedivit. E quinta decade tantum quinque priores libros componere potuit. Etiam stilus eius in grandi opere mutatur, in decadis quintae enim quinque libris multo longioribus sententiis, quam in prioribus decadibus, utitur. Tres priorès decades magnitudine paene aequales sunt; decas IV. multo minor est, quam una trium priorum; decas V. etiam decade IV. multo minor fuisset, si omnes decem libri compositi essent. Tres praefationes (dedicationes) toto opere inveniuntur: 1. ad decades I.—IV. scripta, cum Bonfinius circa annum 1492. medium quattuor decades Wladislao tradidit; 2. decadi II. quaedam praefatio parva ea occasione praefixa est, quod ab hac decade res gestae regum Hungarorum et quidem Christianorum compositae sunt; 3. ante decadis quintae quinque libros posita, cum eodem Wladislao regi tradidit.⁵⁸⁾

Singulis decadibus haec continentur:⁵⁹⁾ decas I.: patria antiqua Hungarorum, id est Scytharum; res gestae eorundem et Gothorum et Hunnorum; patria hodierna Hungarorum; decas II.: Hungari Christiani facti; res gestae Hungarorum a Sancto (sive I.) Stephano primo rege (1001.) usque ad mortem Ludovici Magni (sive I.) regis (1382.); decas III.: a morte Ludovici usque ad layzam a Mathia Corvino de Hunyad rege occupatam (1463.); decas IV. ab anno 1463. usque ad coronationem Wladislai II. regis (1490.); decadis V. libri 1—5.: a regnante Wladislao usque ad annum exeuntem 1496., dum Wladislaus regnat.

II. — *Historia codicum et editionum Decadum Rerum Ungaricarum.*

Bonfinius a Mathia rege a. 1487. ineunte mandatum rerum Hungaricarum usque ad suum tempus⁶⁰⁾ conscribendarum accepit, prius autem iussu regis circa mensem Aprilem Philostratum traducendum confecit. Deinde sine mora opus grande, historiam Hungarorum conscribere aggressus est. Fundamento primum quandam chronicam Hungarorum, vulgo Chronicon Budense (a. 1473. excu-

⁵⁷⁾ Praesertim in decade I.

⁵⁸⁾ Ex hac dedicatione (praefatione), quae usque ad hoc tempus ignota erat, solae duae sententiae, ad nostram aetatem remanserunt in codice n (v. inferius inter codices)

⁵⁹⁾ Argumenta singularum decadum profusissima v. Argumenta ante singulas decades posita.

⁶⁰⁾ V. comm. 29.

sum⁶¹⁾) nominatum posuit. Quia autem historiam gentis Hungaricae hoc incunabulo longe maiorem, immo quam profusissime componere voluit, opus suum a Scythia — patria antiqua Hungarorum — quam copiosissime conscribenda incipit. Cuius autem partis propter penuriam librorum in Hungaria conscribendae nullam facultatem habens in Italiam tribus itineribus reversus est a rege identidem revocatus, ubi interea et Recanati docebat et fontes diligentissime colligebat. Die 11. mensis Maii a 1488. ex Italia revertenti Chronica Hungarorum Iohannis Thwrocz mense Martio eiusdem anni excusa⁶²⁾ fortasse ab ipso rege tradita est, ut ea in rebus conscribendis uteretur. Mathia vivente copiosam materiam conquirebat, immo maiorem partem operis in forma finali conscripsit, interdum enim de vivo rege mentionem facit. Cum Mathias die 6. mensis Aprilis a. 1490. repente mortuus est, Bonfinius in Italia morabatur. Successor eius Wladislaus II. eum simili mandato⁶³⁾ in Hungariam revocavit. Bonfinius, ut videtur, a. 1491. ineunte ultimum in Hungariam pervenit aliquantam operis sui partem secum portans. Medio anno 1492. priores quattuor decades (I—IV.) finivit et regi dicavit⁶⁴⁾ et obtulit, in quibus res Hungarorum gestae usque ad coronationem Wladislai (18. Septembris, 1490.) continentur.

Manuscriptum Bonfinii (α)⁶⁵⁾ a rege Iohanni scriptori traditum est, quod, ut creditur, statim praesente Bonfinio describi in quattuor codicibus membranaceis⁶⁶⁾ coeptum est. Interea Bonfinius has quattuor decades finitas polire limareque et materiam quintae decadis conquirere aggredi videtur. Unaquaeque decas in singulis (quattuor) codicibus descripta et ornata alia post aliam statim in Bibliotheca Corviniana a Mathia rege condita circa annum 1496. exeuntem iam collocata est.⁶⁷⁾ Circa annum 1496. medium Bonfinius apoplexia tactus opus continuare non potuit. Quinque libros decadis quintae — res gestae a. 1496. exeunte finiuntur — ad finem perduxit et una cum praefatione (dedicatione) ad regem scripta eidem tradidit, in qua se propter aegrotationem opus inceptum continuare et finire non posse dixit. Postquam Wladislaus quoque Bonfinium quintam decadem inceptam non esse confecturum intellexit, quattuor prioribus decadibus finitis hanc dimidiam decadem⁶⁸⁾ quoque Iohanni scriptori describendam et ornandam tradidit.

⁶¹⁾ Andreas Hess excudebat Budae.

⁶²⁾ Die 20. mensis Martii a. 1488. Brunae impressa est, quam editionem die 3. Iunii eiusdem anni editio altera Augustae Vindelicorum excusa sequatur. Verisimile esse videtur Bonfinium a rege editionem Brunensem accepisse, novisse autem editionem Augustanam quoque.

⁶³⁾ V. comm. 29.

⁶⁴⁾ E diplomate nobilitatis Bonfinii scimus Bonfinium tot codices regi tradidisse, quibus res gestae usque ad tempus Wladislai regis tractantur.

⁶⁵⁾ Omnes quinque codices autographi Bonfiniani, qui certo correctio-num scriptoris pleni erant, descripti statim perditum ibant.

⁶⁶⁾ V. comm. 37.

⁶⁷⁾ E quinque codicibus sola quattuor folia ad nostram aetatem manserunt, et quidem e decadibus I. duo et IV. item duo (v. inferius codices m₁ et m₄).

Quia viri docti studio decadam legendarum Bonfinii ardebant, statim codices per suos librarios, et quidem primum in bibliotheca, deinde in cancellaria describendos curabant. Quia in bibliotheca et in cancellaria eodem tempore plures librarii codices Bonfinianos describere voluerunt, festinare coacti sunt, qua de causa permulta menda codicibus descriptis, etsi codices m_{1-5} quam pulcherrime scripti erant, irrepserunt. Postremo, quamquam lex a. 1490. lata codices mutuo dari vetuit, et codices Bonfiniani, ut videtur, quibusdam excellentibus viris mutuo dati sunt,⁶⁸⁾ et quidem non solum ad legendum, sed etiam describendum. Certum autem esse videtur alterum codicem in membranam non descriptum esse, nisi in chartam. Certo plures codices descripti sunt, et quidem ea de causa, quia spes operis excudendi deerat, nos autem de decadibus I—III. notitiam tantum binorum codicum (x_1 et e), de tota decade IV. unius (x_5), de libris I—VI. eiusdem decadis unius alterius (x_9), de quinque libris decadis V. duorum (x_8 et x_{10}) habemus, e quibus solus codex decades I—III. continens (e) ad nostram aetatem permansit, ceteri⁹⁾ perierunt.

Excudendo operi grandi et pecunia defuit; Bonfinius id nec sperare nec rogare potuit. Post mortem eius (1502.) quattuor decennia, dum priores tres decades, et sexaginta sex anni (1568.) praeteribant, dum totum opus in lucem prodierunt.

Quinque codices mutuo dati Bibliothecae Corvinianae, ut creditur, iam ante annum 1526. (clades Mohácsiana) defuerunt. A. 1676. decades I. et IV. Strigonii in Bibliotheca Archidioecesa servatas esse scimus, paulo autem post dispersae esse videntur, e quibus ipsis duobus codicibus nunc quattuor folia, duo Norimbergae et duo Szegedini inventa, nunc autem in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici Budapestinensis custodita (m_1 et m_4) habemus.

Res Hungaricae propter Turcas miserabiles impediabant, quominus opus grande Bonfinii quamprimum excuderetur. Et, quo longius differtur tempus excudendi, eo difficilior erat codicibus deperditis totum opus edere. Usque ad annum 1543. neminem decades excudere voluisse novimus, quo Martinus Brenner⁷⁰⁾ priores tres decades edidit (b).⁷¹⁾ Ille Viennae Francisco Abstemio⁷²⁾ convenit, qui ei mentionem cuiusdam codicis (x_1)⁷³⁾ decades Bonfinii

⁶⁸⁾ V. comm. 43. : Bohuslaus Hassensteinus eos a. 1499. mutuos rogat.

⁶⁹⁾ Hos codices v. paulo inferius.

⁷⁰⁾ Bistriciensem Transsylvanum (ex oppido Bistricia [in Transsylvania] ortus est) se in pagina tituli nominat; a. 1553. Cibinii (in Transsylvania) mortuus est.

⁷¹⁾ Haec est editio princeps trium priorum decadam Bonfinii. — Ipsam editionem v. profusius inter editiones.

⁷²⁾ Abstemius (Hungarice: Bornemisza) archidiaconus et canonicus Albae Regalis (hodie Székesfehérvár) Viennae apud Ferdinandum I. regem munere legationis functus est.

⁷³⁾ Iam periit. Hic codex magnam similitudinem codici e habere videtur, ut inferius patebit. Hic codex quoque e tribus codicibus, quorum unusquisque unam decadem continebat, in unum codicem compactus est; codicem e item plures (numero quinque) librarii descripserunt.

continentis et a Paulo Istvánffy⁷⁴⁾ Quinqueecclesiis possessi fecit. Interventu Absternii Paulus Istvánffy codicem x_1 tres priores decades continentem Viennam mittens Brennerum ad edendas hortatus est.⁷⁵⁾ Brenner hoc codice ut manuscripto typographico uti non potuit,⁷⁶⁾ quem vel ipse descripsit vel describendum (x_2) curavit⁷⁷⁾ et, ut videtur, post descriptum statim Quinqueecclesias remisit. Ipse scribit codicem imperitia librariorum, qui ex Budensi exemplari $\alpha\upsilon\tau\omicron\gamma\rho\acute{\alpha}\phi\omega$ illam descripsissent, multis in locis depravatum esse;⁷⁸⁾ in codice perisque in locis textum Bonfinii concisum abruptumque esse, quod ipse non plane Bonfinio,⁷⁹⁾ sed magis librariis indoctis, qui codicem descripsissent, attribueret, se enim multorum manus in codice agnovisse, unde codicem furtivis⁸⁰⁾ et succisivis operis librariorum iussu alicuius episcopi clam⁸¹⁾ descriptum fuisse credit. Brenner, sicut ipse scribit, parum operae locis depravatis castigandis restituendisque et in melius corrigendis insumpsit, quia per bibliopolas ad proximum mercatum Francfordiensem profecturos manuscriptum typographicum (x_2) misit, ne editio longius differretur et aliquo casu intercidente in irritum caderet.⁸²⁾ Quam editionem (b) Francisco a Rewa⁸²⁾ palatino regni Hungariae dedicavit.⁸³⁾ — Haec editio satis mendosa, sed tamen non adeo, sicut vulgo dicitur; si qua menda ei insunt, non plane Brennero, sed magis librariis indoctis codicem x_1 (et fortasse x_2 quoque)⁸⁴⁾ describentibus et ypographis attribuenda sunt, nunc enim, quid librarii, Brenner et ypographi peccaverint vel correxerint vel mutaverint, deperdito

74) De Paulo Istvánffy v.: Holub, József (Iosephus, Istvánffy Pál. In libro: Békefi-Emlékkönyv. Budapest, 1912., pagg. 222—37.; de codice Bonfinii v. pagg. 236. — Carmina tria Pauli Istvánffy v. in quodam volumine huius Bibliothecae: Nicolaus Istvánffy, Carmina (edd. I. Holub—L. Juhász), Appendix 1—3. (pag. 48.).

75) Haec omnia ipse Brenner enarrat in dedicatione ad Franciscum a Rewa scripta: Appendix. (in tomo quarto editionis nostrae Bonfinii) I. a), 6—7., 9—11. et 24—25.

76) Quia Pauli Istvánffy erat.

77) Si Brenner codicem describendum curavit, descriptionem ipse certe codici contulit. Qui codex x_2 apud typographum remansit et deinde periit.

78) Brenner recte suspicatus est codicem x_1 depravatum esse, quod enim et nos collatione editionis b et fragmentorum codicum m_1 et m_2 et codicis e constituere potuimus. Ex hac collatione statui potuit codicem e non adeo mendosum esse, quam editionem b, qua de causa nos codicem e in edendis tribus prioribus decadibus editioni b praeposuimus pretiosioremq̄ aestimavimus.

79) Brenner Bonfinium decadem IV. et dimidiam V. quoque conscripsisse ignoravit, immo e permultis mendis coniecturam fecit Bonfinium ne has quidem tres decades morte praeventum vel re quapiam gravi impeditum plane finire potuisset: Appendix. I. a), 23.

80) His verbis Brenneri parum fidei damus; e multis codicis mendis nos de imperitia linguae Latinae librariorum et festinato labore facimus coniecturam, quod et de codice e statui potuit, qui iam ad nostram aetatem remansit.


81) Appendix. I. a), 11.

82) Comiti Turocensi, consiliario Ferdinandi I. regis.

83) Dedicatio: Appendix. I. a). (Data est Cal. Sept. a. 1543.)


84) Etsi codicem x_2 Brenner codici x_1 certe conferre creditur.

4.
 ponit. Ut suos prius oppidani q̄ hostes ledere
 viderentur. Cuius pars magna Sues ad hostes
 equis tractare. Mura longe cecidit. Remis-
 siss. contra pleriq̄ & hostem potius adire
 vere q̄. Cuius se sanguine fœdere. Itaque in fac-
 titate delitit. Tota die pari utrimo spe pu-
 gnatum. inclinante sole Gallis fortuna fuit.
 Que Carolam rumpit fere deseruit. Nam dum
 Vngarorum obiectu protecti tutius Subni-
 tuntur. ad motis scalis menia pleriq̄ cōsen-
 dunt. Quod Vbi ab imperatore visum. per
 Agmina cuncta discurrens Captam urbem
 exclamat. Simula dextra Suis ostendit. Quar-
 tantus vndiq̄ impetus elato clamore factus.
 Ut telectis. extemplo Civibus. urbe inuaderet.
 Quam vbi captam. videret Vngari. qui su-
 periore die se dediderant. Augustam per Vicos
 ac fora. Misericordiam exclamant. Caroli pie-
 tatem ingeminant. Suis sanguine parcendum
 esse Vociferantur. Simpliciter inter infestas acies
 se se ingerunt. Profusus et lachrymas utrimo.
 Ut arma deponantur exorant. Deinde mura
 inuicti ceptum. et intercessitum. Voces mis-
 erant. Cuius pars verba. Verum cesare occu-
 pisset. et se ementis ad imploranda venia
 et mitem condicione se hortantur. Oppid-
 ani desperata publica. Ignatione. Arma
 deponunt. et vitam suam. Vocibus et libere
 plente. Vnde. Vnde. Vnde. Vnde. Vnde. Vnde.
 Vnde. Vnde. Vnde. Vnde. Vnde. Vnde. Vnde.



Sibi cum eis intercessisse: Quando Bauari ab Aua-
tibus Vnorum Cognatis Vnde Vngari orti
sunt progenitores suos habuisse ingenue pro-
fitentur. Cum hec legati rite narraissent, Vni-
uersae gentis conuentus habetur Vbi Principes
fere omnes hec una censebant: Finitimorum so-
cietatem et Amicitiam non solum non esse con-
temnendam: Sed cum in alieno solo peregrini
sint Vltro appetendam: & precipue Bauaroru:
quibus cum semper Amice quieteq; vixerunt:
Quin & aliorum quoq; Venandas esse Societates
vt alienas quas Sedes Armis occuparint: Officio
potius q; iniuriis et bello retineant: Factum est
igitur decretum Vt cum Bauatis fidelissimum
perpetuumq; fedus inueatur: Quod in sequenti
die rite est cum Bauaris iuratum Dimissi ho-
norifice oratores lectum fedus referunt: Quod
vtriusq; haud quaquam feliciter euenit: Bauari post
hec non modo Caroli Imperata detrectant: Sed
bello Regem provocate nituntur: Intellecta
Horum temeritate Carolus amplissimis delectu
habet: Auxilia vndiq; corrogat: Ipse rei indignitate
commotus cura maxima parte equitatus ac duabus
Legionibus ad Iechum Annem propebat: Qui
ab Alemanis Bauaros dirimit In Ripa fluminis
Castra locat: Et dum Cetera hic prestolatur Auxi-
lia Tassillonis Ducis animum per legatos Statuit
experiri Qui ubi Ducem inconsultum adire Am-
icisq; verbis defectionem eius et inconstantiam
corripuere: In respicientiam reuocauere homine

a
Caroli III
Regna contra
Sipilo in
Ungaros.



At ille facti penitentia ductus: Cum neq; sibi neq;
 genti sue bene consuluisse reputaret: Si qua i Carolo
 lam pertinacia uteretur: Mutato repente consi-
 lio Supplex se se Imperatori dedit: Se obsides
 quoscunq; iuberentur ultro daturum. Et impe-
 rata facturum pollicetur. Theodon iter Cesaris
 obsides Filius datus est: Quin et iure iurando per-
 petui obsequii confirmata fides: Quare Bello
 quod maximum hercle futurum videbatur
 hic datus est exitus. Tassillo ad Carolum evoca-
 tus. Cum nulla missione donaretur. Bavaria
 amplius uti non potuit: Cui suos deinde Comes
 Imperator ipse prefecit. Ab huiusmodi motu id
 gestum esse referunt. Carolum enim Intercede-
 nte Adriano Pontifice cum Tassillo a principibus
 iuncti fuisse. Eiusq; servandae gratia obsides im-
 missas: sed ab eo acceptitum. Nam succedere non
 promissas. Et compacto obsides hinc venisse.
 Quae ad hunc maxime cum Carolo. Tassillo
 Constantia permatiam Nind. necum Nreber.
 Quis in partes suis exercitum. Pium esse. Quae
 pactum. Tassillo in locum cui Lodine. In hunc
 locum. Tassillo. Alreanum pactum. Tassillo
 Tassillo. Saxonibus. Tassillo. Tassillo
 Tassillo adiacentem. Tassillo. Tassillo
 cum Tassillo. Tassillo. Tassillo
 Tassillo. Tassillo. Tassillo
 Tassillo. Tassillo. Tassillo
 Tassillo. Tassillo. Tassillo
 Tassillo. Tassillo. Tassillo
 Tassillo. Tassillo. Tassillo
 Tassillo. Tassillo. Tassillo



optimū Regē appetitus. Cōpositis rebus cū iā soluendus
 esset ne idonatu quō Boemū Regē quē Frēm adopta-
 uerāt dimittendū esse cēsiuit. Impiis quē vincti
 hostiū apparatus ubi Eū excepit. Aureis Cubicula au-
 reis Stragulis & aureis lectos Stragulis Pre-
 tissimū q̄ Abacū explicuerat illi dono dedit. Hōiē pri-
 ratas Redditis duob' ut aiūt. Cū itaq̄ multitudine
 auxit. Beatrix Tebea auro cōtextū Regales Vestes lec-
 tos lautissimos ac cetera tale genus q̄ cōsē Principem
 addeceret adiecit. Ne idonatos quidē Ambo Turci Cō-
 tos ac Proceres dimittere. Nemo dimissus impia. Viri
 illud potissime cōmémorat & admirantur. Cetera
 cū Boemū hospitia a Regali Cataphylaxio appa-
 ratū accepisse. Denas in scena mētas fuisse stragulis
 multū auri argentiq̄ ad p̄parandū & ad seruandū
 postulat. Nihil tñ e Regali Abaco quē in foro con-
 traxerat. Conuuiū usū accepisse. Quare Quasi celsus
 Coruina Suppellex fuerit. Ne facile quō cōfici poterat.


Sed Quis Accidit unā aliq̄ solū felicitatis hīc
 arbitret. Dū Conuentū frequentissimū ad Olmucium
 hī Turci p̄cedit. p̄ce cū hīc mētas. Ingente exp-
 editissimū q̄ exuuiū. Vnī hīc p̄parare iubet. ut
 cū a Rege dicit. q̄ q̄ Angustissimū est habita de-
 tā fuerit. hīc cū hīc p̄parare. hīc cū hīc p̄parare
 q̄ hīc ferat. hīc cū hīc p̄parare. hīc cū hīc p̄parare
 q̄. Nā tā p̄parare hīc p̄parare. ut ad

1166 5 1198

cōsuetudin's Boemi sane p̄cellūt: Corpore Comasq̄
 plus iusto colūt: In habitu uestitiū nitidissimi: & p̄
 molles: ad bellā & voluptates tantū n̄q̄. Populares
 ois sūt: & affabiles: ac Cōciliādas q̄ amicitias nimis
 idonea. Cōtes Seueriores Vngari ac magis Agrestes:
 Bello duri sūt: Austere cōsuetudin's: & q̄ maxime
 p̄grins: Externos patū amittē. Plerūq̄ abominant̄: Fla
 tū h̄is aliq̄ ingeniū ac imodicus Equorū: Ventiū q̄ Lu
 xū: Armon: Irabitus ac mēse potissimū est studiū.
 Cōfama minima cura sollicitudoq̄. Pericula cōtem
 nat̄: Belle ferūt: oisū rōm̄ dicit̄. Noncōt̄ laude n̄q̄
 neperit̄: quā armis p̄mittē. Matthias ob
 rogente apparatū cūstānas accessit: Crebris a Boemo
 lit̄is uentū. Regina cū r̄rāto Aragono fr̄e eius
 itē Petrus & Proceresq̄ ois secū duxit. Cū Osmuciū
 uenisset: p̄paratū: qui aliq̄ diu: et plus equo ī finibus
 expec̄tā. Ad Q̄ntū uix lapidē Castra posuit:
 Postero die Tabernaculū in medio it̄cuali Spacio
 tēdit̄: ubi Reges uia cōm̄ p̄sēt. Ex cōposito de
 lict̄e intruētis utroq̄ sc̄ibit̄ p̄tētū. Cū ad Tabernac
 ulū Ambo ad Serietē lapidis uē. Atq̄ cōm̄ cōfess
 uti cōt̄. Sed t̄m̄ cruna amittit̄. R̄p̄t̄ uenit̄
 conuē: & uno cōgressu de m̄o p̄tētū. Cū cōm̄
 & dicit̄ p̄p̄is ostēta. Mox cōm̄ p̄tētū. Cū cōm̄
 ulū q̄ sine arbitrio subeāt: Intra cōm̄ p̄tētū
 horas de cōm̄ concordia: de r̄d̄n̄cōm̄ p̄tētū.

Nov. 1983. in Bibliotheca
 J. J. H. van der Meer
 quardianus. W

Hungarici, Budapest. (Fragm. m4 nominatum; v. pag. XXIX.)



Cod. Lat. Med. Aevi 434. Bibliotheca Musei Nationalis Hi

esse videtur, nam Bonfinius circa annum 1496. medium apoplexia tactus, cum quattuor decades descriptae et ornatae in Bibliotheca Corviniana iam, ut credimus, inscriptae essent, libris quinque decadis quintae describendis adesse iam non potuit. Wrancius quartam decadem, quae bella Mathiae regis gloriosa contra Austriacos continebat, fortasse in Austria periisse suspicatus est; Gaspari Pesthino se hos quinque libros decadis V. citissime editurum pollicetur, promissum autem numquam absolvit.

Wrancius deinde Viennae moratus mense Martio ineunte a. 1550. Franciscum Revay,⁹⁵⁾ cui Brenner a. 1543. tres priores decades dedicaverat,⁹⁶⁾ quartam et quintam⁹⁷⁾ decadem Rerum Ungaricarum possidere audivit. Scribit igitur epistolam⁹⁸⁾ ad Franciscum Revay, ut eas⁹⁹⁾ perlectum ad se mittat, praesertim autem decadem IV., quia e decadis V. dedicatione Cracoviae in bibliotheca Andreae Tricesii lecta Bonfinium solos quinque libros decadis V. conscribere potuisse certo putaret; ceterum quinque libros

mihî singulari familiaritate coniunctum incidi postridie, quam ad te proxime scripseram, in quinque libros eiusdem Bonfini nostri quintae decadis primos, quibus vir ille optime de Hungarico nomine meritis Vladislavi regis historiam describit Matthiae consummata ibique quintus hic liber desinit, ubi de divortio Beatrix peregerat. Deus bone, quam dulce, quam gratum, quam exosculandum tibi tuique similibus debet hoc novum existere praeponique omnibus sane novitatibus, quae mortalium mentes de principum delramentis exagitare consueverunt. Sed quanta item iactura affecti sumus, quod reliquum Vladislavi non repererim. Puto tamen non perscripsisse authorem vel potius ne recognovisse quidem a tertia decade quicquam propter obitum repentinum. Sic enim in liminari epistola scribit: *Mirifice igitur cruciatur Antonius, quod est apoplexia correptus et quod omnes sui sensus et ingenii vires elanguent servititque tempora pereunt et hoc virtutum tuarum spectaculo frui non potest.* Initium autem epistolae tale est: *Pervenimus tandem, princeps serenissime, ad faustissima tempora tua tanquam ad novissimum finem calcemque laborum, ubi opus nunc esset illa ducere nec in labore succumbere nec ingenii deficere viribus.* Vides, mi Gaspar, quam ingens est iste thesaurus, quam mihi etiam post vos omnes charus sit. Nollem excedere credulitatis tuae mensuram temerarie, illud tamen scito inventum hoc non esse id, quod in faba pueri veniunt, mihi hique ita gratum acceptumque esse tibi persuadeas, ut anteponam Midiae divitiis. Si deus nobis otium fecerit, quam citissime potero, reliquum quoque hoc Bonfini nominis luci polliceor, cui et Broderici olim virtuosorum parentis adiciam Mohacium daboque omnem operam, ut, postquam fato quodam Antonii dati sunt, qui Hungarorum gesta literarum monumentis commendent, quantalacunque valeam eruditione, curem vel voluntati meae maximae sane hac in re satisfaciendum. — De hac epistola Wrancius breviter mentionem facit in alia epistola ad eundem Gasparem Pesthinum scripta: epistola IX. tomi VII. (1865.; pag. 11.) in editione superius in hoc commentario memorata.

⁹⁵⁾ S. Franciscus a Rewa (v. superius comm. 82.); a. 1553. mortuus est.

⁹⁶⁾ V. dedicationem, Append. I. a)

⁹⁷⁾ Fama, ut videtur, de tota quinta decade (de decem libris) vagabatur.

⁹⁸⁾ Epistola XXVI. tomi VII. (1865.; pagg. 45—46.) editionis superius in comm. 94. memoratae.

⁹⁹⁾ Wrancius non solum quartam, sed quintam quoque decadem a Francisco Reway rogat. Fieri potest, ut Wrancius fortasse crediderit codicem Francisci Revay decadem V. continentem non solum quinque libros, sed decem (v. comm. 97.) continere, et ideo rogavit a Francisco Revay decadem V. quoque; vel ideo, quod tunc (inventâ quarta quoque decade) decades IV. et V. re vera editurus erat.

decadis V. e codice Tricesii (x_{11}) legit. Fama, quae ad Wrancium pervenit, partim falsa fuit, nam, sicut inferius scribetur, Franciscus Revay solam quartam decadem (x_5)¹⁰⁰ habuit. Acceperitne Wrancius decadem IV., ignoramus.

Wrancius nullam decadem prelo mandavit, credere autem debemus eum fortasse eos ipsos ad edendas decades hortatum esse, qui¹⁰¹) decem annis post, ut inferius scribemus, decades Bonfinii edere voluerunt. Immo, ut credimus, ipse Franciscus Revay et filius eius Iohannes quoque, ut inferius videbimus, id agebant, ut decas IV. quamprimum a quodam viro docto in lucem ederetur, quia et eum viri docti de edenda decade IV. instantissime sollicitabant.

Unum decennium praeteribat, ex quo Wrancius a. 1549. Cracoviae in bibliotheca Andreae Tricesii quinque libros decadis V. et apud Franciscum Revay a. 1550. decadem IV. invenit, cum iterum de edendis Bonfinii decadibus mentio fit. Cum Wrancius consilio decadam edendarum destitisset, fortasse ipse Franciscum Revay et post mortem eius (a. 1553) filium eius Iohannem hortatus est, ut quam primum edendam IV. decadem curaret.

Circa a. 1560. exeuntem Christophorus Trecius Iohannem Oporinum¹⁰²) typographum Basileensem rogavit, ut quattuor decades priores excuderet, et quidem tres priores decades ex editione Brenneriana (b, 1543.), quartam autem e codice Iohannis Revay (x_5). Trecius fortasse ne manuscriptum typographicum quidem decadam I—III. Oporino misit, sed immutatum textum iterum edere voluit; quod autem ad quartam decadem attinet, manuscriptum typographicum (x_6)

¹⁰⁰) V. hunc codicem paulo inferius pluries. — Certum esse videtur Franciscum Revay hunc codicem post a. 1543., cum Brenner editionem Bonfinianam ei dedicaverat, sibi comparavisse, et quidem hac editione instigatum. Credi enim nequit hunc codicem iam a. 1543. Franciscum Revay habuisse, quia certo de editione Bonfiniana Brenneri notitiam habuisset et tunc eum ad edendam hanc quartam decadem tradidisset. Nunc iam nescimus, cur Brenner a. 1553. mortuus hanc quartam decadem separatim non ediderit.

¹⁰¹) Christophorus Trecius, Sigismundus Torda et Ioannes Sambucus.

¹⁰²) Pars epistolae Oporini ad Sigismundum Geloum Tordam scriptae ad hoc spectans haec est (Georgius Pray, Index rariorum librorum bibliothecae universitatis regiae Budensis, pars I., pp. 176—77.): . . . Ceterum, quantum ad Bonfinium attinet et quartam eius decadem, scias me ante paucos menses iterum libros aliquot, nescio, quartaene aut alterius decadis accepisse a Christophoro Treccio Ungaro sive Polono, qui item urgebat editionem totius Bonfinii historiae, etiam eius, quae antea per Brennerum est edita. Nactus autem fueram prius Sambuci rerum Ungaricarum epitomen* Viennae cum privilegio editam, quam item cupivissem Bonfinii historiae addere, nisi privilegium ad annos, nescio, quot, obstaret. Iam vero ex Alexandro intellexi tuam illam non Sambuci esse. Itaque oro, si et tibi, ut mihi, placet, illam etiam recognitam ad me perferri ad proximum mercatum vernum cures Francofordiam, nam hac hyeme plus satis occupatus sum in aliis iam pridem coeptis tandem absolvendis. Nihil vero mihi gratius fuerit, quam hac in re tibi et rei publicae simulque serenissimo regi Maximiliano ac invictissimo Caesari Ferdinando gratificari. . . . Francofordiae XV. Septembris 1561. Ioannes Oporinus typographus Basileensis.

* Re vera Petri Ransani Epitomen Rerum Hungaricarum.

de codice Iohannis Revay vel ipse descripsit vel describendum curavit; si manuscriptum describendum curavit, certe codici x_5 , unde descriptum est, contulit. Oporinus autem, ut videbimus, quattuor decades Trecio edere recusavit; veram causam prorsus ignoramus. Fieri potest, ut Oporinus Trecium non satis aptum edendo tam grandi operi iudicaverit aut tres priores decades non immutatas ex editione Brenneriana, cuius menda vulgo cognita fuerunt, sed admodum correctas iterum edendas recte arbitratus sit aut fortasse Trecius sumptus editionis saltem partim facere non potuerit aut decadem quartam editam, quae Mathiae regis bella felicia contra Austriacos continebat, Ferdinando I. regi non placituras esse putaverit.¹⁰³⁾

Cum fama huius novae editionis Bonfinii ad aures Francisci Forgach¹⁰⁴⁾ pervenisset, et ipse rerum Hungaricarum studiosus codicem quinque libros decadis V. continentem (x_8) Trecio circa a. 1561. ineuntem ad edendum tradidit. Qui codex certe praefationem (dedicationem)¹⁰⁵⁾ quoque decadis V. continebat. Trecius manuscriptum typographicum de codice x_8 vel ipse descripsit vel describendum curavit; si manuscriptum describendum curavit, certe codici x_8 , de quo descriptum erat, contulit. Trecius manuscriptum decadis V. et dedicationis eiusdem decadis circa mensem Aprilem finitum mox Oporino misit et iterum urgebat eum ad opus Bonfinii nunc iam totum edendum. Oporinus iterum recusavit, immo ne manuscriptum quidem a Trecio nunc postremo acceptum in-
spexit.

Postquam Iohannes Revay Trecium apud Oporinum opus Bonfinii edere non posse cognovit, ne a viris doctis negligentiae accusaretur, circa a. 1561. medium codicem x_5 decadem IV. continentem Sigismundo Geloo Tordae,¹⁰⁶⁾ ut editionem decadis IV. iam diu desideratam praepararet, tradidit. Verisimile est Iohannem Revay Sigismundo Tordae memoravisse se hunc codicem iam Trecio ad edendum tradidisse, eius autem conatus in irritum cecidisse. Torda mandatum Iohannis Revay accepit et solam quartam decadem ad edendum praeparabat. Ad editionem decadis IV. eum Thomas Nadasdi¹⁰⁷⁾ palatinus, immo a. 1561. Viennae moratum

¹⁰³⁾ Oporinus paulo post, ut videbimus, decadem IV. Sigismundo Tordae iam editurus erat, cum eum ad edendum a Ferdinando rege instigatum cognovisset.

¹⁰⁴⁾ Posterius et ipse scriptor rerum Hungaricarum; a. 1555—77. episcopus Varadiensis.

¹⁰⁵⁾ Editioni principi (s) decadis V. deest dedicatio eiusdem decadis. Nos credimus hanc dedicationem codici Francisci Forgach (x_8), sicut codici Tricesii, et in descriptione Trecii (x_8) inuisse, Sambucus autem, ne forte quis ex hac dedicatione de quinque libris decadis V. a Bonfinio non plane perfectis coniecturam faceret, e sua editione reliquisset (s, 1568.).

¹⁰⁶⁾ Poseniensis; praefectus Camerae Regiae; Latinis et Graecis litteris imbutus.

¹⁰⁷⁾ Ex epistola Tordae ad Thomam Nadasdi scripta pars huc attinens (Pray, o. c. [comm. 102.] pp. 174—76.) haec est: Tenet memoria, D. V. illustrissima, me anno superiore egisse Viennae diligenter de editione quartae

ipse Ferdinandus rex quoque hortabantur. Viennae de edenda quarta decade cum typographis, imprimis, ut credimus, Michaele Zimmermann¹⁰⁸⁾ egit, postquam autem typographis Viennensibus convenire non potuit, ille quoque, sicut paulo ante Trecius, circa a. 1561. medium fortasse Ioannis Revay suasu Oporinum ad edendam quartam decadem rogavit. Oporinus tarde (die 15. Sep-

decadis Maici Antonii Bonfinis, quae res gestas Mathiae regis complectitur, ac serenissimum regem Maximilianum iniunxisse mihi, ut remoto omni scrupulo eam edendam curarem. Ab eo tempore, diversa me mandata sac. Caes. maiest impeditum distinuerunt nec idoneorum typographorum erat copia. Scripseram Ioanni Oporino Basileam; is tarde respondit et eius litterae tardius mihi sunt redditae, quibus acceptis succisivis horis in curam editionis incubui nec ea iam differri in longum potest. Rex exspectat et multi in aula non postremae auctoritatis mire eam sollicitant. Ac proxime Lincii in se recipit rex onus impetrandi privilegium typographo Oporino et vectigalium ab excelsa imp. maestate. Ideo post, quam redii, epistolam dedicatorem scripsi ad serenissimum regem Maximilianum. Illam limatissimo D. V. illustrissimae iudicio subiiciendam duxi ideoque per hunc tabellarium eidem misi legendam et corrigendam. Nam ei, qui aliquid eiusmodi in lucem emittit, non tantum praesentium hominum, sed etiam posteritatis censura est reformidanda, quam ego certe pertimesco, ut qui vires meas probe cognitae habeam. Neque mihi aliquem alium Aristarchum quaerendum putavi, quum sciam apud nos vivere neminem, qui vel iudicio vel rerum usu illustrissimae D. V. possit comparari. Oro itaque, ne gravetur aliquid temporis publicorum negotiorum tractationibus subducere huicque lectioni et emendationi tribuere. Reliqui autem margines ad id amplos, ut censuram suam possit illustrissima D. V. annotare. Hoc ut facere velit, etiam atque etiam perquam diligenter peto. . . Illud ad iudicio, ut censuram absque indulgentia exercere velit, quantum honori meo consultum cupit, cupit autem profecto de sua clementia, non ex meo merito Dicam autem, quas ad res iudicium illustrissimae D. V. requiram. . . Primum est, quod ad totum scripti corpus attinet, an id sit futurum aptum, an ineptum, an retinendum videatur, an aliud conficiendum? Alterum, num, quae in eo sint, quae offensionem sint allatura? de quibus autem id metuam, D. V. intelligit. Erit autem optimum, ut ea signentur, si quae sunt eiusmodi. Tertium potissimum reformido, ne laudes regis Mathiae eiusmodi offensionem pariturae sint. Ideo eas laudibus serenissimi mei regis Maximiliani temperandas duxi, quod feci in dedicatione. Particularia illa sunt: Ad descriptionem personae regis Mathiae indigeo iudicio D. V., an ita se res habuerit, quaeque in eo recte sint posita, quae minus veritati congruant; item vellem scire effigiem et confirmationem, lineamenta formamque oris, vultus, totius habitus; illud etiam desidero cognoscere, si eam habet illustriss. D. V. notitiam, quinam docti homines ex Italia praecipue apud regem Mathiam fuerint. Quod attinet ad laudes regis Maximiliani, num quae habet D. V. specialia, quae arbitrentur, eis apte inseri posse, seu unde, a quibus rebus et causis putet illum praecipue laudandum? Ne singula prolixae pertexam, signavi in margine, quid quove in loco requiram. Supra alia sua merita et clementiae argumenta hoc summum in me beneficium collocaverit. . . Praesens vero scriptum velit, quaeso, apud se secreto habere atque alios celare et mihi ita, ut praemisi, correctum et castigatum mature remittere. Namque Oporinus postulat ad se transmitti Bonfinem cum adiunctis aliis ad mercatum vernum Francofordiensem, id quod ex eius litterarum exemplo cognoscet, quod his annexum eidem misi. Mercatus vero vernus solet haberi Francofordiae ad diem palmarum. Mul a autem mihi incumbunt interea praeparanda. Metus est, ne, si ad eum mercatum haec a me Oporinus non acceperit, aliis operam suam locet. Etc. Posenio XI. Febr. 1562. Devinctissimus servitor Sigismundus Torda.

¹⁰⁸⁾ Apud eum duos libros annis 1554. et 1563. edidit (cf. Szabó, Károly (Carolus)—Hellebrant, Árpád, Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Hungarica Vetus), tomus III., Budapest, 1896., no. 420. et 505.

tembris) respondit se ad edendam quartam decadem paratum esse; verisimile est Oporinum Tordam editioni curandae Trecio aptiorem iudicasse, qui opus Bonfinii non integrum, sed solum¹⁰⁹⁾ quartam decadem edere voluisset; Oporinus certo scivit¹¹⁰⁾ Tordam a Ferdinando rege et Thoma Nadasdi palatino et stimulatam et adiutam esse. Oporinus in epistola memorata mentionem de consilio Trecii totum opus Bonfinii edendi quoque faciens rogavit Tordam, ut manuscriptum typographicum ante ipsum mercatum vernum Francofordiensem¹¹¹⁾ mitteret, quia tunc et hieme aliis operibus excudendis occupatus est; non solum Bonfinium, sed „adiuncta alia“ editurum pollicetur. Torda interea decadem IV. ad edendum praeparavit; manuscriptum typographicum vel ipse descripsit vel describendum curavit et editionem diligentissime accuratissimeque, non, sicut Brenner fecit et post eum Trecius voluit, editurus erat; dedicationem quoque ad Maximilianum regem scripsit, quam Posenio (in Hungaria) die 11. Februarii a. 1562. Thomae Nadasdi ad corrigendum castigandumque misit valde rogans eum, ut quamprimum correctam remitteret, ne ea de causa typographia retardaretur. Ut videtur, nec Nadasdi dedicationem remisit, nec Torda manuscriptum fortasse multis negotiis occupatus numquam initum Oporino misit. Iohannes Revay autem editionem iterum impeditam videns epistola die 21. mensis Maii ad Tordam scripta¹¹²⁾ frustra eam festinavit. Nadasdi quoque die 2. mensis Iunii mortuus est. Ita haec editio quoque, quam non editam dolere debemus, irrita facta est.

Paulo post, a. 1565. Caspar Heltus¹¹³⁾ optime de rebus litterariis meritis, scriptor et bibliopola et typographus Transylvanus, de studiis Wrancii, Trecii et Tordae prorsus certior non factus Claudiopoli (Koložsvár, in Transylvania) priores sex libros decadis IV. in sua typographia excudendos curavit (c).¹¹⁴⁾ Heltus codicem manuscriptum (x₃) ad editionem a Michaele Czaky¹¹⁵⁾ accepit,

¹⁰⁹⁾ Torda, ut videtur, numquam de codice decadis V. a Francisco For-gach possessore certior factus est.

¹¹⁰⁾ Torda Oporino certe scripsit se editionem Maximiliano regi esse dedicaturum.

¹¹¹⁾ Mercatus vernus Francofordiae die palmarum erat; a. 1562. die 22. mensis Martii.

¹¹²⁾ Pray, o. c. (v. comm. 102.) p. 173.: Egregio domino Sigismundo Thorda praefecto camerae Hungaricae etc. Nuper, dum essem Posenii, putabam D. V. ad invisendum me venturum. Ego quidem, si per adversam valetudinem licuisset, ad D. V. venissem. Verum existimo propter diversas occupationes non potuisse D. V. se loco movere. Scio namque eidem non parvas curas incumbere. Erat mihi in animo inter alia rogare D. V., ut editionem Bonfinii ne longius differret. Solicitamur enim a multis et increpamur, quod opus illud tam diu suppressum teneamus. Rogo itaque D. V. nomine omnium fratrum, ut, quanto fieri potest, citius in lucem dare velit librum Bonfinii a nobis D. V. datum nostrique honestam, prout promisit, mentionem faciat, quod pro suo erga nos amore facturam bono modo non dubitamus. Datum Alsolyndvae, XXI. Maii 1562. Servitor ac filius Ioannes de Reva.

¹¹³⁾ C. a. 1520—1575.

¹¹⁴⁾ V. inferius profusius inter editiones editionem c.

¹¹⁵⁾ S. Hungarice Csáky; consiliarius et praeceptor Iohannis Sigismundi electi regis Hungariae teprincipis Transylvaniae.

qui codex certo de codice Corviniانو (m_4) descriptus est. Codicem Michaelis Czaky vel ipse Heltus descripsit vel ipse describendum curavit (x_4); si describendum curavit, certe codicem descriptum (x_4) cum codice Michaelis Czaky (x_3) contulit. Qui ambo codices (x_3 et x_4) ad nostram aetatem non remanserunt — Heltus autem non solum hos sex libros decadis IV. edidit, sed etiam e libris IV. et VII. paucas, ex VIII. et IX. permultas sententias mutatas, mutilatas et transpositas excerpsit¹¹⁶⁾ et totum librum X. (quae ad familiam Hunyadiorum pauciora ad Iohannem, totum ad Mathiam conscripta in decade III. attinent.) edidit. — Quamquam codex Michaelis Czaky (x_3) vel rectius, quia periit, de hoc codice edita editio c et codex Iohannis Revay (x_5) vel rectius, quia periit, de hoc codice edita editio s¹¹⁷⁾ certo de eodem codice manuscripto m_4 derivantur, tamen inter eos valde permultae lectiones variantes¹¹⁸⁾ inveniuntur. Nos autem felicissimi dici possumus, quia duo folia e codice m_4 habemus, et sic decerni potest, utra editio (c vel s) textum meliorem habeat; e collatione enim duarum editionum c et s necnon duorum foliorum m_4 nos certissime statuere potuimus codicem Francisci Revay (x_5) multo meliorem descriptionem, quam codicem Michaelis Czaky (x_3) fuisse, qua de causa nos in textu condendo editionem s imprimis fundamento posuimus. Codex Michaelis Czaky (x_3), sicut et videtur et apparuit, quam negligentissime, immo et celerrime (fortasse ideo soli sex libri descripti sunt, quia tempus defuit) descriptus est, cuius textum deinde, quia permultis in locis plane intelligi non potuit, ad libitum, quantum in se stetit, Heltus correxit et immutavit, immo, ne editio prorsus magnopere mendosa et intellectu difficilis esset, corrigere textum mutareque coactus est. Sunt autem, fatemur, complures loci, ubi editio c editione s meliorem textum praebet (hic igitur codex x_3 melior descriptio, quam codex x_5 apparuit), quos nos sine ulla dubitatione in nostrum textum assumpsimus accepimusque. Sic ceterum Sambucus editor editionis s e libro V. decadis IV. aliquot sententias,¹¹⁹⁾ quae de Vienna haud adulanter scriptae sunt, consulto reliquit, quas nos ex editione Helti (c) restituimus, et sic nos multo meliorem textum Bonfinianum, quam usque ad hoc tempus editores Bonfinii, praebere potuimus. Si quis Annotationes Criticas nostras sex priorum librorum decadis IV. inspexerit, persuasum habebit, quam laboriosam operam Heltus sibi textum valde corruptum corrigendo suscepit. Ut editio eius usui aptior fieret, textui notas marginales¹²⁰⁾ apposuit et textum singulorum librorum perspicuitatis gratia in permultas partes (paragraphos) distribuit divi-

¹¹⁶⁾ V. commentaria paginarum 254., 259., 261. et 263. §. tomi III. editionis nostrae.

¹¹⁷⁾ V. profusius paulo inferius et inferius inter editiones.

¹¹⁸⁾ Conf. Annotationes Criticas nostras priorum sex librorum decadis IV.

¹¹⁹⁾ V. inferius editionem s.

¹²⁰⁾ Marginalia deinde — ignota editione c — editio i textui adiecit, quae paene immutata editio l quoque accepit; nos quoque his marginalibus nitentes ut Argumenta textui uniuscuiusque decadis praeposuimus.

sitque, quod in editionibus b, s, f, et h non invenimus. — Hel-
tus et ipse historicus et patriae amans aegre tulit, quod libri qua-
tuor posteriores (VII—X.) decadis IV. invidia malevolorum suppri-
merentur;¹²¹⁾ ipse libere hoc opus Bonfinianum in linguam Hunga-
ricam transtulit.¹²²⁾ — Haec editio Casparis Helti usque ad annum
1771. (editio l) iis, qui decadibus Bonfinii edendis vel vitae ipsius
Bonfinii operam dabant, prorsus ignota erat; et quidem, ut videtur,
ideo, quia non multa exemplaria excudebantur; et editor editionis
l (a. 1771., l.) hanc editionem, cum editiones sex ante se editas
(bsfhip) accuratissime enumeravisset, fortasse invidia non memoravit,
e textu autem collato certissime apparuit editorem Bel nonnullis
in locis editione c usum esse, qua de causa iure est reprehensione
dignus.

Postquam nec conatus Trecii, ut totum opus Bonfinii, nec
Tordae, ut quarta decas ederentur, effectum habuerunt et his inci-
sciis soli sex libri decadis IV. una cum partibus e decade III. ad
Hunyadios attinentibus ab Helto, ut desiderii virorum litteratorum
satisfaceret, editi sunt, tandem aliquando Ioannes Sambucus edi-
tionem totius operis principalem apud Oporinum, quem, ut superius
vidimus, Trecius et Torda adierant, a. 1568. excudendam cura-
vit (s).¹²³⁾ Sambucus scribit¹²⁴⁾ se ad Bonfinium totum edendum a
multis amicis esse instigatum, sed fortasse et Oporinus, ut vide-
tur, postquam Trecio totum opus Bonfinii edere recusavit et a Torda
manuscriptum decadis IV. numquam accipere potuit, Sambucum
adiit et ad edendum totum Bonfinium rogavit. Oporinus certo tra-
didit Sambuco codicem manuscriptum decadum IV. et V. (x₆ et x₉)
a Trecio iamdudum sibi missum. Sambucus ad edendas tres pri-
ores decades manuscripto typographico editione Brenneri (b) usus
est, quam multis in locis secundum codicem e¹²⁵⁾ correxit,¹²⁶⁾ codice

¹²¹⁾ V. Append. II. u)

¹²²⁾ V. inferius inter Traductiones traductionem Hungaricam a. 1575.

¹²³⁾ V. profusius paulo inferius et inferius inter editiones editionem s.

¹²⁴⁾ V. Append. III. l. a) 8., 42.

¹²⁵⁾ Nescimus, ubi invenerit hunc codicem (qui etiam nunc exstat) Sam-
bucus, quem fortasse Lascianum (Ieremiae Laski) esse dicit. (V. comm. 126.)

¹²⁶⁾ Sambucus in tituli pagina scribit se ad edendas tres priores deca-
des collatione diversorum codicum manuscriptorum usum esse, quod intel-
legendum esse putamus Sambucum tantum codicem e ad editionem contulisse
et eos fontes (qui in codicibus exstarent), quos ipse Bonfinius in suo opere
citavit; quam opinionem nostram ipse Sambucus quoque confirmat in editione
sua a. 1581. (f) [V inferius pag. 13. editionis f et Append. III. l. b)]: „Secuti
sumus hac editione priores tres decades Bonfinii ex regio illo minorum
Revaorum ac Brenneri codice ac, ne cui fraus facta videretur, varietatem ex
Oporini impressione, quae aliquot locis ex codice Polonico (forte Lasciano)
et aliis, quos laudat Bonfinius, lacunulas nominaque subiecerat, sine disputati-
one hic apposimus.“ — Sambucus erravit, cum codicem x₁ a Brennero usita-
tum et Corvinianum (regium) et Revayorum fuisse dixit; Sambucus e dedica-
tione Brenneri scire debebat hunc codicem x₁ de codicibus Corvinianis esse
descriptum et codicem non Revayorum, sed Pauli Istvanffy fuisse, qui Brennero
codicem ad edendum tradidit. Error Sambuci e dedicatione Brenneri ad Fran-
ciscum a Rewa scripta derivatur.

x_1 , quo Brennerus ad edendas has tres decades usus est, certo non usus est, nam nequaquam credi potest Iohannem Revay codicem x_1 Pauli Istvanffy ab eodem vel accipere vel emere potuisse; item incredibile est Sambucum codicem x_2 , qui de codice x_2 descriptus est, ullo modo accipere potuisse, quod quidem ex editione eius quoque certissime statui potest. Sambucus ad edendam decadem IV. descriptione x_6 a Trecio Basileam Oporino missa manuscripto typographico usus est, sed codicem x_5 Iohannis Revay quoque habuit, de quo Trecius suum manuscriptum typographicum descripsit vel describendum curaverat. Num Sambucus descriptionem Trecii x_6 accuratissime contulerit cum codice Iohannis Revay, plane nescimus, sed, quia paene sine mendo textum praebet, accuratum laborem adhibere videtur; ubi enim textus mendosus¹²⁷⁾ est, id non Sambuco, sed codici Iohannis Revay (x_5) attribuendum est. Sambucus ad edendos decadis V. quinque libros descriptione (x_9) a Trecio Basileam Oporino missa manuscripto typographico usus est, sed et codicem Francisci Forgach quoque adhibuit, de quo Trecius suum manuscriptum typographicum (x_8) descripsit vel describendum curaverat. Verisimile est Sambucum diligentissime descriptionem Trecii (x_9) cum codice Francisci Forgach (x_8) contulisse, quia textum paene incorruptum praebet, et, si qua forte menda insunt, ea non Sambuco, sed codici Francisci Forgach attribuenda sunt. — Sambucus satis fidam operam edendo Bonfinio dedit, ut nos quoque e tribus prioribus decadibus editis statuere potuimus; coniecturis, quantum fieri potuit, se abstinuit. Reliquit autem, ut credimus, dedicationem (praefationem) decadis V., quae certe et codici Francisci Forgach (x_8) et descriptioni Trecii (x_9) inesset et quam Wrancius in codice Tricesii (x_{10}) viderat et ex ea duas sententias excrisperat; in hac dedicatione enim Bonfinius de suo morbo mentionem facit, quam ideo reliquit Sambucus, ne quis forte quinque libros decadis V. a Bonfinio imperfectos crederet; reliquit praeterea Sambucus e libro V. decadis IV. aliquot sententias, quas Bonfinius de Vienna haud adulans conscripserat, quibus de causis Sambucus iure est reprehensione dignus. — Haec editio princeps totius operis Bonfinii, sicut prima, ita et iure optima omnium integrarum editionum antiquarum (f, h, i, p et l) dici potest, quod etiam omnes ingenue fatentur. Menda typographica quoque pauca in editione inveniuntur. — Post Bonfinium Appendix amplissima adiuncta est. — Iohannes Listius episcopus Vesprimiensis (in Hungaria) cuidam exemplari huius editionis commentaria sua ascripsit.¹²⁸⁾

Editio s quam celerrime vendita alteram editionem necessariam fecit.

A. 1581. Francofurti apud Wechelium editio altera editionis Sambucinae s in lucem prodit (f)¹²⁹⁾ et quidem, ut videtur, We-

¹²⁷⁾ Nos haec menda in prioribus sex libris secundum editionem c certissime corrigere potuimus.

¹²⁸⁾ V. Append. III. 2.

¹²⁹⁾ V. profusius inferius inter editiones.

chelius rogavit Sambucum, vel fortasse rectius consensum eius editionis novae sub nomine Sambuci edendae impetravit a Sambuco; nam, ut sincere fateamur, huic editioni parum operae Sambuci inesse videmus. Haec editio hoc modo exstitit: manuscriptum typographicum totius editionis erat editio s, cuius textus in decade I. et libris I—IV. decadis II. secundum editionem b corrigebatur tunc quoque, si textus editionis b mendosus erat; editor igitur editionis f fere nihil aliud fecit, ac restituit eas lectiones variantes, quas Sambucus in editione s ex editione b secundum codicem e perduxerat; has lectiones maioris momenti variantes deinde editor separatim ante editionem composuit. In libris V—X. decadis II. et decade III. edendis editor paene prorsus editionem s sequitur, variantes autem lectiones maioris momenti, plerumque eas, quas Sambucus in editione s ex editione b secundum codicem e perduxerat, ante editionem composuit. Quare correctus sit textus melior editionis s in prioribus quattuordecim libris in peiorem textum editionis b, plane nescimus, fortasse ideo, quod Sambucus editionem f plane eandem esse, atque editionem s, nolisset. Libri quindecim decadis IV. et V ab editione s paene solis mendis typographicis differt. Haec editio Sambuco dirigente exstare potuit, ipse autem correcturas typographicas, ut videtur, non correxit. Per multa menda typographica in editione inveniuntur.

Editio f (1581. Francofurti) quoque celeriter vendita ad novam editionem Bonfinianam edendam heredes Wechelii, qui editionem f excuderat, instigavit. A. 1606. Hanoviae editio tertia totius operis Bonfinii in lucem prodiit (h)¹³⁰⁾, quae editio editioni f simillima¹³¹⁾ est. Qui editionem curavit, in decade I. et libris I—IV. decadis II. variantes lectiones meliores editionis s secundum annotationes criticas ante editionem positas restituit et sic hanc editionem editione f multo meliorem fecit. Haec editio, quae manuscripto typographico editione f utebatur respectis editionibus b et s, admodum mendosa est, nam non solum menda typographica editionis f transumpsit, sed etiam haec magnopere auxit.

Totum opus Bonfini quartum Coloniae Agrippinae a. 1690. editum est (i).¹³²⁾ Editor huius editionis manuscripto typographico editione a. 1606. (h) utebatur, cuius editionis etiam Appendicem accepit, respecta paucis locis editione s (1568.). Haec editio non solum complura menda typographica editionis h transumpsit, sed etiam novis quoque auxit, non autem tam mendosa, quam vulgo dicitur, est. Magnum meritum huius editionis est, quod in unaquaque pagina duas columnas et notas in margine habet¹³³⁾ necnon

¹³⁰⁾ V. profusius inferius inter editiones.

¹³¹⁾ Non solum Bonfinium, sed Appendicem editionis f quoque excusit. Quam simillima sit haec editio h editioni f, vel ex eo intellegitur, quod multi viri docti hanc editionem h eandem credebant, atque editionem f, sola tituli pagina mutata.

¹³²⁾ V. copiosius inferius inter editiones.

¹³³⁾ Quae marginalia nos non in margine, sed ante unamquamque decadem ut Argumenta posuimus.

singuli libri in permultas partes (paragraphos) divisi sunt, quibus de causis haec editio usui maxime apta est.

A. 1713.¹³⁴⁾ postquam tres editiones totius operis Bonfinii (fhi) parum accurate in lucem prodierunt, Martinus Schmeizel¹³⁵⁾ Francofurti in lucem edere voluit. Schmeizel non solum opus Bonfinii, sed etiam alios rerum Hungaricarum scriptores, sicut ante eum Bongarsius (1600.) et post eum Schwandtner (1746—48., I—III.) ediderant, excudere voluit. Iam pagina quoque tituli excusa est: „Rerum Hungaricarum scriptores varii maximamque partem antiqui ad regni Hungariae annexorumque regnorum ac provinciarum historiam spectantes. Hos diligenter collegit, recensuit, emendavit notisque suis ac aliorum testimoniis illustravit Martinus Schmeizel Corona Transilvanus Saxo. Praemissa est praefatio, qua instituti redditur ratio. Adiecti denique sunt indices rerum et auctorum necessarii. Francofurti apud Thomam Fritsch, 1713.“ Editio in folio proditura erat, quae, cum numquam excusa esset, magnopere dolenda est.

Ante a. 1740.¹³⁶⁾ Matthias Belius scriptores rerum Hungaricarum omnes in octo voluminibus editurus erat, quorum secundum volumen opus Bonfinii contenturum esset. Quod consilium Belii nunquam ad effectum perductum est, quod autem paucis annis post Schwandtner in tribus tomis annis 1746—48. effecit, cuius operae etiam Belius maximo adiumento fuit.

Ante a. 1744.¹³⁷⁾ etiam Godofredus Schwarz totum opus Bonfinii ab amicis adhortatus editurus erat, quam editionem editio a. 1744 irritam fecit, ut credimus.

A. 1744¹³⁸⁾ Posonii editio quinta totius operis Bonfinii in lucem prodit. Iesuita nomine ignotus rogatu, ut videtur, comitis Christophori Erdoedy editionem totius operis Bonfinii praeparavit, ut comes hac editione „libro graduali“ uti posset. Quia editionem Erdoedy, ut videtur, festinavit, editor accuratissime textum corrigere et emendare non potuit, qua de causa hanc editionem accuratam plane dicere non possumus. Editor manuscripto typographico editione huius usus est, nonnumquam autem editionibus s, f et i quoque utitur. Multa menda typographica in editione inveniuntur, haec editio autem non tam mendosa est, quam vulgo habetur. Ceterum haec editio in primis libris meliorem textum praebet, quam in posterioribus, cuius causa sola est, quod editor in editione edenda magnopere festinatus sit. — Haec editio quinque editiones, quod ad paginam tituli attinet, habet: 1. 1744., Posonii. Exemplaria (libri graduales) Christophori Erdoedy, in quibus propter festinatum laborem dedicatio (praefatio) Bonfinii ad Wladislaum regem scripta deest; 2.

¹³⁴⁾ V. Kemény, o. c. pagg. 316—17.

¹³⁵⁾ Professor Ienensis; in Transylvania natus est; mortuus est a. 1747.

¹³⁶⁾ V. Kemény, o. c. pag. 317.

¹³⁷⁾ V. ibidem.

¹³⁸⁾ V. profusius inferius inter editiones.

1744., Posenii. Exemplaria sumptibus bibliopolae Iohannis Michælis Kochberger; 3. 1744., Viennae Austriae. Exemplaria Ioannis Pauli Kraus; 4. 1744., Viennae. Exemplaria Ioannis Pauli Kraus denuo impressa a Kochberger ei vendita; 5. 1770., Budae. Exemplaria (libri graduales) Francisci Xaverii Fux, qui aliquot exemplaria ex exemplaribus Christophori Erdoedy emere potuit. — Editiones 1. et 5. solum opus Bonfinii habent, in quibus dedicatio Bonfinii ad Wladislaum regem scripta deest; in aliis tribus (2—4.) editionibus operi Bonfinii praefixa est quaedam praefatio Ad lectorem¹³⁹⁾ et adiuncta Chronologia Abrahami Bakschay ex editione h transumpta et usque ad annum 1744. ab anonymo scriptore continuata necnon Index.

Fortasse haec editio p editionem novam operis Bonfinii a Schwandtnero (et Matthia Belio) in grandi opere, quod Scriptores Rerum Hungaricarum veteres ac genuini¹⁴⁰⁾ inscribitur, edendam supervacaneam fecit.

A. 1770., ut paulo superius memoravimus, Budae aliquot exemplaria editionis a. 1744. (p) ut libri graduales pagina tituli mutata a Francisco Xaverio Fux in lucem edita sunt. Haec editio, ut videtur, provocavit editionem proximi anni (1771., 1).

Ultima editio operis Bonfinii a. 1771. Lipsiae a Carolo Andrea Bel in lucem edita est (2),¹⁴¹⁾ cuius pater, Matthias, iam plus quam triginta annis ante Bonfinium editurus erat, ut superius scripsimus; consilium patris igitur filius implevit. Haec editio non tam optima est, quam vulgo dicitur. Bel manuscripto typographico editione satis mendoso i usus est, cuius menda multoties ita correxit, ut nullam superiorem editionem inspexisset, sed ad libitum suum et arbitrium locum correctione indigentem correxit; nomina propria ad scripturam sui temporis vitiose detorsit. Ceterum Bel, solus omnium editorum, omnes editiones cognovit, etiam editionem c. Editioni suae curandae editiones b s i p adhibuit, editionibus f h non usus est, quantum e textu collato stabiliri potest. Bel editionem c inter editiones a se cognitatas non memorat, e textu collato autem certissime statui potuit, ut hanc editionem non solum cognovisset, verum etiam nonnumquam ea, cum textum correxerit, usus esset, qua de causa iure est reprehendus.

In hac Introductionis parte editiones particulares (exceptis editionibus maioris momenti maioribus b et c) consulto praeterimus.

¹³⁹⁾ V. Append. VI.

¹⁴⁰⁾ Tomi I—III. Viennae annis 1743—48. in lucem prodierunt.

¹⁴¹⁾ V. profusius inferius inter editiones.

III. — *De codicibus et editionibus Decadum Rerum Ungaricarum.*a) *Codices.*

(m_1), (m_2)¹⁴²⁾ — [De omnibus fragmentis reproductiones phototypicae huic tomo adiunctae sunt.]¹⁴³⁾ — Budapest, A Magyar Nemzeti Múzeum Könyvtára (Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici). Cod. Lat. Med. Aevi 434., membr.,¹⁴⁴⁾ saec. XV. exeunte. — Ex quinque codicibus Corvinianis, quos Wladislaus II. rex e manuscripto Bonfinii per Iohannem scriptorem (unamquamque decadem in unoquoque codice) describendos ornandosque curaverat et in Bibliotheca Corviniana inscribendos iusserat, sola quattuor folia, et quidem e decade I. (m_1) duo folia in singula discissa: fragmenta I. 1. et 2., et e decade IV. (m_2) item duo folia, quae una sunt: fragmentum II., ad nostram aetatem remanserunt. Fragmentum II., quod ad textum attinet, mancum est, scilicet de singulis paginis foliorum in parte inferiore quattuor versus, i. e. de quattuor paginis totius fragmenti sedecim versus decisi erant, cum membrana huius fragmenti in usum involucris cuiusdam libri, ut inferius dicemus, adhibita esset. Magnitudo¹⁴⁵⁾ fragmentorum haec est: I. 1.: cm. 18·5x25·5, I. 2.: 17x26 et II. 39·7x23·7. — Si codices Corviniani, ut creduntur, e quaternionibus (i. e. unusquisque arcus ex octo foliis) constabant, tunc fragmentum I. 1. in quaternione folium II. et fragmentum I. 2. in eadem quaternione folium VII. erant, i. e. ex hac quaternione folia I., III—VI. et VIII. perierunt; fragmentum II. in quaternione folia IV. et V. erant, i. e. ex hac quaternione folia I—III. et VI—VIII. perierunt.¹⁴⁶⁾ — In unaquaque pagina codicis Corviniani 30 versus inscripti sunt, cuius inscriptionis magnitudo in fragmentis I. 1. et 2. cm. 13x23, in fragmento II. cm. 13x22.¹⁴⁷⁾ — E scriptura Italica pulcherrima et

¹⁴²⁾ V. profusius superius. — De his fragmentis v. copiosius hos duos articulos: Jakubovich, Emil (Aemilius), Bonfini-kódextöredék a Magyar Nemzeti Múzeumban (De fragmento codicis Bonfiniani in Museo Nationali Hungarico). In ephemeride Magyar Könyvszemle, Budapest, 1919., pagg. 111—17. et Idem, Az eredeti Bonfini-kódex második töredéke (De fragmento secundo originalis codicis Bonfiniani). In ephemeride Magyar Könyvszemle, Budapest, 1925., pagg. 19—27. (Cum reproductionibus particularibus fragmentorum codicum phototypicis.)

¹⁴³⁾ Reproductiones phototypicae I—II. Hae reproductiones phototypicae omnes originalibus minores sunt, et quidem fragm. I. 1.: 18·5x25·5 cm., repr. phototyp.: 14·5x20 cm.; fragm. I. 2.: 17x26 cm., repr. phototyp.: 13·3x20·3 cm.; fragm. II.: 39·7x23·8 cm., repr. phototyp.: 28x16·8 cm.

¹⁴⁴⁾ Membrana fragmentorum codicis m_1 magis tenuis est, quam codicis m_2 , ex quo autem non sequitur, ut toti singuli codices m_1 et m_2 e materia eiusdem qualitatis fuerint.

¹⁴⁵⁾ Quia paene omnes margines fragmentorum inaequales sunt, nos omnino mediam mensuram magnitudinum accepimus.

¹⁴⁶⁾ Si autem forte arcus et ternionibus constabant, i. e. unusquisque arcus ex sex foliis constabat, tunc duo folia tomi I. sunt I. et VI., id est, e ternione perierunt folia II—V.; duo folia tomi IV. sunt III—IV., id est, e ternione folia I—II. et V—VI. perierunt.

¹⁴⁷⁾ Sicut colligi potest, nam de hoc fragmento in parte inferiore quattuor versus decisi sunt. Quamquam versus decadis IV., sicut e fragmento II. vide-

membrana optima quinque codices Corvinianos magnificentissime editos esse iure credimus. Latitudo originalis codicis Corviniani secundum fragmenta I. 1. et 2., quia latera in omnibus quattuor marginibus decisa sunt, statui nequit, secundum fragmentum autem II. cm. 22·5 est. Longitudo lateribus fragmentorum I. 1. et 2. in quattuor marginibus decisis e fragmento II. cm. 36 modo e latitudine colligi potest, quia margines huius fragmenti et supra et infra decisi sunt. Codex decadem I. continens circa folia 250, II. 280, III. 275, IV. autem, quia et brevior, quam una trium priorum, et abbreviationes, ut e fragmentis videmus, sumptus parcendi causa crebrius adhibitae sunt, et paulo minoribus litteris ex eadem causa codex scriptus est, sola circa folia 180 et V., quia tantum quinque libros habet, circa sola folia 60 continuisse videtur; altitudo igitur codicum I—III. circa cm. 5, IV. circa 3, et V. circa 1·5 erat. — Fragmenta I. 1. et 2. tegumento (involucro) cuiusdam libri inglutinata sunt; fragmentum II. ad usum involucri cuiusdam libri (cuius longitudo cm. 19·5, latitudo 15·5 et altitudo 3·7 fuit) adhibitum est, et quidem eo modo, ut folia II. r. supra et I. v. infra extrinsecus et folia II. v. supra et I. r. infra introrsus fuerint. — Codices decades I. et IV. continentes, e quibus nos haec fragmenta habemus, a. 1676. in Bibliotheca Capituli Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis¹⁴⁸⁾ asservabantur,¹⁴⁹⁾ non multo autem post, ut creditur, e bibliotheca surrepti sunt, quorum folia dispersa et his quattuor foliis exceptis alia omnia deperdita sunt. Fragmenta I. 1. et 2. Norimberga a. 1872. et fragmentum II. e civitate Szeged a. 1923. Budapestinum in Bibliothecam Musei Nationalis Hungarici, ubi

mus, densius, quam decas I., ut e fragmento I. videmus, scripti sunt, tamen tot versus (30) in unaquaque pagina decadis IV., quam decadis I. sunt.

¹⁴⁸⁾ Hos duos codices in primis saeculi XVI. decenniis, fortasse ante a. 1526. (clades Mohácsiana) quidam archiepiscopus Strigoniensis e Bibliotheca Corviniana mutuo accepisse et ad se detinuisse videtur. — Certe haec quattuor folia codicibus in Bibliotheca Capituli Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis asservatis non defuerunt.

¹⁴⁹⁾ Haec Bibliotheca Strigonio a. 1453. a Turcis de sede avita (Esztergon.) expulsa Tyrnaviam (Nagyszombat) translata est, ubi annis 1674. et 1676. quoque, cum catalogi compositi sunt, erat. — In Bibliotheca Archidioecesis Strigoniensis nunc duo manuscripta sunt, quae catalogum librorum et manuscriptorum annis 1674. et 1676. in Bibliotheca Capituli Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis asservatorum continent, quorum alterum (MSS. I. 290.; titulus: Index Bibliothecae in ordinem redactae duplex, librorum dispositionis alter, alter alphabeti, voluntate celsissimi principis archiepiscopi Strigoniensis Georgii Szelepheni anno incarnati verbi unigeniti domini salvatoris, per Ioannem Henricum Hungerum presbyterum ss. theologiae licentiatum et patritium Erfurtensem) index est secundum librorum dispositionem 27. Augusti a. 1674. compositus, in quo in fol. 5. Classis T. (Historici prophani) haec leguntur: Antonius Bonfinius de rebus Hungariae in membrana scriptus, decas 1; decas 2. et 3. deest; decas 4.; folio; T. 5. 15—16.; — alterum (MSS. I. 291.; titulus: Index alphabeticus Bibliothecae reverendissimi ac venerabilis Capituli Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis concinnatus per r. d. Ioannem Hungerum) index alphabeticus est a. 1676. compositus, in quo in littera B haec leguntur: Bonfinii Antonii rerum Ungaricarum decades quattuor cum appendice aliquorum authorum, F.-o, T. 5. 20.; Idem, de rebus Hungariae in membrana m. s., decas I.-ma, T. 5. 15.; 2. et 3. deest decas quarta, F.-o, T. 5. 16.

nunc quoque asservantur, dona pervenerunt.¹⁵⁰⁾ Quando ceteri tres codices (decades II. III. et V. continentes) perierint, plane nescitur, fortasse autem iam ante a 1526. (clades Mohácsiana). — Ceterum haec fragmenta hos textus e decadibus Bonfinii continent: fragm. I. 1. r.: Dec. I. lib. 9., 139—46.: sibi—hominem; fragm. I. 1. v.: 147—54.: At—Theodone; fragm. I. 2. r.: 212—21.: libertate vita—agminibus ante-; fragm. I. 2. v.: 221—29.: -ponit, ut—cecidissent sup-; fragm. II. fol. 1. r.: Dec. IV., lib. 5., 239—44.: consuetudinis—federe ver-; fragm. II. fol. 1. v.: 246—51; Solutio—certamine; fragm. II. fol. 2. r.: 252—58.: In medio—ultra a(ddi); fragm. II. fol. 2. v.: 259—64.: optimum—exaruerat, ut ad.¹⁵¹⁾ — In marginibus fragmentorum inscriptiones antiquiores et recentiores legi possunt. — Hi codices Corviniani quoque, ut ex his fragmentis videmus, mendosi erant, quamvis quattuor priores codices, ut creditur, certe Bonfinio praesente descripti essent, qua de causa nec haec fragmenta in textu condendo plene secuti sumus. — In fragmentis diphthongi ae, immo oe quoque scriptae sunt, quas in edendo toto opere Bonfinii non adhibuimus, quia nos in tribus prioribus decadibus edendis codice e nitebamur, cuius scripturam in editione decadum IV. et dimidia V., quas nos ex editione s edidimus, secuti sumus diphthongos ae et oe editionis eiusdem non observantes. De codice m₁ duo codices: e et x₁, de codice m₄ item duo codices: x₃ et x₅ descripti sunt, quorum solus e ad nostram aetatem remansit.

e¹⁵²⁾ — [De folio 1. r. reproductio phototypica huic tomo adiuncta, III.] — Cracovia, Museum Principum Czartoryski.¹⁵³⁾ Sign. 1415.¹⁵⁴⁾ chart., saec. XVI. ineunte, pagg. (et non foll.) 898.¹⁵⁵⁾ codex maximam partem e sexternionibus¹⁵⁶⁾ constat; magnitudo codicis sine

¹⁵⁰⁾ A. Eszenwein director Musei Norimbergensis die 21 Iunii a. 1872. et P. Ferdinandus Kaizer guardianus Conventus Ordinis Fratrum Minorum Szeged-Alsóváros die 2. Novembris a. 1923. haec foliorum fragmenta in bibliothecis, quibus praestabant, inventa Bibliothecae Musei Nationalis Hungarici dono dederunt.

¹⁵¹⁾ Quia quattuor versus de duobus foliis decisi sunt, desunt: 244—45.: ,ba fecere—iussere; 251.: pugnatum—principum; 258—29.: (-ddi) potest—inquit si; 264—: VII. Kalendas—.

¹⁵²⁾ De hoc codice v. profusius: Fögel, József, Antonio de Bonfinis „Rerum Hungaricarum Decades“ etc. op. cit.

¹⁵³⁾ Catalogus codicum manu scriptorum Musei Principum Czartoryski Cracoviensis. Vol. I. Scripsit Ioseph Korzeniowski, Cracoviae, 1887—93., vol. II. Scripsit Stanislaus Kulrzeba, Cracoviae, 1908—13. — De nostro codice (no. 1415.) v. vol. II. pag. 203.

¹⁵⁴⁾ Codicem Sambucus Polonicum (forte Lascianum) nominat [v. Append. III. 1. b)], e quo elucet paulo ante Lascius Polonus possessor huius codicis erat. — Saeculo XVII. codicem familia Korab habuit, cuius arma in involucre (quod e saeculo XVII. est) impressa sunt. — In pagina I. (v. reproductio phototypicam) haec circa saeculo XVIII. scripta leguntur: Ex dono perillustris Wierbowski, e quo elucet etiam Wierbowski possessor huius codicis erat, e cuius dono codex fortasse iam ad principes Czartoryski pervenit.

¹⁵⁵⁾ Paginae 785—832. male impactae sunt, nam post paginam 856. collocandae sunt.

¹⁵⁶⁾ Id est arcus quidam 12 folia (24 paginas) habet.

duro et alto tegumento¹⁵⁷⁾ cm. 21x31, altitudo cm. 6. — Codex decades I.—III. continet. — Decas I. in pagg. 1—237., pagg. 238—40. vacuae, decas II. in pagg. 241—574., pagg. 575—76. vacuae, decas III. 577—889., pagg. 890—98. vacuae sunt. — Codex e tribus codicibus, quorum unusquisque unam decadem continet, compactus est; ex eiusdem generis charta coniecturam facimus has tres decades eidem viro litterato esse descriptas et post descriptas decades statim in unum esse compactas. Decades I.—III. quinque librarii,¹⁵⁸⁾ et quidem decadem I. quattuor: primus, secundus, tertius et quartus; decadem II. duo: primus et quartus; tertiam unus: quintus describebant. Descriptio Budae in Bibliotheca Corviniana vel cancellaria Wladislai II. regis iussu alicuius antistitis vel viri docti nobilisque de codicibus m_1 , m_2 et m_3 initio (fortasse primo decennio) saeculi XVI. facta est. Ex quo colligi potest uno eodemque tempore ideo plures (quinque) librarios hos tres decades descripsisse, quia ut, creditur, alii quoque has tres decades celeriter describendas curare voluerunt et ideo librarios sollicitaverunt. Qua de causa non omnes librarii pulchre, nonnumquam parum accurate multis mendis¹⁵⁹⁾ partem descriptionis suae exsequabantur. — In codice aliquot correctiones et notae marginales et contemporaneae et e posterioribus temporibus inveniuntur. — Quia e textu fragmenti codicis m_1 cum codice e et editione b (quae e codice x_1 edita est) comparato codex e meliorem textum, quam editio b, habere compertus est, nos in textu decadam I—III. condendo imprimis codicem e fundamento posuimus; lectiones variantes huius codicis ad scripturam attinentes non in Annotationibus Criticis assumpsimus, sed simplicitatis gratia separatim titulo Scripturae collegimus.¹⁶⁰⁾ — Sambucus, cum editionem s edidit, parum hoc codice usus est, nam in textu edendo editionem b secutus est. — Huic tomo I. de pagina 1. reproductionem phototypicam adiunximus, et quidem magnitudine originali paululo minorem; magnitudo paginae originalis: cm. 19x31,¹⁶¹⁾ reproductionis phototypicae cm. 18x29.3

¹⁵⁷⁾ Tegumentum codicis e saeculo XVII. est; e charta glutinata et membrana constat; in tegumento superiore arma Korab et inscriptio: Cronica Ungarorum, in calce: Bonfinii Cronica Ungarorum impressa sunt. (V. comm. 154.)

¹⁵⁸⁾ Librarius primus descripsit pagg. 1—57. (Praef.; dec. I. libb. I—III.) et 241—400. (dec. II. Praef. et libri I—VI. 149. factus est dominus); librarius secundus descripsit pagg. 77—145. (dec. I. libb. IV—VII.) et 153—55. (dec. I. lib. VIII. 128.) secuta—161. cum filio); librarius tertius descripsit pagg. 145—52. (dec. I. lib. VIII. 1—128. pax sub-); librarius quartus descripsit pagg. 155—237. (dec. I. lib. VIII. 161. Theudelinda—usque ad finem decadis I.) et 401—574. (dec. II. lib. VI. 149. quare illud—usque ad finem decadis II.); librarius quintus descripsit pagg. 577—889. (dec. III.).

¹⁵⁹⁾ Immo nonnumquam sententiae quoque incuria relictae sunt.

¹⁶⁰⁾ V. in hoc tomo I. pagg. 226—27.

¹⁶¹⁾ Originalis latitudo codicis non cm. 19, sed 21; a laeva enim parte paginae 1. cm. 2 de reproductione phototypica consulto relictus sunt.

n¹⁶²⁾ — Budapest, A Magyar Nemzeti Múzeum Könyvtára (Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici). Sign.: Cod. Fol. Lat. 1681., tom. I., saec. XVI., chart. — Codex continet epistolas autographas Antonii Wrancii,¹⁶³⁾ qui Cracoviae apud Andream Tricesium quinque libros decadis V. inveniens e dedicatione duas sententias in quadam epistola ad Gasparem Pesthinum scripta¹⁶⁴⁾ ad verbum citat, et quidem sententiam 2. in foll. 343v—44r, sententiam 1. in fol. 344r.¹⁶⁵⁾ — Usque ad hoc tempus Bonfinium etiam ad decadem quintam ad Wladislaum dedicationem scripsisse ignoravimus, editio enim prima decadis V. (s), de qua omnes editiones posteriores derivantur, fortasse ideo hanc dedicationem omisit, quod in ea de sua apoplexia Bonfinius mentionem fecit, e qua deinde legentes Bonfinium quinque libros decadis V. non plane perfectos et revisos recognitosque et correctos reliquisse coniecturam facere potuissent.

b) *Editiones.*

b¹⁶⁶⁾ — 1543., Basilea, Martinus Brennerus; formatum: fol. Continet tres priores decades, quas Brennerus e codice Pauli Istvanffy (x₁, qui de codicibus m₁—m₃ descriptus est) edidit. Editionem Brennero sine mendis edere non¹⁶⁷⁾ contigit, partim, quia solo codice satis mendoso nisus est, partim, quia, ut ipse dicit, parum operae mendis castigandis corrigendisque consumpsit. Satis mendorum typographicorum quoque in editione invenitur, quae maximam partem nos in Annotationibus Criticis non assumpsimus. In editione diphthongi ae et oe sunt. Ceterum haec editio satis rara est; editores editionum posteriorum omnes (c, s, f, h, i, p, l) noverunt, tantum ex fama editiones i et p videntur. — Fol. a 1 r: Tit.: Antonii Bonfinii Rerum Ungaricarum decades tres, nunc demum industria Martini Brenneri Bistriciensis Transsylvani in lucem editae, antehac nunquam excusae. Quibus accesserunt Chronologia Panonum a Noah usque haec tempora et Coronis historiae Ungaricae diversorum auctorum.¹⁶⁸⁾ Basileae, ex Roberti Winter officina

¹⁶²⁾ V. superius, ubi de historia codicum et editionum profusius locutus sumus.

¹⁶³⁾ Opera omnia (et sic epistolas quoque) edidit Ladislaus Szalay: Verancsics Antal összes munkái (Opera omnia Antonii Wrancii), tomi I—XII., Pest, 1857.—Budapest, 1875. — Hanc editionem et manuscriptum typographicum huius editionis de Tabula genealogica codicum et editionum consulto reliquimus.

¹⁶⁴⁾ Epistola in codice n in foll. 342r—45r, in editione superius memorata (v. comm. 163.) in tomo VI. (Pest, 1860.), in pagg. 352—54. invenitur.

¹⁶⁵⁾ Pars epistolae, quae ad dedicationem affinet et quam superius (in comm. 94.) citavimus, in foll.: 342v—44v, in editione superius memorata (v. comm. 163.) in pagg. 352—54. invenitur; sententiae 2. et 1. dedicationis decadis V. in editione in pagg. 353.

¹⁶⁶⁾ V. superius profusius, ubi de historia codicum et editionum locutus sumus. — Szabó, Károly (Carolus)—Hellebrant, Árpád, Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Hungarica Vetus), tomus III., pars I., Budapest, 1896., no. 344 (pag. 105.).

¹⁶⁷⁾ Append. I. a), 11.

¹⁶⁸⁾ Haec Coronis mutata in editionibus s, f, h et i quoque invenitur.



anno MDXLIII. Cum Caesareae maiestatis gratia et privilegio ad sex annos. - Fol. a 1 v: vacuum. - Foll. a 2 r—3 v: Dedicatio Brenneri ad Franciscum a Rewa: Append. I. a). - Foll. a 4 r—5 r: Praefatio Bonfinii ad Wladislaum II. regem. - Fol. a 5 v: „Robertus Winter viris doctis s.“: Append. I. b). - Fol. a 6 r: „Catalogus auctorum, quorum testimonio Bonfinius in hisce tribus decadibus usus est“: Append. I. c). - Pagg. 1—536.: tres priores decades Bonfinii (et quidem decas I.: pagg. 1—164., decas II.: pagg. 165—351., pag. 352. vacuum, decas III.: pagg. 353—536.). - Foll. aa 5 r—6 r: Ioannes Herold: Chronologia Pannoniae una cum dedicatione ad lectorem. - Fol. aa 6 v: vacuum. - Foll. bb 1 r—ff 6 v: „Ungaricae historiae Coronis“ (fol. bb 1 r: „Ungaricae historiae Coronis“; fol. bb 1 v: Argumentum Coronidis; foll. bb 2 r—cc 4 r: Michaelis Ritii Neapolitani de regibus Hungariae libri II; fol. cc 4 v: „Epitomes Michaelis in Chronica Hungariae finis“; foll. dd 1 r—5 r: P[hilippi] Callimachi Experientis Attila; fol. Dedicatio Vincentii Opsopoei ad Sebastianum Hallerum legum imperialium doctorem editioni anni 1531. [Hagenoae] carminis T. Alexandri Cortesii praemissa; fol. dd 6 r: Dedicatio Cortesii ad Mathiam regem; fol. dd 6 v: Carmen Cortesii titulo „Ad librum“; foll. ee 1 r—ff 6 v: „T. Cortesii de Mathiae regis laudibus bellicis“);¹⁶⁹⁾ fol. ff 6 v: „Chartarum series“ et „Basileae per Robertum Winterum anno MDXLIII.“ — Aliquot exemplaribus¹⁷⁰⁾ huius editionis accedunt foll. gg 1—II. 5. titulo: „Annotationes in historiam Bonfinii“ [fol. gg 1 r: „Annotationes in historiam Bonfinii“; fol. gg 1 v: vacuum; foll. gg 2 r—3 v: Dedicatio Ioannis Herold Acropolitae ad Franciscum a Rewa praefectum praetorio Ungariae: Append. I. d) 1.; foll. gg 4 r—II. 5. v: Annotationes Ioannis Herold Acropolitae ad tres decades Bonfinii: Append. I. d) 2.]

^{c171)} — 1565., Claudiopolis, Caspar Heltus;¹⁷²⁾ formatum: 2. E libris IV., VII—IX. partes¹⁷³⁾ et quidem sententiis correctis, interpositis, mutatis et mutilatis, et liber X. totus decadis III. correctus secundum editionem b et tunc primum libri I—VI decadis IV. e codice Michaelis Czaky (x₃) editi sunt. Quod e decade III. editum

¹⁶⁹⁾ Hoc carmen Cortesii una cum dedicatione Cortesii ad Mathiam regem scripta et carmine Cortesii „Ad librum“ iam in hac Bibliotheca ab I. Fögel editum est.

¹⁷⁰⁾ De his v. profusius, ubi de historia codicum et editionum loquebamur. — Quae exemplaria valde rara sunt; quoddam in Bibliotheca Apponyiana (in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici, Budapest) invenitur, no. 292. (V. profusius: Apponyi, Sándor, Hungarica I. o. c. [v. comm. 89.] pagg. 206—07.)

¹⁷¹⁾ V. de hac editione, ubi de historia codicum et editionum locuti sumus. — Conf. Szabó, Károly (Carolus), Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Hungarica Vetus). Tomus II. Budapest, 1885., no. 97. pagg. 22—23.

¹⁷²⁾ Hungarice: Heltai Gáspár (c. 1520—75.).

¹⁷³⁾ E libro IV.: 259.; IX.: 194—96; IV.: 258—61; IX.: 196—202.; IV.: 261—71.; VII.: 4., 22—29.; VIII.: 10—32., 134—39., 149—53., 225—28., 231., 243—70., 372., 374., 380., 389—90; IX.: 1—44., 73—83., 85—157., 159—90., 290—92., 304. (v. in tomo III. commentaria paginarum 254., 259., 261. et 263.).

est, ad verbum non contulimus. Quae editio valde rara est. Multa menda typographica habet; quae nos maximam partem ex Annotationibus Criticis reliquimus; correctura typographica valde negligenter effecta est: pluries verba, immo versus in textu conversi inveniuntur. Heltus, ut editionem suam usui aptiorem faceret, textui marginalia apposuit, quae, quia haec editio — excepta editione 1¹⁷⁴) — omnibus editionibus ignota erat, editionibus s, f, h et p desunt, editio autem ipsa denuo toti operi composuit, quae editio l quoque parum mutata transumpsit. — In editione diphthongi ae et oe sunt. — Fol.)(1 r: Tit. Historia inclyti Matthiae Hunnyadis regis Hungariae augustissimi ex Antonii Bonfinii historici disertis libris decadis primum tertiae, deinde quartae (quae latuit haecenus nullibi que impressa fuit) in unum congesta ac disposita a Caspare Heito Claudiopolitanae ecclesiae ministro ac typographo. . . . Claudiopoli in Transylvania, anno post datum et natum Messiam 1565. — Fol.)(1 v vacuum; foll.)(2 r—)(6 r: Praefatio ad lectorem Basilius Fabrici Szikszoviani: Append. II. a); foll.)(v: vacuum; foll. () r—v: Epigramma Basilius Fabricii: Append. II. b); fol. () 1 v: Aliud Michaelis Paxii: Append. II. c); foll. () 1 v—() 2 r: Aliud Pauli Turii Iunioris: Append. II. d); foll. () 2 r—v: Aliud Adami Thordensis: Append. II. e); fol. () 2 v: Aliud Gasparis Decii: Append. II. f); foll. () 2 v—() 3 r: Aliud Pauli Miscolcii: Append. II. g); fol. () 3 r: Aliud Demetri Hunyadi: Append. II. h); fol. () 3 v: Aliud Pauli Iulensis: Append. II. i); fol. () 3 v—() 4 r: Aliud Lucae Cracerei Bistriciensis: Append. II. l); foll. () 4 r—v: Aliud Francisci Copacii: Append. II. m); fol. () 4 v: Aliud Iohannis Quinqueecclesiensis: Append. II. n); foll. () 4 v—() 5 r: Aliud Valentini Tolnensis: Append. II. o); fol. () 5 r: Aliud Iohannis Zilahini: Append. II. p); fol. () 5 r—v: Aliud Georgii Serarii Claudiopolitani: Append. II. q); fol. () 5 v—() 6 r: Aliud Demetrii Agricola Szikszai: Append. II. r); foll. () 6 r—v: Aliud Iohannis Pesthii: Append. II. s); foll. A 1 r—A 2 r: Caspar Heltus de Bonfinio et origine Hunyadiorum: Append. II. t); foll. A 2 r—C 2 r: Excerpta e libris IV., VII., VIII. et IX. decadis III.; foll. C 2 v—E 6 r: Liber X. decadis III.; fol. E 6 v: vacuum; foll. F 1 r—X 1 r: Libri I—VI. decadis IV. hoc titulo: Antonii Bonfinii Rerum Hungaricarum decas quarta nunc primum e tenebris eruta et antehac nullibi impressa seu excusa; fol. X 1 v: Epilogus Casparis Helti: Append. II. u); foll. X 2 r—X 4 r: Carmen Iani Pannonii in nomine Mathiae Corvini ad Antonium Constantium hoc titulo: Matthiae Hunnyadis regis Hungariae versus, quibus Antonium Constantium poetam compellat,¹⁷⁵) fol. X 4 v: vacuum.

¹⁷⁴) Editor editionis l Carolus Andreas Bel se editionem c novisse non memorat, textu autem collato apparuit eum hac editione usum esse.

¹⁷⁵) Hoc carmen est quaedam elegia Iani Pannonii in nomine Mathiae regis scripta.

s¹⁷⁶⁾ — 1568., Basilea, Ioannes Sambucus; formatum: fol. — Editio prima totius operis Bonfinii excepta quinta decadis dedicatione. Sambucus in edendis tribus prioribus decadibus editione b et aliquantulum codice e, partim, quia, ut videtur, textum editionis b meliorem, quam codicis e aestimavisset, partim, quia sic textu editionis b secundum codicem e corrigendo faciliorem laborem sibi suscepit. Editionem c certo ignoravit; in edenda decade IV. codice Revaiorum (x₅) et apographo Christophori Trecii¹⁷⁷⁾ de eodem codice facto (x₆) et in edendis decadibus V. quinque libris codice Francisci Forgach (x₈) et apographo eiusdem Trecii de eodem codice facto (x₉) usus est. Apographa Trecii Oporinus typographus Sambuco tradidit, qui fortasse haec non ad verbum codicibus contulit. Sambucus autem, ut videtur, parum libere textum tractavit; sic, si bene suspicamur,¹⁷⁸⁾ ille dedicationem decadibus V. reliquit, item reliquit quasdam partes e decadibus IV. libro V., quae Viennam non adulabantur, sicut ex editione c statui certo potuit. Dedicationem decadibus V. ideo reliquit, ne qui crederent Bonfinium apoplexia tactum quinque libros eius decadibus non plane perfecisse. Ceterum textum, ut statui potest, insolenter ad arbitrium non immutavit. — Sambucus in titulo scribit se priores tres decades diversis aliquot codicibus manuscriptis collatis edidisse, quod ita credendum esse videretur¹⁷⁹⁾ Sambucum codice e et fontibus manuscriptis, quos Bonfinius adhibuisset, usum esse, in editione enim anni 1581. (f) iam plane sic loquitur.¹⁸⁰⁾ Omnium editionum; quae usque ad hoc tempus in lucem prodierunt, iure optima dici potest; menda typographica pauca inveniuntur, quae a nobis maximam partem ex Annotationibus Criticis relictae sunt. Editio satis rara est. In textu diphthongi ae et oe sunt. — Pag. 1.: Tit.: „Antonii Bonfinii Rerum Ungaricarum decades quatuor cum dimidia, quarum tres priores ante annos XX Martini Brenneri Bistriciensis industria editae iamque diversorum aliquot codicum manuscriptorum collatione multis in locis emendatiores, quarta vero decas cum quinta dimidia nunquam antea excusae Ioan. Sambuci Tirnaviensis, Caes. maiest. historici etc. opera et studio nunc demum in lucem proferruntur una cum rerum ad nostra usque tempora gestarum ap-

¹⁷⁶⁾ V. profusius, ubi de historia codicum et editionum locuti sumus. — Conf. Szabó, Károly (Carolus)—Hellebrant, Árpád, Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Hungarica Vetus). Tomus III, pars I. Budapest 1896, no. 570. (pagg. 167.). Alexander Apponyi, Hungarica. Ungarn betreffende im Auslande gedruckte Bücher und Flugschriften. München, 1927., no. 1823. (tom. IV., pagg. 248—49.).

¹⁷⁷⁾ V. superius partem Introductionis de historia codicum et editionum scriptam. — Sambucus Trecium nomine non memorat, scimus autem ex epistola Oporini ad Sigismundum Tordam scripta (v. comm. 102.). Trecium apographa librorum decadibus IV. et V. ad Oporinum misisse, qui, cum Sambucus apud eum decades Bonfinii editurus haec apographa, ut iis in edendo textu uteretur, ei certo tradidisset. [Append. III. 1. a), 42.]

¹⁷⁸⁾ V. superius Introductionem de historia codicum et editionum.

¹⁷⁹⁾ Satis obscure enim scribit Sambucus, fortasse ideo, ut plures codices adhibiti credantur et sic editio maioris pretii esse existimetur.

¹⁸⁰⁾ V. editionem f, quid in pagg. 13. contineatur: Secuti—Vale. [V. Append. III. 1. b).]

pendicibus aliquot, quorum seriem versa pagina indicabit. Accessit etiam locuples rerum et verborum toto opere memorabilium index. Cum Caes. maiest. gratia et privilegio ad annos sex Basileae, ex officina Oporiniana. 1566.“; Pag. 2.: „Eorum, quae hoc opere continentur, catalogus“; pagg. 3—8.: Dedicatio Sambuci ad Maximilianum I. [(Append. III. 1. a)]; pagg. 9—11.: Dedicatio Brenneri ad Franciscum de Rewa: Append. I. a); pag. 11.: Carmen Caroli Utenhovii in Iohannem Sambucum ad Iohannem Oporinum; pag. 12.: Quattuor carmina Caroli Utenhovii ad Maximilianum II.; pagg. 1—750.: decades Bonfinii, vel rectius in pagg. 1—106. et 136—750., nam in pagg. 107—136. Nicolai Olahi Atila¹⁸¹⁾ (editio prima) invenitur, quod opusculum post sent. 92. lib. VII. dec. I. insertum est; pagg. 751—56.: Appendix Sambuci de Wladislao II. et Ludcvico II.; pagg. 757—74.: Stephanus Broderith de clade in campo Mohacz; pag. 744. Appendix Sambuci de Ferdinando I.; pagg. 775—97.: Oratio et carmina et alia in Ferdinandum I. mortuum et alia; pagg. 797—808.: „Rerum ad Agriam MDLII. anno gestarum narratio Ioannis Sambuci“; pagg. 813—18.: „Expugnatio arcis Temesvari descripta per Ioannem Sambucum, 1552.“; pagg. 818—20.: „Expugnatio arcis Tokay MDLXV. anno per Lazarum Schvende etc. Sambuco auctore“; pagg. 820—32.: „Concordia Ungarica inter . . . Fridericum tertium Rom. imperatorem . . . et . . . Maximilianum Rom. et Ungariae regem . . . ex una et . . . Uladislauum Ungariae et Boemiae regem inclitumque regnum Ungariae ex altera Posenii conclusa anno MCCCCXCI.“; pagg. 832—33.: „Salaritatus regni Ungariae contra hostes annui tempore Mathiae et ante ipsum, quem Uladislauus rex in campo Rakos etiam proposuit 1504. . .“; pagg. 833—34.: „Sambucus lectori“; pagg. 834—37.: „De reddita Mathiae corona et foedere inter . . . Fridericum III. imperatorem et . . . regem Mathiam“; pagg. 837—39.: Ioannes Herold: Chronologia Pannoniae una cum dedicatione ad lectorem; pagg. 840—90.: Ungaricae historiae coronis haec opera complectens; pagg. 840—56.: De regibus Hungariae libri II Michaelis Ritii Neapolitani, pagg. 856—65.: Atila P(hilippi) Callimachi Experientis,¹⁸²⁾ pagg. 867—90. T. Alexander Cortesius de Mathiae Corvini regis Ungariae laudibus bellicis carmen una cum dedicatione Cortesii ad Mathiam regem¹⁸³⁾ in pag. 866. et carmine Ad librum in pag. 866, quibus praecedit in pag. 865. dedicatio editionis carminis Cortesii a. 1531. (Hagenoa) a Vincentio Opsopoeo ad Sebastianum Hallerum legum imperialium doctori scripta; pagg. 891—96.: „Reges Ungariae ab anno Christi CDI. ad MCIJLXVII. (sic; 2067. pro MDLXVII.) per Ioan. Sambucum versus descripti“; pagg. 897.: Dedicatio Chronologiae de regibus Hungaricis Abrahami Bakschay ad Albertum a Lasko palatino terrae Syradiensis; pagg. 898—900.: Carmina Andreae Tricesii, Ioannis a Lasko, Ioannis Sveidnicii Silesii, Adami Schroteri ad Abrahamum Bakschay et ad Chronographiam (s. Chrono-

¹⁸¹⁾ In hac Bibliotheca iam apparuit. (Edd. C. Eperjessy—L. Juhász.)

¹⁸²⁾ In hac Bibliotheca iam apparuit. (Ed. Ti. Kardos.)

¹⁸³⁾ In hac Bibliotheca iam apparuit. (Ed. I. Fögel.)

logiam) eiusdem; pagg. 901—20.: Chronologia de regibus Hungaricis;¹⁸⁴⁾ pagg. 921—22.: „Illustrissimi domini Alberti a Lasko palatini Syradien. etc. exhortatio ad milites in expeditione Moldavica, cum Iacobum Basilicum despotam in regnum introduceret anno domini 1561.“; pagg. 922—23.: „Praecepta aliquot imperatoria Sambuci“; pag. 924.: vacua; foll. I I I r—6 v: „Rerum et verborum in hac historia memorabilium index“; fol. I I 7 r: „Errata inter excudendum commissa sic emendabis“; fol. I I 7 v: „Basileae per Bartholomaeum Franconem et Paulum Quecum sumptibus partim successorum Oporini, partim Sigismundi Feirabent anno domini MDLXVIII., mense Martio“.

f¹⁸⁵⁾ — 1581., Francofurtum, Ioannes Sambucus; formatum: fol. — Editio. quod ad argumentum attinet, paene eadem est, atque editio s;¹⁸⁶⁾ dedicatio decadis V. quoque deest. — Sambucus in textu trium decadum priorum edendo editionem s editione b collata fundamento posuit, et quidem eo modo, ut textum decadis primae et quattuor priorum librorum decadis secundae, quod ad lectiones maioris momenti variantes attinet, secundum editionem b manifestis quoque mendis acceptis correxerit, textum autem librorum V—X. decadis secundae et decadis tertiae paene immutatum ex editione s transumpserit et variantes maioris momenti omnium priorum trium decadum lectiones, quae inter duas editiones exstarent, in pagg. 13—15. annotaverit. Hanc autem laborem, ut videretur et suspicamur, omnem non solus Sambucus sibi suscepit. Nec haec editio editionem c novit. In editione diphthongi ae et oe sunt. Menda typographica non multa in editione inveniuntur, quorum maximam partem in Annotationibus Criticis non assumpsimus. Haec editio non est rara. — Index ab indice editionis s mutatus et auctus est. — Pag. 1.: „Antonii Bonfinii Rerum Ungaricarum decades quatuor cum dimidia. His accessere Ioan. Sambuci aliquot appendices et alia una cum priscorum regum Ungariae decretis seu constitutionibus, quarum narrationes Bonfini obiter meminere et quae pagina 16. indicat. Omnia nunc denuo recognita, emendata et aucta per Ioan. Sambucum Caes. maiest. consiliarium et historicum cum indice copiosiss. (Sigillum typographi.) Francofurti apud Andream Wechelum MDLXXXI. cum privilegio decem annorum“; pag. 2.: „Rhodolpho II. imp. d. Maximill. II. f., virtutum imperiique successoris feliciss., domino suo clementiss. etc. hanc Bonfinii auctam recensitamque a se editionem una cum appendicibus subiectissime dedicabat eiusdem maiestatis clientulus, consiliarius et

¹⁸⁴⁾ Cuius editionem in hac Bibliotheca nunc Fr. Wagner praeparat.

¹⁸⁵⁾ V. de hac editione superius, ubi de historia codicum et editionum locuti sumus. — Conf. Szabó, Károly (Carolus)—Hellebrant, Árpád, Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Hungarica Vetus). Tomus I., pars I., no. 706. (pagg. 205—06), Apponyi, Sándor Hungarica, o. c. no. 481. (tom I., pagg. 325—26.).

¹⁸⁶⁾ Athila Nicolai Olahi ex opere Bonfinii excerpta in Coronide collocata est; dedicatio Chronologiae Ioannis Herold, praeterea aliquot opuscula a Sambuco scripta relicta sunt; Index mutatus et partim auctus est.

historicus etc. Ioan. (sic) Sambucus d. 1581. Viennae“; pagg. 3—8.: Dedicatio Sambuci ad Maximilianum II.: Append. III. 1. a); pagg. 9—10.: Dedicatio Brenneri ad Franciscum a Rewa: Append. I. a); pagg. 11—12.: Dedicatio Antonii Bonfinii ad Uladislauum; pag. 13.: „Lectori s. Secuti sumus hac editione priores tres decades Bonfinii ex regio illo dn. Revaorum ac Brenneri codice ac, ne cui fraus facta videretur, varietatem ex Oporini impressione, quae aliquot locis ex codice Polonico (forte Lasciano) et aliis, quos laudat Bonfinius, lacunulas nominaque subiecerat, sine disputatione hic apposuimus. Tu hoc studium boni consules atque erratula levicula, praesertim typica, si occurrent aequae accipies. Vale!“; pagg. 13—15.: Variantes lectiones; pag. 15.; „Catalogus auctorum . . .“: Append. I. c); pag. 16.: „Index eorum, quae hoc opere praeter tres Bonfinii priores decades exhibentur . . .“; pagg. 1—733. Quattuor decades Bonfinii cum dimidia; pagg. 734—37.: „Brevis appendix de eodem Ladislao (sc. Uladislao II.) et reliquis per Ioannem Sambucum Tirnaviensem“; pagg. 738—42.: „Contractus matrimoniorum regalium inter . . . quondam Ludovicum Ungariae regem et Mariam regis Hispaniarum filiam necnon . . . Ferdinandum tunc archiducem Austriae et Annam Ladislai regis Ungariae filiam medio Maximiliano imperatoris factus“; pagg. 742—54.: „Concordia Ungarica inter . . . Fridericum III. Roman. imperatorem . . . et . . . Maximilianum Rom. et Ungariae regem . . . ex una et . . . Uladislauum Ungariae et Boemiae regem inclytumque regnum Ungariae ex altera Posonii conclusa anno MCCCCXCI.“; pagg. 754—56.: „De Ludovico rege“ (auctore Io. Sambuco); pagg. 757—74.: „Broderithi descriptio recognita a Samb.“ (sc. de clade in campo Mohacz); pagg. 774—75.: „De Ferdinando rege Samb.“; 775—90.: „In obitum imp. Ferdinandi primi oratio Ioan. Sambuci“; pagg. 790—91.: „Loco tumuli eidem. Posteritati sacrum“ (auctore Io. Sambuco in prosa); pagg. 791—803.: „Rerum ad Agriam MDLII. anno gestarum narratio Io. Sambuci“; pagg. 803—06.: „Obsidionis Zigeth brevissima veraque expositio anno 1553. Samb.“; pagg. 807—12.: „Expugnatio arcis Temesvari descripta per Ioannem Sambucum 1552.“; pagg. 812—14.: „Expugnatio arcis Tokay MDLXV. anno per Lazarum a Schvende etc. Sambuco auctore“; pag. 815.: „Christiano lectori Sambucus“ de Maximiliano II. mortuo; pagg. 816—26.: In moerore funeris d. Maximiliani II. laudatiuncula Sambuco auctore“; pagg. 826—27.: „Elogium epitaphium d. Maximil. secundi per Samb.“; pag. 827.: „Maximil. ad viatorem“ (carmen Sambuci); pag. 827.: „Epitaphium“ de Maximiliano; pagg. 827—30.: „De corona sereniss. Rodolphi regis Ungariae etc., archiducis Austriae etc. Samb. oratiuncula Posonii 25. Sept. 1572.“; pagg. 831—34.: „De Giulae et Zygethi exitu 1566. Samb.“; pagg. 834—36.: „Chronologia Pannoniae per Io. Herold“; pagg. 837—914.: „Ungaricae historiae coronis . . .“ haec opera complectens: pagg. 837—53.: „Michaelis Ritii Neapolitani de regibus Ungariae“ libri II.; pagg. 853—62.: „P(hilippi) Callimachi Experientis Attila“; pagg. 862—90.:

„Nicolai Olahi metropolitae Strigoniensis, primatis Hungariae . . . Átila“; pagg. 892—914.: „T. (Alexandri) Cortesii de Matthiae Corvini regis Ungariae laudibus bellicis carmen“, cui praecedunt pag. 891. dedicatio editionis carminis Cortesii a. 1531. (Hagenoa) a Vincentio Opsopoeo ad Sebastianum Hallerum legum imperialium doctori scripta et pagg. 891—92. dedicatio Cortesii ad Matthiam regem et pag. 892. carmen eiusdem „Ad librum“; pagg. 914—35.: „Abrahami Bakschay Schemnicensis Pannonii . . . Chronologia de regibus Hungaricis“; pagg. 936—37.: „Illustrissimi domini Alberti a Lasco palatini Syradien. etc. exhortatio ad milites in expeditione Moldavica, cum Iacobum Basilicum despotam in regnum introduceret anno domini 1561.“; pagg. 937—43.: De tribus summis in imper. virtutibus gnomae generales ad invictiss. Caesarem Rodolphum II. auctore Sambuco, una cum carmine dedicatorio; pag. 944. vacua; foll. LL 1 r—NN 4 v (foll. 14): Rerum in hisce Bonfinii decadibus et caeteris notatu digniorum index epitomes vicem praestans“; fol. ae 1 r: „Decretorum seu articulorum aliquot priscorum Ungariae regum ad contextum Bonfinii illustrandum forique Pannonici usum necessariorum liber nunc primum typis proditus. (Sigillum typographi.) Francofurti apud Andream Wechelum MDLXXXI. Cum privilegio Caes. maiest. ad decennium“; fol. ae 1 v: vacuum; fol. ae 2 r: „Lectori sincero ac vetustatis amanti s.“; foll. ae 2 v—3 v: Aliquot insolentium vocum in articulis Pannonicis interpretatiunculae Sambuci“; fol. ae 4 r: „Regum Ungariae et aliorum decreta in hoc libro contenta“; fol. ae 4 v: vacuum; pagg. 1—114.: Decreta; pag. 114.: Francofurti excudebat Andreas Wechelus anno salutis MDLXXXI.; pag. 115. vacua; pag. 116: sigillum typographi.

^{h187)} — 1606., Hanovia, editor ignotus. Formatum: folium. — Haec editio non est alia, atque editio f iterum impressa,¹⁸⁸⁾ ita autem, ut editor in decade I. et in libris I—IV. decadis II. variantes lectiones editionis b secundum apparatus criticum editionis f in pagg. 13—15. compositas in variantes lectiones editionis s immutaverit; hoc modo textus editioni s propius accessit. Editio, ut e textu collato apparuit, nonnumquam editiones b et s quoque inspexit. Editionem c plane ignoravit. Menda typographica partim ex editione f transumpta, partim satis aucta sunt, quae maximam partem a nobis ex Annotationibus Criticis relicta sunt. In editione ae et oe

¹⁸⁷⁾ Conf. superius partem Introductionis, ubi de historia codicum et editionum diximus. — V. Szabó, Károly (Carolus)—Hellebrant, Árnád, Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Hungarica Vetus). Tomus III., pars I. (Budapest, 1896.), no. 1027. (pagg. 305.).

¹⁸⁸⁾ Tam similis est haec editio h editioni f, ut multi erronee crediderint hanc editionem h non esse aliam, atque editionem f solo tituli folio et aliquot foliis iterum impressis. Tam similis est haec editio h editioni f, ut paginae paginis et versus versibus (paucis exceptis) conveniant, apparatus criticus quoque immutatus relictus est, quamquam apud decadem I. et libros I—IV. decadis II. corrigi debebat; permulta menda typographica quoque transumpta sunt; in fine Decreta quoque edita sunt.

diphthongi sunt. Indicem autem non immutatum ex editione f accepit, sed nomina propria partim reliquit, partim auxit. Haec editio multa exemplaria habet. — Pag. 1.: Tit.: „Antonii Bonfinii Rerum Ungaricarum decades quatuor cum dimidia. His accessere Ioan. Sambuci aliquot appendices et alia una cum priscorum regum Hungariae decretis seu constitutionibus, quarum narrationes Bonfinii obiter meminere et quae pagina 16. indicat. Tertium omnia recognita, emendata et aucta per Ioann. Sambucum Caesar. maiest. consiliarium et historicum. Cum indice copiosiss. (Sigillum typographi.) Hanoviae, typis Wecheliani apud Claudium Marnium et haeredes Ioannis Aubrii. MDCVI. Cum gratia et privilegio s. Caes. maiest. ad decennium^r. — Reliqua pars editionis, quod ad paginas (de pagina in paginam) attinet, eadem est, ac editio f (in quadam parte registra aliter signantur; in fol. ae l r (apud Decreta) nomen typographi immutatum est).

ⁱ¹⁸⁹⁾ — 1690., Coloniae Agrippinae; editor ignotus. Formatum: 2-o. — Paene eadem editio est, atque editio h,¹⁹⁰⁾ qua ut manuscripto typographico in edendo utebatur. Huic editioni quoque deest, sicut editionibus superioribus et inferioribus, dedicatio decadis quintae. Nonnumquam et quidem raro editionem s inspexit, alias editiones, ut in tituli pagina eas enumerat, novit, sed in edendo non adhibuit. In hac editione autem permulta menda typographica inveniuntur, qua de causa iure reprehendenda est; menda partim paene omnia ex editione h derivata sunt, partim magnopere novis aucta sunt, quae nos partim in Annotationibus Criticis assumpsimus. In editione diphthongi ae et oe sunt. Merita sunt huius editionis: in unaquaque pagina duae columnae sunt; margini argumenta ascripta sunt;¹⁹¹⁾ singuli libri in permultas minores continentes partes (paragraphos), quae lectoribus, quod ad perspicuitatem attinet, maximo adiumento sunt et editionem longe utilissimam commodamque reddunt, divisa est; coniecturae et correctiones satis multae inveniuntur. Editio copiosiore indice, quam editiones priores, instructa est. Haec editio satis propagata est. — Pag. 1.: Tit.: Antonii Bonfinii Historia Hungarica; pag. 2. vacua; pag. 3.: Antonii Bonfinii Historia Pannonica seu Hungaricarum Rerum decades IV et dimidia libris XLV comprehensae, quibus eiusdem regni populorumque origines et antiquitates, provinciarum descriptiones mores et consuetudines, fluminum ortus et tractus, expeditionum et

¹⁸⁹⁾ V. superius, ubi de historia codicum et editionum locuti sumus. — Conf. Szabó, Károly (Karolus)—Hellebrant, Árpád, Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Hungarica Vetus). Tomus III., pars II. Budapest, 1898., no. 3633. (pagg. 379–80.).

¹⁹⁰⁾ Non solum opus Bonfinii, sed etiam alia opera inveniuntur. „De reddita Matthiae corona. . .“ post librum VIII. decadis IV., item Decreta ante Indicem ponebantur.

¹⁹¹⁾ Et quidem non solum operi Bonfinii, sed aliis quoque opusculis editionis — Editor editionem c ignoravit, ubi primo haec marginalia adhibita sunt. — Nos quoque his marginalibus mutatis usi sumus, cum Argumenta singularum decadum composuimus.

rerum belli domique gestarum commentaria copiosissima ad curiosam lectoris scientiam edisseruntur. Accedunt tractatus aliquot seu appendices variorum auctorum et rerum una cum priscorum regum Hungariae decretis et constitutionibus auctore Ioanne Sambuco. Editio haec postrema in commodiores paragraphos distincta, clarioribus et marginalibus illustrationibus utrobique locupletata et copiosiori indice rerum et verborum exornata. Coloniae Agrippinae, sumptibus haeredum Ioannis Widenfeldt et Godefridi de Berges. Anno MDCLXXX. Cum privilegio s. C. maiestatis; pag. 4. vacua; pagg. 5—10.: Dedicatio Sambuci ad Maximilianum II.: Append. III. 1. a); pagg. 11—12.: Dedicatio Brenneri ad Franciscum a Rewa: Append. I. a); pagg. 13—14.: Dedicatio Bonfinii ad Uladislauum; pag. 15. talogus auctorum, quorum testimonio Bonfinius in his decadibus usus est: Append. I. c); pag. 16.: „Index eorum, quae hoc opere praeter tres Bonfinii priores decades exhibentur . . .“; pagg. 1—535.: Decades quattuor Bonfinii cum dimidia; pagg. 536—38.: „Brevis appendix de eodem Ladislao (sc. Wladislao II.) et reliquis pel (sic; pro per) Ioannem Sambucum Tirnaviensem“; pagg. 539—42.: Contractus matrimoniorum regalium inter . . . quondam Ludovicum Hungariae regem et Mariam regis Hispaniarum filiam necnon . . . Ferdinandum tunc archiducem Austriae et Annam Ladislai regis Ungariae filiam medio Maximiliani imperatoris factus“; pagg. 542—56.: „Concordia Ungarica inter Fridericum III. Roman. imperatorem . . . et . . . Maximilianum Rom. et Ungariae regem . . . ex una et . . . Uladislauum Hungariae et Bohemiae regem inclytumque regnum Hungariae ex altera Posonii conclusa anno MCCCXCI.“ (sic; pro MCCCXCI.); pagg. 556—58.: „De Ludovico rege“ (auctore Sambuco); pagg. 558—67.: „Broderithi descriptio recognita a Sambuco“ (sc. de clade in campo Mohacz); pagg. 567—68.: „De Ferdinando rege, Samb.“; pagg. 568—79.: In obitum imp. Ferdinandi primi oratio Ioan. Sambuci“; pag. 580.: „Loco tumuli eidem, posteritati sacrum“; pagg. 580—89.: „Rerum ad Agriam MDLII. anno gestarum narratio Ioan. Sambuci“; pagg. 590—92.: „Obsidionis Zigeth brevissima veraque expositio a Turcis frustra tentata anno 1553. Sambuco authore“; pagg. 593—96.: „Expugnatio arcis Temesvari a Turcis descripta per Ioannem Sambucum anno 1552.“; pagg. 597—99.: „Expugnatio arcis Tokay MDLXV. anno per Lazarum a Scvende etc. Sambuco authore“; pag. 600.: „Christiano lectori Sambucus“ de Maximiliano II. mortuo; pagg. 600—07.: „In moerore funeris d. Maximiliani II. laudatiuncula Sambuco authore“; pag. 608.: „Eulogium et epitaphium d. Maximiliani II. per Sambucum“; pag. 608.: „Maximil. ad viatorem“ carmen Sambuci; pag. 608.: „Epitaphium“ in Maximilianum II. Sambuco auctore; pagg. 609—11.: „De corona serenissimi Rodolphi regis Hungariae etc. archiducis Austriae“ etc Samb. oratiuncula. Posonii 25. Sept. 1572.“; pagg. 611—14.: „De Giulae et Zigethi exitu 1566. Sambuco authore“; pagg. 614—16.: „Chronologia Pannoniae per Io. Herold“; pagg. 617—80.: „Historiae Ungaricae coronis . . .“ haec

opera complectens; pagg. 617—29.: „Michalelis Ritii Neapolitani de regibus Ungariae“ libri II, pagg. 630—36.: „P(hilippi) Callimachi Experientis Attila, pagg. 637—59.: „Nicolai Olahi metropolitae Strigoniensis, primatis Hungariae . . . Atila“; pagg. 660—80.: „T. (Alexandri) Cortesii de Mathiae Corvini regis Ungariae laudibus bellicis carmen“, cui praecedunt pag. 659. dedicatio editionis carminis a. 1531. (Hagenoa) a Vincentio Opsopoeo ad Sebastianum Hallerum legum imperialium doctori scripta et pagg. 659—60. dedicatio Cortesii ad Matthiam regem et pag. 660. carmen eiusdem „Ad librum“; pagg. 680—96.: „Abrahami Bakschay Scemnicensis Pannonii . . . Chronologia de regibus Pannoniae“; pagg. 697—98.: „Illustrissimi domini Alberti a Lasco palatini Siradiensis (sic) etc. exhortatio ad milites in expeditione Moldavica, cum Iacobum Basilicum despotam in regnum introduceret anno 1561.“; pagg. 698—702.: „De tribus summis in imper. virtutibus gnomae generales ad invictiss. Caesarem Rodolphum II.“ auctore Sambuco, una cum carmine dedicatorio; fol. † 1 r: „Liber decretorum sive articulorum aliquot priscorum Ungariae regum ad contextum Bonfinii illustrandum forique Pannonici usum necessariorum nunc denuo typis proditus“; fol. † 1 r: „Lectori sincero ac vetustatis amanti s.“; foll. † 1 v—2 v: Aliquot insolentium vocum in articulis Pannonicis interpretatiunculae Sambuci“; fol. † 2 v: „Regum Ungariae et aliorum decreta“ (index); pagg. 1—79. Decreta; pag. 80. vacua; foll. † 1 r—†† 4 v (pagg. 16): „Index praecipuarum rerum et sententiarum, quae hoc opere continentur“.

p¹⁹²⁾ — A)¹⁹³⁾ 1744., Posonii (Christophorus Erdoedy). — B)¹⁹⁴⁾ 1744., Posonii, sumptibus Ioannis Michaelis Kochberger. — C)¹⁹⁵⁾ 1744., Viennae Austriae. — D)¹⁹⁶⁾ 1744., Viennae. — E)¹⁹⁷⁾ Budae. — Formatum: 2-o. — E quinque editionibus editio B) editio fundamentalis est.¹⁹⁸⁾ In Tabula genealogica codicum et editionum (v. pag. XVII.) editio a. 1744. delineata est. — Editionem quidam pater nomine ignotus e Societate Iesu prelo mandavit. — Hae quinque editiones alia post aliam hoc modo in lucem prodierunt: A) Liber gradualis.¹⁹⁹⁾ Cum comes Christophorus Erdoedy de Monyorókerék gradum doctoratus adipisci vellet, cuidam patri e Societate Iesu

¹⁹²⁾ V. superius profusius, ubi de historia codicum et editionum locuti sumus.

¹⁹³⁾ Exemplaria huius editionis satis rara sunt (Budapest: Fővárosi Könyvtár, Akadémia).

¹⁹⁴⁾ Permulta exemplaria huius editionis ubique inveniuntur (Budapest, Szeged, London, Paris).

¹⁹⁵⁾ Exemplaria huius editionis rara sunt (Paris).

¹⁹⁶⁾ Exemplaria huius editionis item rara sunt (Szeged, Paris).

¹⁹⁷⁾ Exemplaria huius editionis simili modo rara sunt (Budapest, Fővárosi Könyvtár, Egyetemi Könyvtár).

¹⁹⁸⁾ E singulis exemplaribus excudi creduntur: A) circa 50, e quibus a 1770. Franciscus Xaverius Fux circa editioni [(20 exemplaria accepit; B) circa 500, e quibus editioni D) circa 50 exemplaria excepta sunt; C) circa 50 exemplaria; D) circa 50 et E) circa 20 exemplaria e 50 exemplaribus editionis A).

¹⁹⁹⁾ Libri (libelli) graduales eo tempore multi excusi sunt.

mandatum decadum Bonfinii edendarum dedit, quae typis Royerianis Posenii excusae sunt; decadibus dedicationem ad Iosephum coronae principem archiducemque Austriae et positiones ex universa philosophia peripatetica praeposuit. Huius editionis maximam partem Ioannes Michael Kochberger, ut venderet, a typographo accepit. Vel fortasse credibilius est Ioannem Michaellem Kochberger dedisse mandatum decadum Bonfinii edendarum cuidam patri e Societate Iesu, cuius editionis pauca exemplaria occasione doctoratus adipiscendi Christophorus Erdoedy a Kochberger emisset et a typographo dedicationem et positiones excudendas et decadibus praeponendas curavisset. Sine dubio autem exemplaria Christophori Erdoedy in lucem primum prodierunt, qui editionem valde festinavit, qua de causa fortasse fortuito dedicatio Bonfinii ad Wladislaum regem scripta (una cum Catalogo auctorum) editioni deest; item relicta sunt propter festinatum laborem Chronologia Abrahami Bakschay et Index. — In hac editione edenda pater S. I. manuscripto typographico editione h utebatur, sed valde negligenter; editiones s, f et i²⁰⁰⁾ propter festinationem solum in primis libris; d textum corrigendum adhibuit. Permulta menda typographica in editione inveniuntur, quae ex partim editione f transumpta, partim magnopere aucta sunt, quae nos maximam partem in Annotationibus Criticis non assumpsimus. Iudicium iam eodem tempore de hac editione merito grave fuit.²⁰¹⁾ — B) Cum editio A) (exemplaria Christophori Erdoedy) in lucem prodierat, Kochberger sua exemplaria a typographo hoc modo edenda curavit: ante opus Bonfinii Praefatio (dedicatio) Bonfini ad Wladislaum regem scripta (quae propter festinationem editioni A) deest) et Catalogus auctorum, post decades autem Bonfinii Chronologia Abrahami Bakschay ab anonymo ab a. 1567.²⁰²⁾ usque ad a. 1744. continuata et Index²⁰³⁾ excusa sunt. De his exemplaribus hoc modo excusis Kochberger aliquot exemplaria Ioanni Paulo Kraus bibliopolae Viennensi vendidit. Exemplaria igitur divisa sunt, quae scilicet permulta Kochberger Posenii et quae pauca Kraus Viennae vendere voluerunt. Excudebantur igitur duae tituli paginae Posenii typis Royerianis una cum praefatione patris S. I. „Ad lectorem“²⁰⁴⁾ et quidem eo modo, ut in prelo haec verba exemplaribus Ioannis Kochberger impressa: „Posonii, typis Royerianis. MDCCXLIV. Sumptibus Ioannis Michaelis Kochberger bibliopolae penes Cameram Regiam“ in exemplaribus Ioannis Kraus in haec verba mutata sunt: „Viennae Austriae, sumptibus Ioannis Pauli Kraus ibidem negotiantis prope Palatium Regium, anno MDCCXLIV.“ — C) Haec igitur exemplaria non sunt alia, ac pauca exemplaria ab Ioanne Kochberger Ioanni

²⁰⁰⁾ Marginalia, quae in editione i exstant, non addita sunt.

²⁰¹⁾ V. Schwarz, o. c., Kemény, o. c. pagg. 317—19.

²⁰²⁾ Haec Chronologia primum in editione s (1568.) edita est, deinde in editionibus fhi et p.

²⁰³⁾ Hic Index satis copiosus est et nulli editionum superiorum similis.

²⁰⁴⁾ Append VI.

Kraus vendita, in quibus Posenii nomen Ioannis Pauli Kraus et Vienna Austria impressa sunt. — D) Quia exemplaria, quae Kraus a Kochberger emerat, pauca et brevi vendita erant, ideo Kraus a Kochberger alia pauca exemplaria emit, cuius pagina tituli denuo impressa iam aliquantulum ab editione C) differt. Typographi enim Posenienses (Royer), quia omnia exemplaria C) prius Ioanni-Kraus mittebant, ignorabant, quae inscriptio paginae tituli exemplarium C) fuisset. Exemplaribus igitur iterum Ioanni Kraus mittendis tota tituli pagina et praefatio „Ad lectorem“ a typographis denuo composita sunt secundum quoddam exemplar B) Ioannis Kochberger; in exemplaribus B) haec inscriptio erat: „Posonii, typis Royerianis. MDCCXLIV. Sumptibus Ioannis Michaelis Kochberger bibliopolae penes Cameram Regiam“, in exemplaribus C) haec inscriptio erat: „Viennae Austriae, sumptibus Ioannis Pauli Kraus ibidem negotiantis prope Palatium Regium, anno MDCCXLIV.“, exemplaribus autem Ioanni Pauli Kraus denuo mittendis haec impressa sunt: „Viennae, sumptibus Ioannis Pauli Kraus bibliopolae, MDCCXLIV.“ — E) Liber gradualis. A. 1770. Francisco Xaverio Fux ex editione A) (exemplaria Christophori Erdoedy) aliquot exemplaria coemere contigit, quibus ut libro gradualis uteretur, folium tituli, dedicationem et positiones editionis A) exemit et Budae a. 1770. a Leopoldo Francisco Landerer typographo folium tituli novum et assertiones ex universa philosophia excudi fecit. Huic igitur editioni, sicut editioni A) quoque, Praefatio (dedicatio) Bonfinii ad Wladislaum regem scripta et Catalogus auctorum necnon Chronologia Abrahami Bakschay et Index desunt. — A) Fol. innum. 1 r: Tit.: Antonii Bonfinii Rerum Hungaricarum decades quinque, quas illustrissimus dominus comes Christophorus Erdoedy de Monyorókerék, Montis Claudii et comitatus Varasdiensis perpetuus comes etc. aa. II. et philosophiae auditor emeritus, dum e praelectionibus r. p. Ionae a divo Thoma Aquinate e clericis regularibus piarum scholarum professoris positiones universae philosophiae propugnaret, dicavit et sacravit. Posenii, typis Royerianis, anno MDCCXLIV.; fol. innum. 1 v: vacuum; innum. foll. 2 r—)()()(2 r: Dedicatio Christophori Erdoedy ad Iosephum coronae principem, archiducem Austriae; fol.)()()(2 v: „Positiones ex universa philosophia peripatetica ad mentem doctoris angelici d. Thomae Aquinatis“; pagg. 1—575. Decades Bonfinii (Dedicatio Bonfinii ad Wladislaum regem scripta et „Ad Lectorem“ necnon Chronologia Abrahami Bakschay et Index desunt). B) Fol. innum. 1 r: Antonii Bonfinii civis Asculani Rerum Ungaricarum decades cum dimidia seu libri XLV gesta Hunnorum et Hungarorum a primis initiis ad annum usque r. s. MCCCCLXXXV. complexi. Adiungitur Chronologia Abrahami Bakschay ad annum MDLXVII. continuata per Anonymum usque ad praesentem. Editio post geminas Basileenses, Francofurtanam, Hanoviensem, Coloniensem sexta. (Imago.) Posenii, typis Royerianis, MDCCXLIV. Sumptibus Ioannis Michaelis Kochberger bibliopolae penes cameram regiam; fol. innum. 1 v:

vacuum; foll. innum. 2 r—v: Ad lectorem (Append. VI.); foll.)(1 r—2 r: Dedicatio Antonii Bonfinii ad Wladislaum; fol.)(2 v: „Catalogus auctorum . . .“ (Append. I. c); pagg. 1—575: Quattuor decades Bonfinii cum dimidia; pag. 576. vacua; pagg. 577—643: „Abrahami Bakschay . . . Chronologia . . .“; foll. Zzzzzzz 2 v (= pag. 644.) — Aaaaaaaa 1 r—Ooooooooo 2 v (27 pagg.): „Index rerum memorabilium, nominum propriorum . . .“; C) Tota editio eadem est, atque editio B), modo in tituli pagina pro „Posonii—regiam“ excudebantur: „Viennae Austriae, sumptibus Ioannis Pauli Kraus ibidem negotiantis prope Palatium Regium, anno MDCCXLIV.“ — D) Tota editio eadem est, atque editio B) [et C)] modo pro „Posonii—regiam“ imprimebatur: „Viennae, sumptibus Ioannis Pauli Kraus biblioplae, MDCCXLIV.“; E) Fol. innum. 1 r: Antonii Bonfinii Rerum Hungaricarum decades quinque. (Imago.) Budae, typis Leopoldi Francisci Landerer; fol. innum. 1 v: vacuum; fol. innum. 2 r: „Assertationes ex universa theologia, quas in alma ac metropolitana archiepiscopali societatis Iesu academia Budensi anno salutis MDCCCLXX. mense Iunio, die²⁰⁵⁾ publice propugnavit admodum rev. nob. excell. ac doctissimus dominus Franciscus Xaverius Fux . . . Budae, typis Leopoldi Francisci Landerer, 1770.“; fol. innum. 2 v: „Sub gratiosissimis auspiciis reverendissimi domini domini Antonii Ganóczy praepositi S. Augustini de insula Lazari cathedralis . . . Mecaenatis (sic) sui gratiosissimi“; fol. innum. 3 r—4 v: „Reverendissime domine domine Mecaenas (sic) gratiosissime!“ (Dedicatio Francisci Xaverii Fux ad Antonium Ganóczy.); fol. innum. 5 r—6 v: „Assertationes de Augustini verbi incarnati mysterio“; pagg. 1—575. Decades Bonfinii. Desunt igitur huic editioni Dedicatio Bonfinii ad Wladislaum regem scripta et Catalogus auctorum, necnon Chronologia Abrahami Bakschay et Index

²⁰⁶⁾ — 1771., Lipsiae, Carolus Andreas Bel. Formatum: folium. — Excepta decadis V. dedicatione totum Bonfinii opus editum est. Bel manuscripto typographico editione i utebatur, quam correxit respectis editionibus b,²⁰⁷⁾ s et p, immo editionem c²⁰⁸⁾ quoque, quam obtinuit, vidit et adhibuit. Ceterum de reliquis editionibus (f et h) quoque, si eas non vidit, audivit. Haec editio falso optima dicta est. Permultis in locis textum correxit et coniecturae, quas more sui temporis non composuit aut annotavit, multae inveniuntur, quamquam multa menda ex editione i transumpta sunt. Menda editionis i plerumque non invisit editionibus b, s vel c, quibus textus rectus inerat, arbitrato suo correxit. Menda typographica pauca irrepserunt, quorum nonnulla in Annotationibus Criticis assumpsimus. Haec editio minime optima,²⁰⁹⁾ immo pessima dici potest,

²⁰⁵⁾ Post verbum „die“ locus diei inscribendae vacuus relictus est.

²⁰⁶⁾ V. superius, ubi de historia codicum et editionum locuti sumus.

²⁰⁷⁾ Ad tres priores decades.

²⁰⁸⁾ Ad priores sex libros decadis IV.

²⁰⁹⁾ Nova Acta Eruditorum, 1771., Aprilis, 166. (cf. Kemény, o. c. pagg.

quia nomina propria more saeculi sui ad scripturam sui temporis immutavit sine mentione textus originalis. In editione ae et oe diphthongi sunt. Haec editio quaeque, sicut editio i, quam plerumque sequitur, singulos libros in minores continuas partes (paragraphos) divisit, item marginibus addita sunt argumenta, quae paululum mutata ex editione i transumpsit; et paragraphis et marginalibus editio multo utilior (sicut editio i quaeque) facta est.²¹⁰⁾ Permulta exemplaria huius editionis exstant Index, si prorsus non plenus, sed eo tempore optimus merito dici potuit. — Fol. * 1 r: Antonii Bonfinii Asculani Rerum Hungaricarum decades libris XLV comprehensae ab origine gentis ad annum MCCCCXCV. Editio septima. Accessit index rerum locupletissimus. Recensuit et praefatus est d. Carolus Andreas Bel seren. Saxon. elect. consil. aul., poes. prof. publ. ord. acad, decemvir et bibliothecarius. Lipsiae sumtu Ioannis Paulli Kraus bibliop. Vindobon. MDCCLXXI. — fol. * 1 v: vacuum; fol. * 2 r—v. Praefatio (Append. VII.); pagg. 1—759.: Totum opus Bonfinii excepta decadis V. dedicatione; foll. Dddd 1 r—Rrrrr 1 v: „Index rerum“; fol. Rrrrr v: Errata.

IV. — De editionibus particularibus.

Has editiones in Tabula genealogica codicum et editionum (pag. XVII.) perspicuitatis gratia non delineavimus.

Editiones b et c, quamquam editiones particulares sunt, tamen eas in superiore parte tractavimus, quia editiones principales sunt.

1.²¹¹⁾ — 1598, Argentinae. — Quattuor orationes e: itae sunt ex editione f in hoc opere tribus voluminibus exstanti: Orationum ex historicis tam veteribus, quam recentioribus in eloquentiae studiosorum gratiam, secundum tria causarum et res his convenientes tres in partes ita congestarum ac digestarum, ut singularum περιόχαι extent, argumenta docentia, conciliantia, moventia una cum colloctione, locis communibus atque sententiis, usu denique comprehendantur, pars prima . . . , pars secunda . . . , pars tertia . . . auctore Melchioro Iunio. Argentinae, MDXCIIIX. — In parte I. tres orationes: 1.: pagg. 54—57.: dec. III., lib. 9., 33—72.; 2.: pagg. 58—62.: dec. III. lib. 1., 71—109.; 3.: pagg. 306—07.: dec. II., lib. 7., 129—41. — In parte II. oratio sola: pagg. 255—59.: dec. IV. lib. 9., 193—219. — In parte III. nulla oratio ex opere Bonfinii edita est. — Formatum: 8-o.

2.²¹²⁾ — 1603.²¹³⁾ Francofurti. — Quaedam pars e libro VIII. de-

²¹⁰⁾ Quae marginalia etiam nos mutata accepimus singulis decadibus Argumenta praeponentes.

²¹¹⁾ Editio rara in Bibliotheca Georgii Ráth (in Bibliotheca Academiae Litterarum Hungaricae, Budapest) no. 1928. asservatur.

²¹²⁾ Quae editio admodum rara in Bibliotheca Georgii Ráth (in Bibliotheca Academiae Litterarum Hungaricae) no. 1927. invenitur.

²¹³⁾ Haec editio e libro: Syndromus rerum Turcico Pannonicarum historiam centum quinquaginta annorum complectens a. 1584., quae editio r.c.n. est, sed ex anno 1627. (v. editionem particularem 4.), edi falso memoratur.

cadis III. post editionem f a Nicolao Reusner in hoc libro edita est: Rerum memorabilium in Pannonia sub Turcarum imperatoribus bello militiaeque gestarum exegeses sive narrationes variorum et diversorum auctorum recensente Nicolao Reusnero, Francofurti, MDCIII. — Hunc librum non Nicolaus Reusner (fortasse morte impeditus), sed eius frater germanus nomine ignotus e manuscripto Nicolai edidit. — Pars ex opere Bonfinii in pagg. 9—16. (articulus secundus) hoc titulo est: De Bellogradi sive Albae Graecae oppugnatione a Mahomete II. imp. Turcarum facta anno MCCCCLVI. narratio auctore Antonio Bonfinio. Et quidem hae sententiae editae sunt (dec. III. lib. 8.): 12., 20—21., 25—27., 14., 27—29. (quae sententiae admodum mutatae, mutilatae et interpolatae sunt), 30—106. (sententia ultima mutilata est), 108. — Formatum: 8-o.

3. — 1619., Francofurti. — Secundum editionem s quaedam pars ex opere Bonfinii: dec. IV., lib. 3., 104—13. edita est in foll.)? (4r—5r in hoc libro: Delitiae poetarum Hungaricorum nunc primum in hac Germania exhibitae a Ioh. Philippo Pareo. Francofurti, . . . anno MDCXIX. — Titulus partis Bonfinianae: Vita Iani Pannonii ex Bonfinii histor. Ungar. decad. IV. lib. III. — Formatum: 16-o.

4.²¹⁴⁾ — 1627.,²¹⁵⁾ Francofurti. — Ex editione 2. (1606., Francofurti) superius memorata edita est quaedam pars articulus secundus) in primo huius operis volumine in pagg. 9—16.: Syndromus rerum Turcico Pannonicarum historiam centum et quinquaginta annorum complectens, quicquid a capta Constantinopoli ad annum usque partae per Christum salutis MDC. inter Christianos Turcasque rerum pace militiaeque gestum est, imprimis autem ab excessu Matthiae Corvini Hungariae regis, perspicuis illustribusque narrationibus, duobus voluminibus comprehensis perscribitur. Adpersis vicinarum Hungariae gentium rebus, quatenus eae vel in univsum vel ex parte negotia Pannonica concernunt, et quae, ne hiulca esset historia, omitti non debuerunt. Omnia e diversis scriptoribus collecta et in unum hoc corpus bono publico redacta. Francofurti ad Moenum, . . . Anno MDCXXVII. — Formatum: 8-o.

5.²¹⁶⁾ — 1681., Tyrnaviae. — Hic libellus sententias ex omnibus quinque decadibus excerptas continet adeo mutatas, ut, qua ex editione editae sint, statui nequit (s, f vel h). Comes Sigismundus Drugeth de Homonna edidit hunc libellum, cuius titulus: Nucleus rerum Hungaricarum studio non modico excerptus ex Bonfinio historico et augustissimo imperatori Leopoldo primo Germaniae, Hungariae, Bohemiae regi, archiduci Austriae, duci Burgundiae, comiti Tyrolis etc. etc. humillime dedicatus. Tyrnaviae, typis Academiae. — In fine Praefationis: Comes Sigismundus Drugeth de Homonna. — In v ultimi folii: MDCLXVVVVI. — Singulas sen-

²¹⁴⁾ Haec editio rara in Bibliotheca Apponyiana (in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici, Budapest) no. 816. asservatur. (V. comm. 89.)

²¹⁵⁾ Haec editio ut altera editio editionis a. 1584. falso memoratur.

²¹⁶⁾ Editio admodum rara in Bibliotheca Georgii Ráth (in Bibliotheca Academiae Litterarum Hungaricae) no. 811. asservatur.

tentis, quae excerptae sunt, hic constituere supervacaneum nobis visum est. — Append. IV. 1.

6. — Circa 1720., Tyrnaviae. — Nova editio editionis 5. sine anno a comite Petro Zichy de Vasonkoe edita est. — Tyrnaviae, typis Academ. per Georgium Roden. — Append. IV. 1. et 2.

7. — 1732., Cassoviae. — Ex editione f viginti orationes, quarum unicuique argumentum adiectum est, editae sunt, et quidem duobus tituli paginis: A)²¹⁷⁾ Fol. a 1 r; Livii Hungarici Antonii Bonfinii historicae orationes selectae laureato honori illustrissimi domini Iacobi Mesko I. b. de Széplak, aa. II. et philosophae bacpalurei, dum in alma episcopali universitate Soc. Iesu Cassoviensi promotore r. p. Stephano Szabo (*sic*) e Soc. Iesu, aa. II. et philosophiae doctore eiusdemque professore emerito et p. t. seniore suprema aa. II. et philosophiae laurea condecoraretur, a condiscipulis dicatae. Anno salutis MDCCXXXII. mense Iulio, die²¹⁸⁾. Typis Academicis per Ioan. Henric. Frauenheim. — Post fol. a 1. inglutinatum est folium, cuius in v arma familiae Mesko I. b. de Széplak spectantur. — Foll. a 1 r—3 v: Condiscipuli ad neo-magistrum: Append. IV. 1. Fol. a 4 r—v: Ad lectorem: Append. V. 2. Haec editio libellus gradualis est. — B)²¹⁹⁾ Livii Hungarici, id est, celeberrimi de rebus Hungariae historiographi, Antonii Bonfinii orationes ex eiusdem eximia Latinitatis historia ob suam elegantem et nervosam eloquentiae vim excerptae, quibus una alterave eiusmodi oratio ex Nicolai Istvanffii historia adiuncta est, item elegantissimum et Claudianaeis panegyricis aemulum T. Cortesii de laudibus Maithiae Corvini invictissimi olim Hungariae regis carmen panegyricum. Cassoviae, typis Academ. per Ioan. Henric. Frauenheim 1732. — Oratio 1. (pagg. 1—6.): dec. I. lib. 3., 57—83; 2 (7—12.): I., 3. 128—52.; 3. (13—17.): I, 4., 123—43; 4. (17—23.): I. 4., 186—211.; 5 (23—29): I, 7., 4—32.; 6. (29—33.): II., 1., 48—68.; 7. (34—38.): II., 5., 184—207.; 8. (39—41.): III., 2., 65—75., (41.): 77—78.; 9. (42—43.): III., 4., 180—212.; 10. (49—55): III, 5, 221—50.; 11. (56—59.): III., 5., 302—17.; 12. (59—66.): III., 6., 135—67.; 13. (67—71.): III., 7., 84—107.; 14. (71—75.): III., 7., 264—83., (75.): 286—87; 15 (76—83.): III., 9., 33—72.; 16. (84—86): III., 9., 122—35; 17. (86—97.): IV., 2., 3—59.; 18. (97—100.): IV., 3., 179—90.; 19. (100—05.): IV. 3., 192—216.; (105—06.): 220—21.; 20. (106—11.): IV., 6., 56—75., (111.): 85., [(111—13.): 86—88., 89., 91—92.] (112): 92., [(113.): 93], (113.): 93., [(114) 94.], (114): 94., [(114—15.): 101—06.] Deinde item una cum argumentis tres orationes ex opere historico Nicolai Istvánffy (pagg. 116—30.) et carmen panegyricum

²¹⁷⁾ Exemplaria huius editionis rara in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici, Budapest (Hung. h. 813.) et in Bibliotheca Universitatis, Budapest (Gb. 1811. asservantur).

²¹⁸⁾ Post verbum „die“ diei inscribendae locus vacuus relictus est.

²¹⁹⁾ Exemplar admodum rarum in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici (Budapest) Hung. h. 815. asservatur.

T. Cortesii de Matthiae Corvini Ungariae regis laudibus bellicis (pagg. 132—66.) edita sunt. — Editioni A) duo folia innum., quae personalia ad universitatem episcopalem Societatis Iesu Cassoviensem continent, adiecta sunt.

8. — 1790., Colocae (Kalocsa; in Hungaria). — Nova editio editionis 2. Pars ex opere Bonfinii item in pagg. 9—16. edita est.

9. — 1774., Viennae. — Quaedam pars secundum editionem p respectis editionibus imprimis I et parum i e dec. IV. lib. 4. (sentt. 1—48.) edita est a Carolo Wagner in huius operis parte II.: *Analecta Scepussii sacri et profani*. Pars II. complectens scriptores rerum Scepusiacarum, quibus accedunt inscriptiones templorum Scepusiensium. Pars e Bonfinio edita (articulus VII.) in pagg. 115—21. hoc titulo edita est: *Antonii Bonfinii congressus regum Leutschoviensis, quae pars in quinque paragraphos distributa est; introductio* (pagg. 113—14.) praecedit hoc titulo: *Antonii Bonfinii congressus regum Hungariae et Poloniae Leutschoviae anno 1494. celebratus*.

10. — 1934., Budapest. — Formatum: 16. — *Magyar reneszánsz írók* (Scriptores Hungari renascentis aevi). Composuit et rediguit Tiberius Kardos. In serie: *Magyar Irodalmi Ritkaságok* (Opera rara litteraria Hungarica), rediguit Ladislaus Vajthó, no. 29. Ex editione I cum Hungarica interpretatione haec pars edita est: dec. IV. lib. 8., sentt. 244—86. in pagg. 86—96.

11. — 1935., Budapest. — Formatum: 8—0. — *Szemelvények a magyar történelem latinnyelvű kútfőiből* (Partes e fontibus historiae Hungaricae Latinis selectae). Összeállították és kiadták Eperjessy Kálmán és Juhász László (Composuerunt et ediderunt Colomannus Eperjessy et Ladislaus Juhász). Secundum editionem i haec pars edita est: dec. IV., lib. 8., sentt. 244—86. in pagg. 166—69.

V. — *Traductiones.*

Traductiones, ne perspicuitatem turbaremus, in Tabula genealogica codicum et editionum (v. pag. XVII.) non delineavimus.

A) *In linguam Germanicam.*

1.²²¹⁾ — 1545. Basel. — Formatum: folium. — Decades I—III. Bonfinii ex editione b (1543.) per Hieronymum Boner Schultheis zu Colmar traductae sunt. — Tit.: *Des Aller Mechtigsten König-*

²²⁰⁾ Praeter memoratas traductiones falso hae memorantur: in linguam Germanicam: 1541., Strassburg, Hieronymus Boner, fol.; 1541., Frankfurt, fol.; 1545., Bern (qui error certo de tituli pagina traductionis eiusdem anni oritur); 1565., Bern; (v. Potthast, o. c. comm. 52.) in linguam Hungaricam: 1606.; (secundum Czvittinger, o. c.) in linguam Belgicam: 1606. (secundum Georgium Soterium; v. Kemény, o. c. pagg. 270.

²²¹⁾ Traductio satis rara in Bibliotheca Apponyiana (in Bibliotheca Nationalis Hungarici, Budapest) no. 1734. (cf. Apponyi, *Hungarica*, o. c. [v. comm. 176.] tom. III. pagg. 175) et in Bibliotheca Georgii Ráth (in Bibliotheca Academiae Litterarum Hungaricae, Budapest) invenitur.

reichs inn Ungern, warhafftige Chronick unnd anzeigung, wie das anfang, auff und abgang genummen, wie auch das vilfaltig anfechtung und uberfall gelitten, und andern Nationen schwerlich zugefuegt und sich der Türckischen angriff so lang biß zu unsern zeyten so ritterlich erwert hatt, inn dreyßig Buechern beschryben mitt ihren Figuren lautter anzeygt und erkläert wirt. Zu Basel by Ruprecht Winther, im Jar MDXLV. Mit K. M. Freyheytt inn sechs jahren nit nachzutrucken. — In fine (fol. CCCLXXX. r.): Gedruckt inn der loblichen Stat Bernn inn Vechtlandt, bey Mathia Apiario, inn kosten und verlegung des Ersammen und wolgeachten Ruprechten Winther Burger unnd Truckerherren zu Basel, imm jar MDXLV. und vollendet auff den fünfften tag Martii.

2.²²²⁾ — 1581., Franckfurt. — Formatum: folium. — Totum opus Bonfinii ex editone s (1568.) per P. F. N. (= Paulus Frisius Nagoldus s. Nagoldanus s. Nagordanus) traductum est, qui priorem traductionem (l.) novit. — Tit.: Ungerische Chronica. Das ist Ein gründtliche beschreibung aller mächtigsten und gewaltigsten Königreichs Ungern. . . Erstlich durch den Hochgelehrten Herrn Antonium Bonfinium in 45 Büchern in Latein beschrieben, Jetzund aber dem gemeinen Vatterland Teutscher Nation zum besten in gut gemein Hochdeutsch gebracht . . . und mit schönen Figuren . . . geziert, Durch einen der Freyen künste, Historien und alter Geschichten, Liebhaber, P. F. N. . . Gedruckt zu Franckfurt am Mayn, durch Peter Schmidt, In verlegung Sigmund Feyerabendts. MDLXXXI.

B) In linguam Franco-Gallicam.

1572.²²³⁾ Paris. — E tribus prioribus decadibus Bonfinii ex editione b (1543.) Franciscus Belle-Forest orationes 28 nonnumquam admodum libere in linguam Franco-Gallicam transtulit in tomo II., cuius titulus: Harengues (*sic*) militaires et concions de princes, capitaines, ambassadeurs et autres manians tant la guerre que les affaires d'Estat. . . Recueillies et faictes Françoyses par Francoys (*sic*) Belle-Forest Comingeois. A Paris Ches Nicola Chesneau, rue S. Jaques, o Chesne verd. MDLXXII. Hae orationes, quarum unaquaeque praefatione et argumento ante traductionem instructa est, traductae sunt: Dec. I., 3., 57–83.: pagg. 895–97.; 3., 128–52.: 898–900.; 4., 32–35., 901.; 4., 60–73.: 902–03.; 4., 92–98.: 903–04.; 4., 123–43.: 904–06.; 4., 144–56.: 906–08.; 6., 113–17.: 908–09.; 6., 221–32.: 909–11.; 7., 4–32.; 911–13.; dec. II., 1., 48–68.: 914–16.; 4., 197–201.: 916–17.; 5., 184–207.: 918–19.; 6., 198–211.:

²²²⁾ Exemplaria huius traductionis inveniuntur in Bibliotheca Apponyiana (in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici, Budapest) no. 482. (cf. Apponyi, Hungarica, o c [v. comm. 89.] pagg. 326.) et in Bibliotheca Georgii Ráth (in Bibliotheca Academiae Litterarum Hungaricae, Budapest) inveniuntur.

²²³⁾ Exemplaria huius traductionis satis rara in Bibliotheca Musei Britannici et in Bibliotheca Academiae Litterarum Hungaricae (Budapest) inveniuntur.

920—21.; 7., 129—41.: 922—23.; 7., 209—16.: 923—24.; 9., 285—89.: 925.; dec. III. 1., 71—109.: 926—29.: 2., 65—74.: 930—31.; 3., 299—315.: 931—32., 4., 180—212.: 933—35.; 5., 221—50.: 936—38.; 5., 251—56.: 939.; 5., 302—17.: 940—42.; 5., 318—26.: 942—43.; 5., 381—83.: 943—44.; 6., 135—67.: 945—48.; 7., 84—107.: 949—50.— Formatum: folium.

C) *In linguam Hungaricam.*

1.²²⁴⁾ 1575., Colosvar (in Transilvania). — Formatum: 2-o. Gaspar Heltus editionem s (1568.) circa duas partes operis totis Bonfinii relinquens in linguam Hungaricam valde libere interpolans et mutans transtulit. — Tit.: Chronica az Magyaroknac dolgairól, mint ioettec ki a nagy Scythiából Pannoniában, Es mint foglaltác magoknac az országot. Es mint birtác azt Hertzegroel Hertzegre, Es királyról Királyra, nagy sok tusakodásokkal és szántalan sok viadallyockal, Melyet ez rendre hoszta, Az Bonfinius Antalnac nagy koenyvéboel, és egyeeb Historias koenyvekboel, nem kicin munkával. (Chronica de gestis Hungarorum, quomodo e Scythia in Pannoniam egressi sint et quomodo regnum sibi occupaverint et quomodo id habuerint de duce in ducem et de rege in regem cum magnis et multis contentionibus et innumeris certaminibus, quam Gaspar Heltus Hungarice conscripsit et in ordinem redegit e libro magno Antonii Bonfinii et aliis libris historicis non parvo labore.) — Colophon: Colosvarot Végezte Heltai Gaspárné. A. 1575. (Claudiopoli finivit uxor Gasparis Helti a. 1575.)

2. — 1789., Nagy-Győr (Iaurinum; in Hungaria). — Formatum: 8-o. — Editio nova traductionis I. in duobus tomis. Textus ad scripturam eius temporis transcriptus est. Tit.: Magyar Krónika. Írta Heltai Gáspár. Nyomtattatott Kolozsvaratt MDLXXV., most pedig ujonnan Nagy-Győrben MDCCLXXXIX., (Chronica Hungarica. Scripsit Gaspar Heltus. Excusa est Claudiopoli a. 1575. nunc autem denuo Iaurini a. 1789.) — In fine Index nominum est.

3. — 1854., Pest. — Formatum: 4-o. — Nova editio traductionis I. est. Franciscus Toldy manuscripto typographico traductione 2. usus est, contulit autem traductione I. et scripturam sui temporis in textu edendo adhibuit. — Tit.: Tizenhatodik századbeli magyar történetírók. Régi kiadások és kéziratok után szerkeszté Toldy Ferenc. — I. Székely István Magyar Krónikája, 1556. II. Heltai Gáspár Magyar Krónikája, 1575. (Historici Hungari e saeculo sextodecimo. Post editiones antiquas et manuscripta redegit Franciscus Toldy. I. — I. Chronica Hungarica Stephani Székely, 1558. II. Chronica Hungarica Gasparis Helti, 1575.) — In serie: Újabb Nemzeti Könyvtár, harmadik folyam. (Bibliotheca Nationalis Recentior, cursus tertius.)

²²⁴⁾ Exemplaria huius traductionis multa, sed integra rara inveniuntur in bibliothecis Hungaricis, quae enumerat Szabó, Károly (Carolus): Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Hungarica Vetus), no. 118. tomus I. pagg. 64 65.

4. — 1905., Budapest. — Formatum: 16-o. — E decadibus III. et IV. Michael Császár aliquot partes traduxit, et quidem e decade III. lib. 9. 1—156.; dec. IV. 7. 72—124.; 8. 87—114., 188—286. — Tit.: Szemelvények Bonfiniból. Képek Mátyás király korából. Fordította, bevezetéssel és jegyzetekkel ellátta Dr. Császár Mihály. (Partes ex opere Bonfinii selectae, quae ad Mathiam regem attinent. Traduxit, introductione et commentariis instruxit dr. Michael Császár.) — In serie: Magyar Könyvtár, no. 414.

5. — 1934., Budapest. — Formatum: 16. — Magyar renezánsz írók. (Scriptores Hungari renascentis aevi). Composuit et rededit Tiberius Kardos. In serie: Magyar Irodalmi Ritkaságok (Opera rara litteraria Hungarica), redigit Ladislaus Vajthó, no. 29. Ex editione I cum Hungarica interpretatione haec pars edita est: dec. IV. lib. 8., sentt. 244—86. in pagg. 86—96.

VI. — *De ratione ac via editionis nostrae.*

Ne nostram quidem editionem sine mendis esse sincere fatemur. Inter alia fontes, quibus Bonfinius in opere suo conscribendo usus est, — nobis maxime dolentibus — aptis editionibus non existentibus componere non potuimus, quod si haec Bibliotheca nostra sarserit, huic editioni nostrae Supplementum addemus.

I. In tribus prioribus decadibus edendis nobis codex e eligendus erat, nam e collatione fragmentorum codicis m_1 et codicis e (qui de codice m descriptus est) et editionis b (quae e codice x_1 de codice m derivato edita est) apparuit codicem e maxima ex parte textum meliorem, quam editionem b, habere, e quo plane non sequitur, ut nonnumquam editionem b pro codice e secuti simus. II. In sex prioribus libris decadis IV. edendis item e collatione fragmenti m_4 et editionum b et s apparuit editionem s maximam partem textum meliorem, quam editionem e, habere, e quo plane non sequitur, ut nonnumquam editionem e pro editione s secuti simus. III. In libris quattuor posterioribus decadis IV. et in dimidia V. decade edendis sine ulla dubitatione textum editionis s accipere cogebamur.

Ceterum, ut e fragmentis m_1 et m_4 apparuit, ne codices quidem Corviniani (m_{1-5}) sine mendis erant, quamquam priores quattuor decades Bonfinio praesente esse descriptas recte arbitramur.

Quamquam in codicibus Corvinianis (m_{1-5}), ut e fragmentis m_1 et m_4 videmus, diphthongi ae, immo oe scriptae sunt, quas non accepimus, quia in tribus prioribus decadibus editis, sicut superius scripsimus, codice e, in quo diphthongi notí sunt scriptae, nitabamur, quam scripturam in decadibus IV. et dimidia V. quoque adhibuimus, quas decades secundum editionem s edidimus, in qua item diphthongi ae et oe inveniuntur.

Editiones bcsfhipl contulimus, quas igitur in Tabula genealogica codicum et editionum (pag. XVII.) delineavimus et simplicitatis gratia siglis (bscfhipl) ubique significavimus. Editiones par-

ticulares conferri supervacaneum nobis visum est. Nec editiones particulares, nec traductiones in Tabula genealogica codicum et editionum (pag. XVII.) perspicuitatis gratia delineavimus.

In Scriptura nostra (tomus I. pagg. 226—27.) simplicitatis gratia variantes lectiones codicis e (ad decades I—III.) ad scripturam attinentes separatim composuimus, ne Annotationes Criticas nostras onerarem et perspicuitatem turbarem.

In Annotationibus Criticis nostris menda manifesta librorum codicis e quoque plerumque assumpsimus, menda autem manifesta typographica editionum bcsfhipl ex Annotationibus Criticis nostris plerumque reliquimus.

Opere Bonfinii usitantibus maximo usui esse voluimus, cum sententias numeravimus, quod ideo adhibuimus, ut facilius laudari citarique possent.

Argumenta singulis decadibus praeposuimus, ut editionem nostram utiliore aptioreque redderemus. Haec Argumenta ideo non marginalia apposui, quia nostra sententia Argumenta magis perspicua sunt et quia marginalia nec in fragmentis codicum m_1 et m_4 nec codice e inveniuntur. Ceterum haec Argumenta secundum marginalia editionis i composuimus, quae paene immutata editio l quoque assumpsit.

Sicut primum in editione i et deinde in editionibus p et l singuli libri in plures continuas partes (paragraphos) divisi sunt, et nos hanc divisionem (plerumque secundum editionem i) perspicuitatis gratia et ut ea de causa editio nostra usui aptior fieret, adhibuimus.

In Appendice nostra (in fine tomi IV. editionis nostrae) omnes dedicationes et praefationes, quae ad Bonfinium vel ad opus eius edendum attinent, edidimus.

Quia in edendis decadibus nostrae editionis fragmenta codicum m_1 et m_4 maximi momenti sunt, de omnibus foliis, quae supersunt, reproductiones phototypicas huic tomo I. adiunximus, item de pagina 1. codicis e, quem nos in tribus prioribus decadibus edendis fundamento posuimus.

Et nunc maximae gratiae nobis agenda sunt Illustrissimis Dominis Praefectis Museo Principum Czartoryski Cracoviensis, qui nobis libentissimi codicem e ad edendum obtulerunt.

Item et imprimis maximas gratias agimus Amplissimis Dominis Professoribus Alberto Kiss de Balásfalva et Stephano Ereky, qui nobis benignissimi effecerunt, ut Sodalitate Amicorum Universitatis Litterarum Regiae Hungaricae Francisco-Iosephinae Szegedinensis editio nostra quam maximis sumptibus adiuveretur.

ARGUMENTUM DECADIS I.

[Prefatio operis 1-40.]

LIBER I. — 1-2. De divisione et situ terminisque Scythiae. - 3-12. De incolis eius. Gothi; Philimerus. - 13-20. De Poloniae, Prussiae et Livoniae situ, finibus et incolis. - 21-38. Litvania. De incolis eius. Essedones; Anthropophagi. - 39-46. Insulae septentrionales incolaeque eorum. Codanus sinus et Scandia. - 47-53. Partes Sarmatiae. - 54-67. Iazyges eorumque oppida. Agria. Urbanus episcopus Agriensis. - 68-77. Cassiovia. Pisonium (Posonium), Trinavia (Tirvania), Nitria, Colgocium (Golgotium), Trencenium, Silina. Samaria et Comara insulae. Vacua. De familia batorum. Pestum. - 78-86. De Daciae situ, populis et oppidis. Transylvania eiusque incolae. Inscriptio quaedam. - 87-89. Valachia et Moldavia. - 90-95. Oppida Transylvaniae. Russia (Ruthenia). Varadinum. - 96-114. De Dacis. - 115-33. Danubii ortus, accolae, ostia, insulae. - 134-38. De Mysorum, Thracum et Getarum moribus. - 139-51. De Scythis. Anacharsis. - 152-202. De Euxini maris ora. - 203-10. Descriptio, situs et incolae Scythiae Asiaticae. - 211-20. Alexander Magnus contra Scythas belligerat. - 221-22. Rhas fluvius eiusque accolae. - 223-26. Caucasus mons. - 227-32. Populi inter Rhan fluvium et Imaum montem. - 233-45. Gentes et oppida Scytharum extra Imaum montem. Sacae et Massagetae. - 246-53. De regno Sogdianorum et Bactrianorum Bactria regnata. Eucratides Demetrium Indorum regem devincit. - 254-62. De Margiana et Hyrcania. Mare Hyrcanum. - 263-65. Colchi, Iberes et Albani accolae Isthmi inter maria Euxinum et Caspium siti. (Caucasi). - 266-76. De Albanis Caspii maris accolis et eorum religione moribusque Albania regnata. - 277-82. De moribus et ritu accolarum Caucasi. Siginni et Tapyri. - 283-93. De usu linguae Sclavonicae. De denominatione Hungariae et Pannoniae; eius facultate, terminis et urbibus. Osvaldus episcopus Zagabriensis. - 294-301. Civitates et incolae Pannoniae inferioris. - 302-10. De Bois, Tauricis et Scordiscis populis. Probus et Decius imperatores in Pannonia nati. - 311-18. Baton Pannoniorum rex. Iapodes Adriatici maris accolae. Adrius mons. Augustus Dalmatas domat. Sclavonia; Zagabria. - 319-25. De Sclavorum origine. Veneti; Antes. Mysi. - 326-34. Mysia; Mysi eius accolae. Bulgari Mysiam occupant; Terbelis rex eorum leges praescribit. - 335-41. Fines ac termini Hungariae. Fecunditas soli eius. Comitatus plurimi eius. - 342-57. Comitatus Sirmiensis, Valconensis, Poseganensis, Baraniensis, Simigiensis, Tolnensis, Albensis. Coletia. - 358-74. Comitatus Vespreniensis, Zaladiensis, Pilisiensis. Sicambria. Buda Vetus. - 375-90. Comitatus Castriferrensis, Semproniensis, Iauriensis, Comariensis, Strigoniensis, Mosoniensis. - 391-401. Comitatus Pestensis, Honthensis, Neugradiensis, Gemeriensis, Torniensis, Zoliensis, Sariensis, Scepusiensis, Ungensis, Hevesiensis, Borsodiensis, Zabolcensis, Zolnocensis, Bioriensis, Becensis, Orodiensis, Zaradiensis, Torontalensis, Congradiensis, Canadiensis, Themesiensis, Bachiensis, Bodrogenis. - 402-03. Comitatus Zathmariensis, Zolnok mediocris, Beregensis, Ugochiensis. - 404-10. Comitatus Nitriensis, Barsiensis, Trenceniensis, Lythoviensis, Arvensis, Thurrocensis, Abauivariensis, Zempliniensis, Marmarusiensis, Transylvaniensis. - 411-12. Partes Sarmatiae. Podolia, Russia. - 413-20. Litfania (Litvania). Massovia. Polonia. Bohemia. Valachia, Moldavia. Transylvania. Bosna, Russia, Servia. Bulgaria.

LIBER II. — 1-6. Origo Scytharum. Fines Scythiae. - 7-11. Herodotus de origine Scytharum. - 12-21. De gente Scytharum eorumque gestis. - 22-26. De moribus Scytharum. - 27-33. Gesta eorum. - 34-39. Gesta eorum. - 40-56. Amazones (Scythae). - 57-63. Gesta Scytharum. - 64-69. Gesta Scytharum. -

70-72. Gothi. - 73-76. Getae et Daci Gothi sunt. - 77-82. Visigothae et Ostrogothae. - 83-91. Deceneus. Gothi et Romani. - 92-95. Prosapia Gothorum. - 96-105. Ostrogothae et Visigothae. Origo Maximini imperatoris. - 105-12. Gothi a Romanis deficiunt. Marcianopolis et Philippopolis. - 113-18. Bella Gothorum et Gepidarum. Origo Gepidarum eorumque rex Fastida. Gepidae vincuntur. - 119-29. Cniva rex Ostrogotharum Mysiam invadit. Gallus, Decius, Volusianus et Aemilianus. - 130-43. Valerianus et Gallienus imperatores. Irruptiones Gothorum. A Romanis vincuntur. - 144-46. Iordanes. - 147-56. Gothi Romanos invadunt et delentur. - 157-62. Claudius Dalmata Gothorum victor. - 163-67. Aureliano imperante Gothi iterum Romanos adoriuntur. Constantinus cum Gothis foedus facit. - 168-75. Vandali a Gothis devincuntur. Vandalorum origo. Vandali in Pannonia, Gallia, Hispania et Africa. - 176-80. Hermanarichus Gothorum rex. Venetia. Bellum inter Gothos et Unnos. - 181-83. Origo Unnorum. - 184-93. Unni quondam Albani dicti. De moribus eorum. Auctor eorum Hunnor et Magor. Unni et Ungari cognati creduntur. - 194-97. Unni emigrant. - 198-201. Unni a. 373. in Europam traiciunt. De moribus eorum. - 202-07. Hermanarichus interficitur. - 208-18. Unni Ostrogothas vincunt et Visigothas fugant. Visigothae a Valentiniano in imperium accepti et Christiani facti sunt. Ariani fiunt. Ob famem et avaritiam a Romanis deficiunt et imperium invadunt, Valentinianum interficiunt. - 219-22. Terraemotus. Gesta varia. - 223-29. Visigothas Constantinopolim obsidentes Theodosius devincit fugatque et foedus cum iis facit. - 230-34. Unnorum irruptiones. Gratianus caeditur. Gothi trucidantur. Theodosius moritur. - 235-45. Stilico male Visigothas tractat, qui Alarico rege et Gothis Italiam invadunt. Gothi delentur. - 246-57. Alaricus Classense oppidum obsidet, sed a Stilicone victus in Gallia sedem ab Honorio impetrat. Stilico Visigothas Italia exeuntes impediturus una cum filio iussu Honorii interficitur. - 258-65. Alaricus Romam obsidet et a. 410. capit, Placidiam rapit, mox moritur. - 266-70. Alarico Athaulphus succedit qui Francos a Galliis et Vandalos ex Hispaniis eiicit. - 271-75. Vandalorum et Sclavorum origo. - 276-83. Segericus Athaulphi successor, huic Valia, cui ab Honorio Constantinus obiicitur. Placidia liberatur. - 284-90. Vandali Geiserico rege Hispaniam invadunt, mox Africam occupant, quos Belisarius fugat. Valia Tolosae moritur.

LIBER III. — 1-6. Theodricus Visigotharum rex a Romanis impugnatu iisdem conciliatur. - 7-19. Unnorum irruptiones; Pannoniam invadunt. Romani se iis opponunt, sed vincuntur. - 20-32. Romani Unnos adoriuntur et fugant. Cruenta victoria Romanorum. Cheve dux Unnorum cadit et sepelitur. - 33-44. Unni Romanos iterum adoriuntur vincuntque et Pannoniam possident. - 45-56. Atila Unnorum rex creatur. De animi corporisque dotibus eius. Martis gladius ei obtigit. - 57-83. Oratio Atilae. - 84-97. Atila bellum parat. De moribus eius. - 98-104. Exercitus Atilae. Vexillum et titulus eius. - 105-12. Sicambria sedes imperii Atilae. Bleda seu Buda regni socius. Atila Romanum imperium adoritur. - 113-21. Romanos fundit, Marciani astum praevenit. - 122-27. Budam fratrem interficit. - 128-52. Oratio Atilae. - 153-67. Atila Buda sepulto bellum parat. Romanos et Visigothas inimicos reddebat. - 168-76. Valentinianus Visigothas sibi conciliat, idem Aetius conatur. - 177-84. Theodoricus rex Visigotharum contra Atilam exercitum colligit. - 185-92. Unnorum crudelitas Romanos provocat. - 193-98. Valentinianus et Aetius bellum parant. - 199-202. Atila quoque se ad bellum parat.

LIBER IV. — 1-8. Detricus animum Atilae confirmat. Bellum contra Romanos decernitur. - 9-18. Atila Illyricum et Germaniam vastat, Helvetiam populatur, Argentinam diripit. - 19-23. In Remenses castra movet. - 24-31. Nicasius Remensium antistes suos ad poenitentiam hortatur. - 32-35. Nicasius in Unnos invehitur. - 36-43. Eutropia soror eius caeditur. Hostis urbem relinquit; corpora caesa sepeliuntur. - 44-59. Atila Aurelianam urbem obsidet et circumquaque grassatur. Anianus Aureliam liberat. - 60-73. Oratio eius ad Atilam. - 74-81. Anianus Aetium et Thorismundum auxilio vocat, qui Atilam ab obsidione reiiciunt. Aureliani Anianum sanctum venerantur. - 82-89. Cur Atila Aureliam reliquerit. Atila Lugdunum expugnat et Narbonensem Galliam

diripit. - 90-98. Verba eremitaë ad Atilam. - 99-104. Responsum haruspicum. - 105-13. Atila in campum Catalaunicum exercitum deducit. A Romanis inducias petit, quas Aetius denegat. - 114-21. Atila et Aetius acies instruunt. - 122-43. Oratio Atilaë ad milites. - 144-56. Aetius suos hortatur. - 157-70. Proelium initur. Unni funduntur. - 171-84. Atila in castra redit. Theodoricus cadit. - 185-211. Verba Thorismundi ad patrem mortuum. - 212-14. Theodoricus Tolosae sepelitur. Aetius exercitum dimittit. - 215-21. Numerus in proelio caesorum. Atila Tungros invadit. Pars exercitus Atilaë ad Romanos deficit. - 222-29. Thorismundus Tolosam revertitur. - 230-42. Atila Trecassensibus parcat. S. Lupus. - 243-72. S. Germanus.

LIBER V. — 1-6. Audacia Atilaë augetur. S. Servatius Atilam timens episcopatum Tungrensem Traiectum transfert. - 7-10. Gallia Ariana haeresi laborat. Nasatensis urbs ab Unnorum obsidione liberatur. - 11-96. Martyrium undecim milia virginum. - 97-100. Traiectum ab Atilaë furore servatur. S. Servatius. - 101-35. Sanctitas Genovephae. - 136-87. S. Martinus Sabaria oriundus. - 188-92. Atila Galliam et Germaniam populatur. - 193-96. Atila apud Isenacum de Romanis et Gallis triumphat et ludos instituit. - 197-215. Atila post cladem Catalaunicam quid fecerit.

LIBER VI. — 1-8. Atila Italiam aditurus Adriaticum sinum aggreditur; plura oppida capit. - 9-34. Salona oppugnatur et capitur. - 35-62. Atila Italiam aggressurus Iadram et Senam capit. De Dalmatis. - 63-74. Atila Istriam invadit et aliquot oppida capit. 75-133. Aquileia triennium obsidetur et tandem capitur. - 134-41. Romam timor incedit. - 142-51. Itali in insulas fugiunt. Venetiae conduntur. - 152-62. Atila Paduam aggreditur et delet. - 163-79. Aliae Italiae civitates diripiuntur. Ravenna ab Ioanne antistite Atilaë traditur; Vicentia capitur. - 180-97. Verona se dedit; Mantua, Cremona, Brixia et Bergomum capiuntur. - 198-211. Mediolanum. - 212-19. Mediolanum obsidetur. - 220-32. Oratio legatorum Mediolanensium ad Atilam. - 233-47. Mediolanum se dedit. - 248-61. Ticinum (Papia) obsidetur et capitur. - 262-74. Atila Liguriam relinquit et exercitum per Padi ripam disponit Romam aditurus.

LIBER VII. — 1-3. Leo papa Atilam adit. - 4-32. Oratio Leonis ad Atilam. - 33-38. Atila Leoni parens ad Mincium amnem substitit, deinde in Pannoniam regreditur. - 39-43. Leo haereses Eutythianam et Nestorianam damnat. - 44-54. Aetius obruncatur. Valentinianus quoque interficitur. Ravennati metropolitae XII episcopi subiecti. Geisericus Romam occupat et vastat, quam Leo restaurat. - 55-63. Atila Italia excedens Honoriam Valentiniani sororem uxorem petit. - 64-76. Atila in patriam rediens nocte nuptiarum profluvio sanguinis suffocatur. De aefate et regno Atilaë. Sepultura eius. - 77-84. Iordanis de expeditione Atilaë in Galliam et de clade Catalaunica. Thorismundo mortuo Euricus frater sufficitur. - 93-104. Mortuo Atila variae gentes ab Unnis deficiunt. Filii Atilaë Ernacus a Gepidis, Durichus ab Ostrogothis vincuntur, Ellacus interficitur. Gepidae in Daciam, Ostrogothae in Pannoniam, Unni in diversas partes eunt. - 105-12. Filii Atilaë Chaba et Aladarius inter se pugnant. - 113-23. Unni in Transylvaniam recedunt. De Transylvanorum moribus. De Chaba et Aladario. - 124-31. Unni Atila mortuo Italiam invadunt. Odoacer Felcheum Rugorum regem interficit. - 132-39. Valamir Ostrogotharum rex. Ostrogothi Unnos sedibus suis eiiciunt. - 140-45. Bellum inter Gothos et Suevos. Suevo vincuntur, sed Valamir interficitur. - 146-55. Suevo Ostrogothas iterum invadunt, sed Thuidimere iterum vincuntur, cuius filius Theodoricus Sarmatas profligat. - 156-62. Gothi Italiam et Galliam invadunt. - 163-75. Thuidimer imperium Orientale occupat; mortuus Theodoricum heredem relinquit, cui imperium promittitur. 176-82. Odoacer a Theodorico vincitur et occiditur. - 183-92. Theodoricus regnum firmat, Sirmium et Illyricum sibi subiicit. - 193-201. Regnum felix Theodorici; Ravennae moritur; successor eius Athalaricus. Boethius et Symmachus a Theodorico obruncatur. - 202-05. Athalaricus juvenis moritur, mater eius a Theodato strangulatur. - 206-12. Iustinianus necem matris ulciscitur; Gothi Theodato deposito Vitigem regem creant. - 213-20. Bel-

lisarius Neapolim expugnat, Romam et Etruriam delet. Vitiges capitur et obit. Finis regni Gothorum. - 221-24. Adoinus Longobardorum rex Pannoniam aggredditur. - 225-35. Origo Longobardorum. Longobardi Vandalos superant. Longobardi a Bulgaris, mox Bulgari a Longobardis vincuntur. - 236-41. Bellum inter Odoacrem Herulorum et Pheletheum Rugorum reges. Heruli a Longobardis vincuntur. - 242-52. Longobardi Gepidas vincunt. Filius regis Longobardorum in mensa patris conviva est. Longobardi Gepidas iterum vincunt. - 253-58. Iustinianus accitis Longobardis Gothos Italia eiicit. - 259-63. Pestis in Italia. Iustinianus moritur. - 264-76. Iustiniano Iustinus succedit, qui Narsetem imperio abdicat. Iustinus Longobardos omnes e Pannonia in Italiam vocat.

LIBER VIII. — 1-5. Longobardi Italiam invadunt. - 6-13. Avars (Unni) Galliam invadunt; a Sigeberto vincuntur, sed tandem victores in Pannoniam redeunt. - 14-19. Alboinus rex Longobardorum multas civitates Italiae septentrionalis capiunt. - 20-28. Nex Alboini. - 29-36. Elmichus successor Alboini quoque necatur. - 37-43. Clepho quoque successor Elmichi iugulatur. - 44-54. Longobardi Galliam invadunt. S. Hospitus. - 55-70. Longobardi Galliam vastant, mox relinquunt, Saxones quoque vastant Galliam, sed et ipsi mox eam relinquunt. Prodigia. Longobardi Romam frustra obsident. - 71-81. Longobardi Istriam depraedantur et Amarinam insulam capiunt. Longobardos ex Italia expellere frustra conantur. Connubium Autharis regis Longobardorum. 82-93. Childepertus Francorum rex bellum contra Longobardos movens occumbit, milites eius Italiam vastant et mox in patriam redeunt. Autharis veneno perit. Successor eius Agilulphus. Prodigia. - 94-107. S. Gregorius Agilulphum in fidem Christianam convertit. Plures civitates a Longobardis recuperantur. Bavari ab Annis caeduntur. Prodigia. - 108-12. Ariulphus Romanos vincit. S. Sabinus. - 113-18. Longobardi montem Casinum spoliunt. Theudelinda. - 119-27. Patavium a Longobardis deficiens igne absumitur. Longobardi Istriam vastant. Mauricius imperator interficitur. Longobardi Cremonam et Mantuam expugnant. Pax inter Romanos et Longobardos. - 128-30. Adoloaldus Longobardorum rex. Ecclesia Romana ceterarum ecclesiarum caput declaratur. - 131-40. Chacanus Unnorum (Avarorum) rex Gisulphum Longobardorum ducem vincit; Foroiulium capit et depopulatur. Grimoaldus. - 141-47. De Romulda et filiabus eius. - 148-53. Filii Gisulphi obruncantur. Bavari a Sclavis et Sclavi a Bavaris caeduntur. - 154-63. De Sclavis. Adoloaldus cum matre Theudelinda Agilulpho regi Longobardorum mortuo succedit, sed deponuntur. - 164-68. Cosdroas Persarum rex Heraclium aggredditur, Hierosolymam capit, Alexandriam, Aegyptum et Libyam occupat. - 169-76. Heraclius Persas devincit. - 177-82. Heraclius hostem singulari certamine interficit. Persae Christiani fiunt. Syrochius Persiam ab Heraclio obtinet. - 183-89. Crux Salvatoris Hierosolymae restituitur. - 190-93. Sclavi Italiam vastantes repelluntur. - 194-96. De Maumetto. - 197. Grimoaldus. - 198-209. Rotharius Longobardorum rex moritur. Successor eius Rodaldus interficitur. Dissensio inter Bertaritum et Godepertum. - 210-21. Regnum Longobardorum Grimoaldus accipit. Gallos a Bertarito concitat Grimoaldus vincit. - 222-31. Constans imperator Longobardos Italia eiicere conatur. Sesualdus. - 232-41. Constans superatur, qui Romam diripit, mox Syracus caeditur. Successor eius Mezentius quoque interficitur. Saraceni Siciliam diripiunt. Prodigia. - 242-54. Lupus a Grimoaldo victus cadit. Grimoaldus hostes ulciscitur; mox moritur. - 260-63. Successor eius Garimbaldus, huic Bertaritus. - 264-75. Monomachia inter Cunipertum Longobardorum regem et Alahim Brixianorum ducem. - 276-89. De gestis Romoaldi Beneventanorum ducis et successorum eius. Cedoaldus rex Saxonum moritur. Luitpertus successor Cuniperti. Luitpertus in pugna capitur et suffocatur. Familia Ansprandi. - 290-301. Ferdulphus dux Foroiulianus a Sclavis caeditur, cui Penno succedit. Gisulphus Latium vastat, sed a papa sedatur. Aripertus Ansprandum vincit et moritur. - 302-07. Successores in regno Longobardorum. Sarraceni et Mauri. - 308-14. Bellum inter Gregorium papam et Leonem imperatorem. Luitprandus. - 315-28. Penno cum Sclavis pacem init. Luitprandus oppida Aemiliae capit. Leo imperator damnatur. Rachis Foroiulianorum dux Carnoliam diripit. Carolus Martellus Sarracenos devincit. - 329-34. Bella felicia et adversa Luit-

prandi. Luitprandus Romam obsidet. - 335-42. Romani Transmundum ducem Beneventanum constituunt. Luitprandus Spoletum obsidet. Gregorii II. papae mortuo Zacharias succedit. - 343-51. Agrandus dux Spoletanus. Zacharias ablata a Longobardis recuperat. Luitprandus moritur; de moribus eius; successores eius. Pipinus exarchatum Longobardis ablatum Zachariae donat. - 352-55. Stephanus papa imperium Romanum in Pipinum transfert. Finis regni Longobardorum.

LIBER IX. — 1-9. Unni (Ungari) a. 744. Hungariam repetunt. Avars. - 10-15. Iter Ungarorum. Populi, per quos migrabant. - 16-24. Aquilae Ungaros festinant. Transylvaniam intrat, ubi in septem castra dividuntur. - 25-33. Almus, pater Arpad, nascitur; prosapia eius. - 34-46. Almus in Transylvania occiditur. Cusidus Pannoniam inspicit, qui a Suathe Sarmata principe libenter accipitur et donatur et incolatum Ungaris impetrat - 47-54. Ungaris referente Cusido Pannonia placet. Ungari Suathi equum pro incolatu mittunt et invadendam Pannoniam decernunt. - 55-62. Suathes resistit, sed vincitur. Arpadus dux l. eligitur. - 63-81. Zabolchus, Giula, Cundus, Lehel, Verbulchus et Ursus duces Ungarorum. Ungari statuunt rempublicam. - 82-85. De bellis Caroli Magni. - 86-101. Bertha Carlomanni uxor bellum movet. Longobardi in Italia munita loca occupant, immo Romam obsidione minantur, sed Adrianus eos anathemate ferit. Carolus M. adversus Longobardos bellum movet et eos Italia expellit. - 102-07. Carolus M. cum ecclesia Romana foedus icit et ei urbes et loca donat. - 108-15. Carolus M. Saracenos, Saxones, Britones et alios domat. - 116-21. Constantinus imperator Bulgaros profligat; successor eius Leo IV. - 122-26. Hungari regnum suum muniunt. - 127-43. Carolus Beneventanos domat et pacat, contra Bravaros bellum movet. De Bavaris. Hungari a Bavaris ad bellum sollicitantur et inter se foederantur. - 144-54. Carolus M. Bavaris pacem extorquet - 155-57. Constantinus imperator Italiam infestat; vincitur. - 158-62. Carolus iterum bellum movet contra Bavaros. - 163-71. Carolus M. Ungaris bellum infert. - 172-78. Avars (Ungari) resistunt. - 179-96. Ungari in insulam munitam se recipiunt. Carolus hostem aggreditur. Acrem pugnam nox dirimit. - 197-214. Ungari relictis noctu castris fugiunt et finitimos Budae montes occupant muniuntque, sed fame ad deditionem coguntur. Multi Ungari Christiani fiunt. - 215-34. Carolus Kagam regem Ungarorum Budae oppugnat, quam capit; urbs spoliatur Kaga mortem sibi consciscit. - 235-40. Carolus Ungaros ad fidem catholicam hortatur. Sacellum Mariae virgini aedificat. - 241-50. Carolus M. insulam Ungarorum capit; sacerdotes introducit. - 251-57. Carolus M. in Saxones expeditionem movet; multos caedit et in colonias deducit. Leo papa. Constantinus imperator moritur. - 258-70. Bella Caroli M. varia. - 271-80. Tumultus Romae. Leo papa oculis privatus sanatur. Carolus Romam venit; rei in Galliam abducuntur. - 281-88. Carolus M. a Leone coronatur, Pipinus rex Italiae declaratur. Ius edigendi pontificem et episcopum. De Longobardis. Graeci Italia eiiciuntur. - 289-97. Pipinus in Italia aliquot oppida capit. Divisio Italiae inter Romanos et Graecos. - 298-307. Dani cum Carolo M. foedus icunt. Veneti a Carolo M. adiuvantur. Filii eius Sclavos et Bohemos bis profligant. - 308-13. Pipinus Mauros Corsica eiicit. Carolus M. per legatos Saracenos subigit. Veneti Nicephro imperatore Constantinopolitano affliguntur. - 314-15. Si Carolus M. in imperio dignum collegam habuisset, imperium Romanum instaurari potuisset. - 316-25. Nicephorus Italiam invadit, sed a Pipino reicitur. Pipinus Venetos in deditionem accipit. Pax inter Pipinum et Nicephorum. - 326-31. Carolus M. Gotthofredum Danorum regem coerces. Mors Pipini. Plures populi a Carolo M. pacem petunt. Carolus M. Bononiam it. - 332-37. Alter filius Caroli moritur. Nicephorus a Bulgaris victus cadit; successor eius Stauratius et post hunc Michael. - 338-47. Bernardus Italiae rex praeficitur. Saraceni Italiam adoriuntur. Carolus Lodovicum collegam imperii assumit. Michael imperio abdicat, succedit Leo. - 348. Mors Caroli M.

LIBER X. — 1-7. De Ungaris. Lodovicus successor Caroli M. in Danos expeditionem movet. - 8-19. Leoni papae Stephanus succedit, qui Ludovicum imperatorem inungit. Populos rebelles Lodovicus domat et Lotharium regni

consortem eligit. Bernardus rex securi percutitur. - 20-29. Lodovicus Ungaros duce Lindeuto vincit. Lotharius rex Italiae inauguratur. Lodovicus ius creandi pontifices papae reddit et eum pluribus urbibus donat. - 30-43. Lodovicus Saracenos et Bulgaros domat. Prodigia in Gallis. Lodovicus regno abdicat. Saraceni Romam incendunt, sed reiciuntur. Michael et Gregorius papa moriuntur. - 44-50. Ungari iugum Francorum eicere conantur. Discordia filiorum Lodovici de imperio componitur. Lotharingia. - 51-56. Saraceni Siciliam et Tarentum obsident, classem Graecorum et Venetorum fundunt et Italiam invadunt. - 57-60. Normanni Galliam depopulantur, in Aquitania consistunt. - 61-67. Carolus Calvus Lotharii successor necatur; Carolus Crassus succedit, huic Arnulphus, huic Odo, huic Carolus Simplex. - 68-73. De vastationibus Normannorum et Saracenorum. Bulgari et Sclavi Christiani. - 74-88. Ungari rebellant. Longobardi Italiam sibi poscunt. Ungari Italiam, Germaniam et Galliam vastant. - 89-93. Motus Italiae. Arnulphi mors; Lodovicus III. succedit. - 94-106. Ungari copias Lodovici fundunt, regnum eius vastant. Idem ab iis iterum devincitur. - 107-15. Ungari contra Graecos belligerant. - 116-18. Ungari Bulgarios devincunt. - 119-23. Ungari Berengarium profligant. - 124-43. Clades secundum Luitprandum - 144-54. Secundum alios Ungari Tauisium capiunt et Venetos vastant. Berengarius pacem mercatur. - 155-61. Romanus Constantini praefectus cum Saracenis Italiam vastat, qui victi quoque Italiam vexant. - 162-70. Albericus Ungaros ad capiendam Romam sollicitat, qui Italiam quotannis repetit. - 171-74. Conradus Lodovico mortuo surrogatur; Arnulphus ad Ungaros confugit - 175-82. Mors Berengarii; filius pacem cum Ungaris componit. Ungari Alemaniam vastant. Saraceni Beneventum capiunt. - 183-90. Ungari Alesatiam et Saxoniam vastantes ab Henrico vincuntur, qui rex Germanorum fit. Arnulphus adversatur, sed tandem Henrico parat, qui excursions Ungarorum compescit. - 191-202. Italia factionibus optimatum laceratur. Ungari Ticinum capiunt. Ugo Arnulphum praelio superat. Saraceni Genuam capiunt. - 203-11. Ungari Moraviam, Bohemiam, Carniolam et Germaniam infestant; Bulgariam, Italiam, Galliam vastant; Germaniam incurstantes sedecim annos quiescunt. - 212-22. Ungari Augustam obsident, sed vincuntur. Lehel. - 223-27. Ungari Lotoringiam et Galliam diripiunt. - 228-35. Ungari Bulgaros infestant et Constantinopolim obsident. Bothodus. Ungari Graeciam vastant. - 236-48. Otho Henrico sufficitur. Saxones Ungaros caedunt. Ungari Italiam invadentes ab Henrico profligantur. Ungari Toxi rege Italiam repetunt, sed Itali pacem mercantur. - 249-58. Berengarius ab Othone vincitur. Albertus Venetos infestat. Respublica Romana consulibus regitur. - 259-71. Otho Ugonem et regem Bohemorum domat, Ungaros Germaniam vastantes delet, Italiam liberat, filium regem Germaniae declarat. - 273-81. Toxis Galliam vastat; Germaniam invadens vincitur. - 272-89. Otho imperator coronatur. - 290-98. Sclavi Saracenos caedunt, quos Otho Italia expellit. - 292-304. Otho II. ejectis Italia Graecis imperator appellatur; patre mortuo Bavariam, Lotoringiam et Galliam compescit - 305-18. Graeci Italiam infestant et exercitum Othonis delent. Otho Beneventum diruit. Otho moritur; Otho III. imperator eligitur. - 319-29. Toxi Geysa succedit. Status Austriae. - 330-43. Fides Christiana a Carolo M. instituta exolescit. Fides Geysa regnante praedicatur. - 344-55. Proceres Ungari fidem dissuadent et bella suadent. Regnum Geysae. Geysa finitimis sollicitatur, ut fidem inducat. Bona Hungariae et fide ducta. Pietas Geysae. Ungari urbani fiunt. - 356-58. Otho Romam subiugat, papam oculis privat. - 359-67. Gregorius V. natione Germanus papa; legem fert imperatores Germanos eligendos. Imperium Romanum non successivum, sed electivum. Geysa moritur.

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM DECADES

PREFATIO.

Divo Wladislao serenissimo Ungarie Bohemieque regi.

Contemplanti sepe mihi, quam felix et fausta universe Pan-¹
nonie maiestatis vestre fuit electio, princeps serenissime, et quan-
tum illa utilitatis affert, in dies profecto maior occurris, opinionem
superas et animum in altiore trahis admirationem. Iam illud sat²
exploratum habeo, quod ex apostolico ore proditum est, omnem a
deo esse potestatem. Omnia enim, ut divus inquit Iamblichus, ita
instituta sunt, ut nusquam vel minima queque a deo deserantur.
Ubique divina unitas viget, per quam res queque consistunt ac³
perpetuo quodam intimoque circulo ad deum ipsum, a quo et in
quo sunt, mirabiliter rediguntur, alioquin in nihilum cuncta proru-
erent. Ab unitate divina omnia prodeunt prodeuntiaque unitatem⁴
quandam ipsis impressam retinent divine unitatis imaginem, qua et
revocantur in illam et revocata perficiuntur. Deus igitur, cum nihil
ordine duceret antiquius pulchriusque, eum, ne qua res confusi-
one perturbarentur, illis imposuit. Varia edidit angelorum agmina,⁵
ut aliis alia presiderent, eosque non solum celorum orbibus, sed
corpora quoque celestia inferioribus prefecit, ut suum res queque
sortita moderatorem rite gubernaretur. Multa quoque ultro nascun-
tur e celo que sunt sortita semina. Preterea non modo curandis⁶
variis rerum generibus diversas angelorum prefecturas imposuit et
suum cuique homini calodemonia dedit, verum etiam, ut res hu-
mane rite gererentur, gentibus terrarum principes delegavit, quos
quidem eos esse voluit, qui homines, quanto ceteris animalibus
prestant, tanto hi reliquis hominibus sapientia et probitate precel-
lerent; hos populorum pastores appellat Homerus. Quorsum igitur⁷
hec, rex inclyte, nisi ut te, quod quotidie facis, non tam heredi-
tario iure et humana optione, quam divino iudicio tot gentibus ac
regnis intelligas esse prefectum? Per me reges regnant et princi-
pes imperant, inquit deus. Quanquam pre competitorum invidia⁸
bello carere nequivisti, a pace tamen et pietate, item religione, cle-
mentia, mansuetudine fluctuantissimi regni gubernationem auspica-
tus es, atque vita, quam his tuarum virtutum comitibus carere
maluisti. Contra nonnulli a ferocia et crudelitate sumendam esse⁹
duxerunt diutinoque bello defatigandos et exhauriendos populos
arbitrati sunt. Tu, cum nihil pace duceres antiquius, laboriosa quie-
tis fundamenta iecisti et duobus circiter annis effete Pannonie,¹⁰

quod antehac nunquam illa noverat, otium peperisti. Tanta in om- 11
nes a maiestate tua integritas cum equitate iam exhibita, ut ab
equo nunquam examine declinaveris. Obaudis factiosos, delatori- 12
bus aures occludis, non credis quicquam temere, multa dissimu-
las, dissidentes componis animos, inexplabilem avaritiam coerces,
ambitionem reiicis anhelantem. Deprehendis artes hominum de-
prehensisque subrides. Ad hec inter omnes proceres amorem con- 13
cordiamque disseminas, non mutua refers odia, sed exulcerata
curas pectora, quod plerique principes, qui tyranni potius, quam
reges appellandi sunt, ut inter discordes et infestos proceres faci-
lius imperarent, sane contempserunt. Dum hac fida uteris tacitur- 14
nitate, que certo paterna dici potest, exploratas tibi omnium men-
tes habes. Dum reconditum tuum et occultum semper habes ani- 15
mum mentemque omnibus obstrusam cum mira gravitate coniunc-
tam, nimirum nemo est, qui sapientie tue altitudinem expiscetur.
Accessit ad hec clementia singularis et mansuetudo ingens, qua a 16
tua fide defecerant, et, qui adversariorum partes secuti sunt, haud
difficiliter sunt impunitate donati. Ex quo factum est, ut hec pi- 17
entissimi tanquam patris indulgentia omnes sibi conciliaverint in-
imicos, qua quidem indulgentia, si quis in posterum abutatur, is
profecto non tam aliis quam sibi parabit interitum. His igitur arti- 18
bus, princeps serenissime, estuantem Ungariam pacasti et longe
quietis fundamenta iecisti Numam Pompilium imitatus. Romulus
nanque a bello urbem fundare cepit et armis amplificavit, contra
Pompilius, quam fundatam accepit, pace religioneque munivit; ne-
mini bellum preterquam Turcis immanibus indixisti, quibuscum
perpetuo dimicare decrevisti. Ne satis quidem adhuc tue pietatis 19
officio factum esse putabas, nisi de mortuis non secus ac de vi-
vis hominibus bene mereri viderere divi Platonis verbis admoni-
tus, qui, si vita defunctis, inquit, ex inferis redire liceret, nulla
profecto re alia mallent, quam ut, si bonum inter vivos nomen habe-
rent, melius revivendo prestarent, sin vero malum, mutatis moribus
bonum efficerent. Servatis dicionis tue populis, qui nunc vivunt, ad an- 20
tiquorum memoriam animum revocasti effecistisque, ut cum his illi eque
viverent, quin etiam perpetua vita fungerentur. Nam Unnorum histo- 21
riam a Mathia rege mihi delegatam, qui Ungarorum fuere progeni-
tores, et paulo ante eius obitum initam, ut conscriberem ab origi-
neque mundi ad hec usque tempora, quecunque memoratu digna
intercessere, memorie traderem, iussu tuo factum est. Omnia facile 22
interitura reputabas, nisi que litterarum viverent monumentis. Eo
tandem tue glorie nomen vectum est, ut omnes et vivos et mortu-
os iuxta promeruisse predicent et utrique immortales beneficentie
tue gratias debere ingenue fateantur. Opus igitur hoc maiestati 23
tue summa eloquentia et eruditione prædite, ut par est, iure dica-
mus, ut, cuius beneficentia singularis ad scribendum impulerit, id eius
principis numini dedicetur. Sed utinam materie dignitati auribus- 24
que tuis labor iste satisfaceret. Verum, cum te non tam iudicem
elegerim, quam appellaverim assertorem, religiosa hac dicatura ne

parum quidem fortasse proficiam, quippe que omnem iudicii severitatem et invidorum maledicentiam inclinabit. Ego autem hic ne 25
Anaxilaum quidem et Theopompum imitabor, ne quid praeter meum
agam institutum, qui in historiarum proemiis scriptores alios variis
calumniis sugillarunt, sed mecum severissimo cuique censori
mitius est agendum, quandoquidem eam scribere sum iussus historiam,
que gravis et recondita est ac nullis fere scriptoribus illustrata
et, si qui reperiuntur, hi perquam pauci sunt ac ineptissime
barbareque scripsere. Quis igitur gentis Scythice gesta variaque 26
imperia in tanta bonorum scriptorum inopia facile scripserit? Proinde,
quanti momenti sit res ipsa Scytharum, facile hinc intelligi potest.
Assyrii, qui se primum regnasse gloriantur, exiguam Asiae 27
partem tenuerunt, quibus exactis Medii in propagato regno vix ad
quartam usque progeniem permansere. Succedentes Persae universe 28
Asiae quamvis infestatae Europae parte vix ducentos circiter annos
dominati sunt. Macedones fractis Persarum viribus post Alexandri 29
auctoris imperii mortem facta secessione amplissimum dominatum
labefecerunt. Athenienses oris tantum maritimis, que intra Pontum 30
Euxinum Pamphylumque pelagus fuere, annos vix duodeseptuaginta
imperarunt. Lacedaemones, qui Peloponnesum reliquamque 31
Graeciam adepti imperium in Macedoniam usque protulerunt, mox a
Thebanis afflicti ne XXX quidem annos regnasse dicuntur. Romani 32
domitis Carthaginiensibus rerum potiti diutissime universo orbi,
quacunque adiri poterat, iura dedere. Gens denique Scythica, aliorum 33
pace dixerim, ne imperii Romani maiestatem ledere videar, hec omnia
superavit et presertim Gothi, Unni et Vandali. Gothi 34
nanque propriis sedibus ab Unnis eieci in Asiam et Europam
prorumpentes Romanum fere imperium deleverunt et in occupata
adhuc Hispania imperant. Unni Ungarorum progenitores, qui adhuc 35
late dominantur, non modo Pannonias et Illyricum, sed cum magna
Italiae parte Germaniam Galliamque everterunt. Vandali per Europam 36
aliquamdiu grassati primo Hispaniam, deinde Africam sibi occuparunt.
Quid Sarmatae tot gentium auctores, quid Longobardi, quid denique 37
Sclavones per tot nationes et linguas ample diffusi gesserint, a
senioribus potius, quam scriptoribus accepimus. Quorsum igitur hec? Nempe,
ut omnes intelligant me ne 38
leve quidem onus subivisse hoc volumine tot populorum gesta
complexum, quin et illud accedit, ut aiunt, imaginem nostri animi
esse orationem. Proinde, princeps pietissime, opus tibi dicatum 39
equo animo accipe et immortales deos imitare, qui parvo thure
placantur nec minima queque sacris operantium munuscula abominantur,
ubi si quid laude dignum inveneris, id serenitatis tue numini
tribuendum, que ad scribendum impulit et aspiravit, sine vero
quid ineptum, rei magnitudini, imbecillitati mee ac temporis
brevitati imputandum, que fetus edidit immaturos. Vale igitur felix et 40
libros perlege, ubi cuncta maiorum tuorum gesta non sine voluptate
summa recognoscere licebit.

DECAS I.

LIBER I.

Scythia in partis duas a Tanai fluvio tota dividitur, qui e¹ Ripheis montibus oritur; altera Europica, Asiatica vero altera. Ab² occasu Germania Vistulaque amne, qui e Sarmaticis montibus in Oceanum recta contra Scandinaviam insulam defluit, eodemque mari terminatur; a meridie Danubio, qui e Germanie iugis exoritur et Illyricum attingit, Bessorum lingua Ister appellatur LXque fluminibus auctus in Pontum denique Euxinum septem ostiis plane devolvitur, item Ponto, Iberia, Albania et Perside; a solis exortu ad Araxem fluvium et Seres usque protenditur.

Hec fecundissima gentium officina semper habita, quin et³ insulis longe fecundioribus predata, imprimis Scancia, quam Scandiam Ptolemeus appellat, in quattuor insulas sane divisa, cuius occidentalia Chedini, orientalia Phavone et Phiresi, meridionalia Gute et Dauciones, media Levoni tenent. Item preter hos Crese-⁴mie, qui ferarum ac avium pecorumque carne victum trahunt, panis usum ignorant, et Suetani, qui eximiis equis pretiosisque pel-⁵libus abundant. Preterea Theustes, Vagothi, Bergiones, Hallini, Lio-⁵thide, qui feracissimos campos colunt, et Athelnili, Finnaithe, Fer-⁵viri et Gauthigothi bello asperrimi; ad hec Euagre Othingis ad-⁵mixti, qui, cum preruptis rupibus ferino ritu inhabitent, hoc no-⁵mine donati. Exterius Ostrogothe, Raumarice, Vinovilothe, Suethidi,⁶ Cogeni corporum proceritate prestantes, ex quibus Davi promana-⁶runt, qui propriis sedibus Herulos eiecerunt et Daci deinde dicti sunt; neque desunt Grannii, Aganzie, Unixe, Ethelrugi. Hinc illa Go-⁷thorum innumera multitudo defluxit, que Berigo rege in litus Oce-⁷ani egressa superatis eiectisque Ulmerugis, qui maritimam oram possidebant, Gothiscanciam appellavit, mox finitimos Vandalos, quos pari virtute compererat, sibi conciliavit. Philimero duce, dum⁸ sedes meliores querunt, facto ponte interiectas paludes traiecit; nondum media pars exercitus forte transmiserat, cum pons ipse non sine magna hominum pecorumque iactura diffringitur, nam neque, qui traiecerant, redire neque, qui remanserant, subsequi potuere. Cum locus is tremulis paludibus et ingenti voragine oc-⁹cluderetur, diu armentorum illic mugitus et hominum ploratus, ut aiunt, auditus est. Philimerus, cum reliqua manu Spalos sibi ob-¹⁰vios aggreditur, mox ad extremam Scythie partem, que Pontico mari adiacet, si Ablabio Gothico scriptori credimus, recta descendit. Regionem, que ad Arcticum polum recedit, Adogite incolunt, qui¹¹ in ferventissima estate quadraginta diebus totidemque noctibus perpetuas lucas habent, contra vesaniente hieme pares tenebras. Ad septentrionalem Oceanum insule sunt, quas congelato mari cum¹² lupi adeunt, pre maximo frigore oculos amittunt, quin et in parti-¹²bus his apes quicquam moliri nequeunt.

Vistula igitur fluvius Sarmatiam Europicam, quam nunc ex parte Poloniam dicimus, regionem late diffusam innumerabilibusque gentibus refertam a Germania dividit ab occasu; a meridie lazyges Metanaste disternunt, qui Amadocis montibus eieci ad Danubii ripam confugerunt et quicumque inter Danubium et Sarmaticos Carpatiosque montes ac inter Germaniam Tibiscumque clausi univ-
sum tractum accolunt; item ab Austro eam separant Sarmatici Carpatiique montes a fructu nimio dicti. Post hos continuata iuga ad Borysthenis usque ostia ab exortu Isthmus Carcinitesque amnis et cum Buce Meotideque palude Tanais incognitaque terra circumscribit. Sarmate iidem et Sauromate a lacertinis oculis appellati; ad Vistule ostia Gythones, Phinni et contra anem ascendendo Sulones, Phrugundiones, Avarini a levitate dicti, Ombrones ab imbribus appellati, item Anartophracti, Burgiones, Arsyete, Saboci, Piengite et Bessi, qui omnes ab exortu Venedicis Peucinisque montibus clauduntur et communi nomine Poloni vocantur. Preter Gythones Venedicumque sinum Prutenia, que et Prussia, Livoniaque maritima nunc illa regio dicitur et a Ripheis, Alaunis, Budinis Venedicisque montibus a tergo circumdatur. In his Chronus fluvius, Rhubon, Turuntus et Chersinus; item Sturni, Vibiones, Nasci, Acibi, Borusci, Sabari, Pagirite, Agathyrsi, Sali, Careote et in Sarmatici Oceani litore Velte, Hosii Carbonesque populi. Hunc maritimum huius Oceani tractum a Prutenis Livoniisque habitatum Vidioarii e variis nationibus coacti atque Esti pacatum genus hominum et Agazziri sane bellicosissimi, qui pecoribus tantum et venatu victitant, occuparunt. Ammianus Marcellinus his Arimpheos nimia placiditate cognitos admiscet, quos Chronus Vistulaque preterfluunt et in Prussia hodie continentur. Arimpheis Massagete, qui maiores Gete interpretantur, adjacent; item in mediterraneis Alani, Sargatii, Hamaxobii, qui et Essedones a curribus, cum erratiles domos habeant, vocati sunt, et Budini veteres, qui ad Borysthenis fontes habitant. Omnes hi montibus undique circumsepti.

Litvania post Poloniam est Venedicis Budinisque montibus obducta. E Norvegiarum nanque iugis Borysthenes oritur, ut plerique coniciunt, primigeniis fontibus copiosus, deinde multis amnibus adolescens, haud procul a Cherroneso in Ponticum mare devolvitur. Litvaniam Galinde prius Sudinique tenuerunt. Budini Gelonon urbem ligneam habitant. Iuxta Thyssagete, hoc est sacri Gete a sacrificando dicti, vastas silvas occuparunt, venatu aluntur, quibus iustissimi mores, alimenta bacce, maribus nuda capita, nemora pro domibus; cum sacrosancti habeantur, tutissimum confugientibus suo iure prebent asylum. Ultra Ripheis mons ipse surgit, unde Tanais fluvius oritur, quem cadentes assidue nives invium usque adeo reddunt, veluti Pomponius ait, ut intendentium aciem non admittant. Ditissima deinde regio, sed inhabitabilis, quando gryphi seivum et pertinax ferarum genus aurum terra penitus egestum mira sollicitudine custodiunt neque quenquam id attingere patiuntur. Circum Arimaspi, Essedones, qui et Hamaxobii, cum

plaustra pro domibus habeant, nuncupati, et, ut paulo supra diximus, ceruleo capillo Agathyrsi, quibus mos est ora artusque pingere, veluti quisque maioribus prestat, et his quidem votis, ut abluī nequeant. Item crystallorum, adamantis, smaragdorum copia non mediocris ac lapillorum, qui sint omnium pretiosissimi. Neruis, qui et Neuri fontium Borysthenis accole, statum singulis tempus est, quo pro arbitratu suo in lupos iterumque in eos, qui fuerant, mutantur. Essedones hec ultima pietatis officia parentum funeribus exolvunt, utpote, qui eorum corpora laniant, pecorum visceribus immiscent, abominabili mox voracitate absumunt; capita, ubi affabre expolivere, auro culta pro poculis usurpant. Hostium cutibus equos seque Geloni vestiunt. Melanchleni atra veste utuntur, unde nomen illis inditum. Mars omnium deus est, cui pro simulacris enses et tentoria dicant humanoque sanguine sacra faciunt. Plinius aliquantulum ab Ammiano dissentit, dum Neuros apud Hypanis fontes, Gelonos vero et Thyssagetas, Budinos, Basilidas et Agathyrsos ad Borysthenis ortum fuisse asserit. Basilides ab Hercule et Echidna genus ducunt, quibus mores regii et sagitte tantum arma atque ideo tale sibi nomen compararunt. Gerrhus Basilidas Nomadesque separat. Hypanis per Nomades et Hyleos fluit, qui a sylvis sumpserit nomen, et manufacto alveo in Bucem descendit. Super Agathyrsos sunt Nomades, deinde Anthrophophagi, qui humanis carnibus vescuntur et idcirco execrabile nomen sortiti. A Meotidarum tergo, a quibus palus nomen accepit, ultimi sunt Arimaspi. Postea Riphei montes, ut paulo supra dictum, ubi assiduus nivis casus in pinnarum speciem; hec regio Pterophonos appellata, quia pinnarum more casus nivium homines interficiant, ubi densa caligo ac gelidis Aquilonibus perpetuus rigor. Post eos ultra Aquilonem Hyperborei, qui, cum ultra vite terminum degant, hoc sibi nomen invenere. Regio eorum aprica felici temperie, nullus hic noxius afflatus; pro domibus nemora, luci cultusque deorum, publicam privatamque discordiam ignorant, item morbos; longo evo satiati e quadam rupe se in mare deturbant; hoc sepulcri genere utuntur. Quidam eos in prima parte litorum Asiae posuere, alii medios fecere eos inter utrunque solem antipodum occasum exorientemque nostrum, quod nullo modo fieri posse tam vasto mari interveniente Plinius asserit. Si qua scriptoribus danda fides, semestrem hi lucem habent, matutinis serunt, metunt meridie. Cum Apollinem precipue colerent, primitias frugum Delon mittere solebant, quas virgines hospitium gentium per aliquot annos venerabiles ferebant, at, ubi hospitium fides violata fuit, in proximis accolarum finibus ea deponere constituere. Ultra Ripheos montes in litore septentrionalis Oceani unius diei navigatione Baunonia est insula, in qua veris tempore fluctibus iaciatur electrum, si Timeo credimus. Deinde est Amalchium, ut Hecateus ait, a Parapaniso amne, quod illius regni gentis lingua congelatum mare significat; Philemon Morimarusam a Cimbris, id est mare mortuum, asserit appellari. Post hec Cronium et Balcia immense magnitudinis insula,

quam Pytheas Basiliam quasi reginam insularum nominat. Sunt et 42
Eone, in quibus ovis avium et avenis incole vivunt. Neque desunt
alie, in quibus equinis pedibus homines oriuntur Hippopodes
dicti. Item et Phanesiorum insule, ubi nudi homines, et alie, in qui- 43
bus pregrandes ipsorum aures tota corpora tegant. Mox cum Oce- 44
anus in Sarmatiam Germaniamque curvatus Codanum sinum faci-
at ingentem, Scanciam, quam plerique Scandinaviam vocant, in-
comparatae magnitudinis insulam ostendit, cuius portionem, ubi Hil-
levionum gens per quingentos diffusa pagos habitat, orbem alterum
appellat. Quare, si Gete inde promanarunt, quos Gothos dicimus, 45
et totam fere Scythiam inundarunt, nemini profecto mirum videri de-
bet. Hec ad Vistulam usque fluvium a Sarmatis, Venedis, Sciris et 46
Hiris quondam habitata, cuius sinus Cylipenus dictus est, subsequens
vero Lagnus Cimbris conterminus.

Prima nunc eius Sarmatie partis, que Polonia dicitur, civitas 47
est Graccovia a Gracco cive Romano nominata innumereque alie,
quibus parietes et muri sunt lignei; sed Graccopolis clarissimum
habet scientiarum omnium gymnasium. Nostro autem tempore, 48
prima Sarmatie pars, que Iazygibus est finitima, Polonia dicitur,
que vero ab ostiis Vistule per sinum Venedicum extenditur, Prus-
sia nominatur. Livonia per idem litus post eam in septentri- 49
onem propagatur. Litvania a Prussie tergo Venedicis Budin:s-
que montibus circumducitur. Post Poloniam versus Tanaim Mas- 50
sovite, quos Massagetas esse dicimus. Ultra Litvaniam versus
Tanaim Tartaria vera, id est Alania, a mediterranea Sarmatia de-
scendendo ad Meotida Tartaria falsa. Post Poloniam et Massovi- 51
tas, si flectatur ad mare Ponticum et Meotidem, Russia est vel
Ruthenia eiusque populi Rutheni ad Tanaim usque inter montes ac
mare Meotidaque paludem protenduntur; iidem olim Roxani
Roxolanive dicebantur. Peucinatorum et Basternarum regio est, que 52
a Peucinis Carpathisque montibus incipit et inter Istri Borysthenis-
que ostia ad mare Euxinum protrahitur. Ceterum, ubi de Sarm- 53
tia Europica satis dictum est, ad Iazygas revertamur ac regiones,
que Danubium, Pontum, Meotidem Tanaimque tangunt, quando
de mediterraneis Scythis nonnulla retulimus, rite prosequamur.

Iazyges, quos inter Germaniam et Daciam supra definivimus, 54
patriis sedibus eiecti Metanaste, id est exules, cognominati sunt,
quibus olim oppida hec: Uscenum, Bormanum, Abieta, Parca, Tris-
sum, Candanum, Pessium et Partiscum et nunc Agria innumeri-
que pagi. Agria ab Agrianis Illyrici populis, qui a Triballorum tergo 55
habitabant, et condita et nominata est, qui traiecto Danubio in
Partiscorum agro consedere haud procul a Tibisco amne. Aliqui 56
ab interfluente fluvio, vel quod gens agrestis fuerit et inurbana,
nominatam putant. Tempestate nostra hanc Urbanus pontifex Agri- 57
ensis excoluit, qui divo Mathia imperante claruit, vir tanti consilii
et sapientie compos, ut apud principem illum invictissimum pri-
mum locum obtineret, omnia regeret, questuram perpetuam gere-
ret et per multos annos pretorii prefecturam, quem palatinatum

dicunt; nec Vienne quidem Alemanice pontificatu caruit; procero corpore ac obeso, aspectu liberali ac venerando, probitate summa, moderatione non mediocri, inaudita negotiorum laborumque tolerantia, profusa liberalitate et amore fuit in studiosos non mediocri. Universas principis curas obibat, imperium et omnia e sententia⁵⁹ gerebat, nullius unquam otii particeps, ut eternam domini sui gratiam compararet, iniuriarum suarum dissimulator egregius et pre animi magnitudine ire ac indignationis victor indomitus, omnia equo animo perferens utriusque fortune pari equanimitate tolerator, amantissimus suorum, amicis deditissimus, vir gratissimus omnium et cumulatissimus relator gratiarum; triginta milia circiter aureorum quotannis ei proventus erant, ex quibus praeter corpori necessaria nil recondere voluit; aulam semper frequentissimam nitidamque habuit maxima nobilium principumque familia refertam. In mensa lautissimus, parcissimus in vestitu, vestem sollemnem nunquam tulit pluris, quam que triginta aureis veniret; octo aureorum toga forensi et domestica utebatur. In celeris vero rebus, vel que ad divinum honorem vel ad humanam pietatem illi beneficentiamque facerent, usque adeo beneficus et profusus, ut neminem parem eo tempore Pannonia viderit. Preterea liberalitate, equitate, temperantia, religione, misericordia, comitate, magnificentia, fide ac dignitate tanta, ut omnes in amorem observantiamque sui iure converteret et alliceret. Sepe patrem illum optimum dicentem audivi se nihil preter lautum victum corporisque tecturam sibi ex hac vita usurpaturum, cetera, que supererant, se in dei honorem et alienam utilitatem erogaturum. Nobilia pascebat et fovebat ingenia, pauperes et calamitosos mira beneficentia complectebatur; in litterario ludo multos alebat, templa edesque magnificas erigebat, suas ecclesias superbis non modo edificiis, verum etiam aureis vestibus scyphisque argenteis mirifice exornabat. Ita vixit, ut non sue, sed aliene utilitati vixisse videretur, et semper esse quam videri maluit. Nemo, quanti fuerit Urbanus, admiretur, cum tantum regem sapientie sue preceptorem habuerit, et, qualis ille fuerit, hinc quisque coniciat, quante molis erat divo tam abunde satisfacisse principi. Hic igitur non solum virtute ac dignitate summa, sed optima nepotum turba iure omnium iudicio felicissimus potuit appellari, e quibus Stephanus Crispus erat tunc Syrmienensis, ut aiunt, episcopus declaratus humanitate summa, moribus nobilissimis, item magna bonarum artium doctrina preditus, qui Urbanum avunculum omnium ex parte referebat. Post Agriam, ut ad diverticulum redeatur, Cassiovia est a Cassio Romano cive nominata urbs, Heracle, clarissima et ad Metanastarum caput Pisonium in Danubii ripa situm, quod pari modo conditoris nomen referre gloriatur, non parum Romane redolens nobilitatis; a Pisone nanque nominatum, qui Pannoniis preluit et Thraces ad Mysios deficientes domuit, quorum captivi in vincula coniecti tante feritatis erant, ut ait L. Florus, ut catenas dentibus morderent; aliqui a Pisone Frugi etiam cognomento, qui a Valente fuit interfectus, vocatum opinantur. Hinc⁶⁹

XXX milibus passuum Trinavia et remotius in mediterraneis Nitria Bochi fluminis accola precipiti cursu Danubium influentis; paulo superius in eadem ripa Colgocium, quod Scythica lingua libera civitas interpretatur, item Trencenium et Silina. Sub Pisonio cum Danubius in plures alveos dividatur varieque insule fiant, ex his nobilis habetur Samaria, que Scythia dicitur, et Comara priscorum Scythie Asiaticae populorum nomina referentes. Arx ibi ad caput munitissima et divi Mathie regis ingenti sumptu elaborata; horti quoque regii et vivaria multa amenissimique pagi. Deinde unius diei itinere Vacia a Vato heremita in Danubii heremo degente nominata vel a Batia quondam iuxta Buthrotum sita; ego autem a Vatiniano puto superioris Pannonie populis, quos Ptolemeus plane commemorat. Hec suo antistite Nicolao Batore, viro nobilissimo, oratore summo, Italicis moribus et disciplinis ornato nunc maxime gloriatur. Vetus nanque Batorum familia apud Ungaros magni semper habita, quam a proprio plerique pago, nonnulli a Bato Pannonie rege, cuius memor est Strabo, una cum pago et Bacia civitate dictam esse arbitrantur. At Stephanus Bator Dacorum Transalpinorum dux gestorum bellorum gloria haud minus nunc domum illustrat, qui, cum una cum collega suo Paulo Chinesio divi Mathie ductu et auspiciis in Turcorum expeditionem proficisceretur, deleto ingenti hostium exercitu perpetuam sibi laudem comparavit. A Vacia XXX milibus passuum in eadem ripa remotum est Pestum in Bude Nove conspectu situm ac Pesti Italici quondam nomen imitatum et a Pestanis fortasse militibus vigente quondam imperio Romano edificatum. In montibus vero Sarmaticis, qui Metanastas a Polonis dividunt, Cremicia, Scemicia, Solium, Bistricia, in quibus auri sunt altissime argentique fodine regine Beatrici Mathia rege dono date.

Post Iazygas iuxta Danubium Dacia succedit inter Tibiscum et Hierasum Tyramque effusa et ab Axiace fluvio a tergo a Sarmatia divisa, in qua imprimis Marmacia, unde Tibiscus oritur, in Carpatiis montibus collocata, quam Marmarussam nunc appellant, ubi sal marmoris instar effoditur et tanta quidem copia, quanta universe Scythie satis esse posset; ne procul quidem hinc aqua invenitur, in qua demersum ferrum vertitur in cuprum. Vetusti Dacie populi fuere Teurisci, Cistoboci, sub his Predavensii, Rhatacensii, Caucoensii, Biephi, Burideensii, Cotensii, item Albocensii, Potulatensii, Saldensii, Ciagisii, Piephigi, Sensii; oppida quoque vetera Rhuconium, Zuribara, Lizisis, Tibiscum, Decidava, Ulpianum Ulpii Traiani colonia. Eodem nomine aliud Ulpianum Mysia superiore commemorant, nam Crinitus Ulpius Traianus, cum Mysos et Dacos domuisset, in sue victoriae monumentum Nicopolim in Istri ripa condidit et pre ceteris has colonias deduxit, quas a suo nomine denominari iussit; item in Danubio pontem erexit, opus perquam admirabile, ut Dion in Traiano scribit, cuius hodie quoque pile nonnullae spectantur, ad quem in ulteriore parte Danubii Severinum est oppidum a Severo imperatore conditum,

quod magno adhuc presidio adversus Turcorum impetum Ungari tenent. Et Singidava, Acmonia, Arcina, Zeugma, Dierna, Druphegis, 81 Porolissum, Napoca, Patruissa, Pretoria Augusta, Saline, ubi nunc fortasse Marmarussa, que olim Marmacia; item Marcidava, Apulum, Ziridava, Aque, Amutrium, Pinum, Argidava, Comidava, Sornum, Triphulum, Rhamidava, Tiasum, Carsidava, Paridava, Utidava, Petrodava, Zusidava, Netindava. Trans montes Carpatios extrema Dacie 82 regio ad Axiacem fluvium usque producta, quam nunc Transylvania vocant, pecoris, vini, frumenti, item auri et argenti feracissima, ubi amnes nonnulli aurea ferunt aurique fragmenta quandoque sesquibralia trahunt, cum montibus sit undique circumsepta in corone speciem. In sylvis iubati boves et uri ac sylvestres 83 etiam equi; utrisque eorum mira pernicitas; at equi iuba sunt ad terram usque demissa, domesticis per se inest mollis alterno crurum explicatu glomeratio. Regionem hanc habitant partim Scythe, 84 partim Saxones et Daci, mitiores hi, asperiores contra illi. Olim 85 Romanis Sarmaticisque coloniis ante Gothorum et Unnorum eruptionem tota Dacia complebatur, ut ex multis antiquorum lapidum inscriptionibus coniecere potui et ex hac presertim, que in Transylvania nuper inventa est: L. Annio Fabiano triumviro capitulum, 86 tribuno legionis II. Auguste, questori urbano, trib. pl., pretori, curatori Vie Latine, legato legionis X. Fretensis, legato Augusti pro pretore provincie Dacie. Colonia Ulpia Traiana Sarmatica. D. M. C. Iulius Sabinius miles leg. XIII. G. librarius a rationibus vixit annis XXX. C. Iul. Valens duumvir i. d. et Cominia Florentina parentes infelicissimi. P. Furio Saturnino legato Augusti pro pretore consulari. Colonia Dacica Sarmatica. L. D. D. D.

Ultra Axiacem fluvium Peucini, Carpiani, Basterne sunt et 87 Chuni, qui natali solo eiecti in Ungariam venerunt et a divo Mathia Danubii insulam impetrarunt; paucos post tempore sponte se orthodoxa fide nostra initiarunt. Gete vero, quos Valachos nunc 88 dicimus, Pius Flaccos appellat, a Transylvania incipientes inter Tyram et Borysthenem fluvium ad Euxinum usque mare latius effunduntur. Pars vero, que intra Tyram, Hierasum et Danubium in- 89 cluditur, Moldavia quasi mollis Dacia a iunioribus nominatur; sed Istro propior Montanina nunc dicitur; Davi enim et Daci iidem sunt ac una lingua utuntur.

In Transylvania quondam hec fuere oppida: Carrodunum, 90 Metonium, Clepidava non procul a Tyra, cuius accolae Tyragete dicti; item Vibantavarium, Eractum et metropolis eius Alba Iulia a Romano prius condita, deinde ab Albanis Scythia instaurata; Ladislao episcopo prepontifice Ungarico nobilissima Gereborum familia nato, viro quidem probitate summa, non mediocri doctrina, pari eloquentia regio nunc ista censetur; hic cum fratribus quante sapientie fuerit et dignitatis, et in Beatricis symposio scripsimus et, si vita supererit, in hac historia suo loco referemus. Ultra Peu- 91 cinos Russia, que Ruthenia nunc dicitur, Transalpina regio, quam olim Budini Hamaxobii que, nunc Rutheni incolunt, quorum Leopo-

lis a Leone imperatore pro parta barbarorum victoria nominatur, metropolis profecto nobilissima, ubi celeberrimum universe Scythie celebratur emporium. In mediterranea vero Dacia Varadinum, quod suo nunc antistite Ioanne prestanti Bohemorum familia nato tantopere gloriatur ne iniuria quidem, quando summo et libero fuit ingenio, animo excellenti ac magno, ineffabili comitate, liberalitate singulari ac fide in divum Mathiam, cuius supremus consiliarius erat, constantissima, nemini unquam nocuit, profuit, quibus potuit; inimicos iniuriarum oblivione et officio semper sibi reconciliare solitus maxima queque sui domini sententia pre nimia ingenii dexteritate peregit; ubicunque fuit, semper ostendit, quanti principis fuerit alumnus, nullam legationem obivit, quam non honorificentissime gesserit, quare divo Mathie ita gratus est habitus, ut perpetuo eius animum sibi obstrinxerit. Varadinum Chrisus fluvius interfluit a Carpatiis montibus demissus, qui, cum ramenta aurea deducat, ab auro nomen accepit. Ceterum haud ab re futurum arbitramur, si de Dacis aliquid ulterius exponemus.

Daci iidem et Davi sunt Getisque cognati, quando idem utriusque sermo, quin etiam ex eodem loco prodire, sed aliqui ex Scandinavia, quibus Iordanis ac multi scriptores astipulantur, una cum Getis, quos Gothos dicimus, plerique a Dais, qui sunt in Scythia Asiatica, venisse contendunt. Dae nanque, ut auctor est Strabo, Hyrcanie finitimi sunt populi, quo Unnorum ceterorumque Scytharum ritu meliores sedes quesivere. Quare Daci et Gete non e Scandinavia, sed ex Asiatica Scythia, cum occidentalibus orientales populi vetustiores fuerint, rectius provenisse reputantur. Quin et Davorum et Getarum servorum nomina Athenis tantopere celebrantur; solebant enim servi, ut Cappadoces et Syri, a suis regionibus appellari. Nec desunt, qui Dacos et Davos a dai, hoc est pugna, cum bellicosissimi fuerint, nomen accepisse velint. Getas vero a gesis, cum s in t more Greco sepe mutatur, que Romana pila sunt, appellavere. Gesis enim longus contus est, ut in Geticis Criton scripsit. Gete in exortum ad Pontum vergunt, Daci contra versus Germaniam ac Istri fontes. Quod Daci Davi sint, antiqua eorum oppida testantur, utpote que in dava potissimum exeant, veluti Comidava, Sergidava, Decidava, Marcidava, quasi Dava Marci, Decii et Sergii. Sed Gete Grecis notiores, siquidem frequentius ad utranque Istri ripam commigrabant et modo Mysis, modo Thracibus immixti versabantur. Triballi quoque Thracie populi, cum idem eis obvenerit, easdem sepe transmigrationses tolerarunt, et eo potissimum tempore, cum finitimi adversus inferiores insurgerent. Dion Pruseus sophista dignissimus, qui Apollonii Tyanei et Eucratidis Tyrii temporibus floruit, in Getas tanquam exul peregre profectus Getica edidit, ut Philostratus ait, ex quibus res Getarum, quanti habite fuerint, facile possent intelligi. Cesar Augustus adversus Dacos quinquaginta milium olim exercitum misit ac vix Danubii ripa prohibere potuit. Aucto igitur plurimum Getarum et Dacorum imperio ad CC hominum milia exercitum amplificaverunt tra-

108
 109
 110
 111
 112
 113
 114
 115
 116
 117

ictoque Danubio provincias populi Romani gravissimo bello in-
 festarunt. Curio Dacia tenus populi Romani signa tulit, sed tene-
 bras saluum expavit; in Sarmatas usque Appius; Piso Rhodopen,
 Caucasum penetravit Lucullus ad terminum gentium Tanaim lacumque Meotim. Nec aliter cruentissimi hostium, quam suis moribus domiti, quippe, cum in captivos igni ferroque sevitum sit, nihil barbaris atrocius visum est, quam quod abscessis manibus relictis pene supersatites vivere cogentur. Domitianus imperator unam in Sarmatas expeditionem cesa cum legato simul una legione et in Dacos duas necessario suscepit; primam Oppii Sabini viri consularis gratia, quem ab hostibus oppressum senserat, secundam Cornelii prefecti cohortium pretorianarum, cui belli summam ipse commiserat. De Dacis post bella varia bis triumphavit; de Sarmatis lauream Capitolino Iovi retulit. Tunc aras Flavianas ei dicatas Vienne crediderim, quando Flavie gentis ille fuit. Deinde, cum Daci iterum defecissent, eos Traianus in dicionem suam redegit et, cum assiduo bello res Dacie exhauste forent, multas illuc colonias deduxit in hodiernum usque diem Romanam linguam referentes. Neque diutius id profuit, nam Galieni imperatoris temporibus amissa est, que Aureliano deinde dedit originem, sed Aurelianus Daciam, quam Traianus provinciam ultra Danubium fecerat, ut Suidas et Eutropius ait, intromisit; omni Illyrico Mysiaque vastata desperans eam posse retineri Romanos ex urbibus et agris Dacie abduxit eamque in media Mysia collocavit ac Daciam appellavit, que nunc superiorem inferioremque Mysiam dividit, et, cum illa ante in leva Danubii fuerit in mare fluentis, nunc in dexteram ab Aureliano translata. Quin et Licinius imperator a Galerio declaratus e Dacia fuit oriundus. Daci quondam superatis bello Bois et Teuriscis totam fere Illyrici regionem desolarunt et Scordiscos olim Galatas appellatos cum Illyricis et Thracibus promiscue viventes graviter infestarunt, deinde in belli societatem acceperunt. Gete a Romanis, ut ait Plinius, Daci dicti sunt, de quibus infra latius disse-
 retur. Dacia Gothia et, cum a Gepidis Gothorum cognatis deinde occupata fuerit, etiam Gepidia dici potest. Galieno imperante Gothi Greciam, Macedoniam, Pontum et Asiam devastarunt. Danubius e Germanie montibus oritur haud procul a Rauracis iugis limitibus Rheticis per latiore orbem protentus, receptis LX fluminibus fere navigabilibus bis decies circiter milibus passuum vagatus septenis tandem ostiis in Euxinum mare devolvitur; a dextra Rhetos, Vindelicos, Noricos, item Pannonias, Mysias, ad levam magnam Germaniam, Iazyges Metanastas, Dacos et Getas habet; Nilo dumtaxat inferior, glacie congelatus onusta plaustra ingentemque exercitum sustinet et tunc a nature deficit officio. Nam, cum ad Pannoniarum defensionem tutelamque imperii Romani nature iussu iam emergerit, ne a seva barbaria incursaretur, vesaniente bruma, ut Germanis et Scythis aliquantulum blandiatur, quando sui sunt accole, eorum pedibus calcari patitur. Cum Illyricum attingit, Ister ab Istro rege nominatur, cuius duo filii Elorus et

Acteus, quos Philostratus, quem in Nove Civitatis obsidione divi Mathie iussu e Greco traduximus, scribit, ex Homeri sententia clarissimi quondam habiti Mysis Troianisque auxilio fuere, item in bello, quod ad Troiam gestum est, maximus Ajax adversus Mysos se et una cum Patroclo Achillem, adversus Hemum filium Martis Diomedem, Palamedem et Sthenelum, adversus eos, qui ex Istro venerunt, Atridas et reliquos opposuit. At Istri filii Scytharum duces, 118 qui Hectoris instituto quadrigis pugnabant, cum in hostes forti animo irruerent Ajaxque scuto acriter insonuisset, deterritis resilientibusque equis curribus excussi palantes Scythe fugitabant, illi vero, cum obstinatissime pugnarent, ambo cesi.

Ante eruptionem Peuce est insula, quam, cum Basterne occu- 119 passent Peucinatorum accolae montium, insulam quoque Peucen appellarunt; a picearum sylvarum multitudine Peucini dicti sunt. In- 120 ferius et superius insule multe non pari magnitudine; quare pre ceteris celebratur primum Istri ostium Peuce deductum Hierostomon dictum quasi sacrum os; neque procul Istropolis ab amne nominata. Iuxta Peucen magna palus oritur; supra Istropolim quo- 121 que iacus est tribus et LX milibus passuum ambitu, quem Halmyrim vocarunt. In Peucinis igitur interamnis Achillea urbs est a Turcis 122 nuper occupata Achillis religioni deditissima, quam Leuce Dromusque, ut inferius ostendetur, affirmat. Secundum Narcostomon a 123 congelatis stupidisque piscibus, quorum magna ibi copia capitur, appellatur. Tertium Calostomon a lignis vel bonitate vocatum. Contra a falsitate quartum, quod Pseudostomon nuncupant; et inde insula Conopon, que a culicum multitudine sibi nomen invenit, Diabasis a transitu nuncupata. Quintum os Boriostomon, quod spectat 121 ad Boream. Stenostomon vero sextum, sed angustum; Spirestomon denique septimum, quod spiras latius obducat, a palude nigra defluens, quam Thiagolam Ptolemeus appellat; non procul Harpis est civitas. Post Sacrum tria ora sunt exigua et angusta. Ephorus quin- 125 que tantum Istri ostia ponit post septena Istri ora. Preter mare Ponticum vasta planities aperitur aquarum indiga, quam cum Darius 126 Hystaspis filius intrasset trajecto Istro, cum adversus Scythas bellum gereret, parum abfuit, quin cum exercitu toto deleretur; deinde Lysimachus in expeditionem contra Dromichetein Getarum regem profectus eadem necessitudine adactus in hostis potestatem devenit, at, cum clementem hostem nactus esset, incolumitate donatus abiit. In hac solitudine omnes Scytharum sunt gentes, ut Plinius ait, quarum 127 alias tenuere Gete, alias Sarmate, utpote Hamaxobii aut Aorsi, alias degeneres Scythe, qui a servis orti sunt, aut Troglodyte; mox Alani sunt et Roxolani. Ab ostiis Istri ad Tyram DCCCC stadia 128 interiacent in medio spatio lacus duo et quidem ingentes; altero portus loco uti licet, ore caret alter. Planitie vastitatem Britolage 129 habitant a leporum gravitate nominati; oppida vero Cremnisci, Epollium, montes Macrocremni; clarus est prope Tyram Hermonactus. Sed 130 hinc historicorum magna dissensio; aliqui sunt, qui Getas, quos Gothos dicimus, e Scandia profectos insula fuisse contendunt tem-

pore Tiberii. Elius Cato ex Transistriana regione quinquaginta Getarum milia in Thraciam habitatura deduxit, que gens Thracum lingua utitur et adhuc habitat Mysique vocantur. Greci, ut auctor est Strabo, Getas Thraces esse arbitrantur, veluti Mysi; quandoquidem utrique Thraces et quos nunc Mysos vocant, a quibus Mysi quoque illi promanarunt, qui in Asia inter Lydos, Phrygas et Troas habitant. Item ipsi quoque Phryges e Thracibus duxere genus, cum olim Bryges dicerentur, quemadmodum Medobithynos, Bithynos et Thynos nominatos accepimus.

Posidonius de Mysis, Thracibus et Getis multa refert admiratione dignissima, quando religioni deditissimos a carnibus abstinentes perpetuique celibatus non parva ex parte observatores fuisse scribit melle se tantum ac lacte caseoque vesci solitos atque idcirco Deicolos et Capnobatas, id est fumi conscensores, appellatos, nonnullos e Thracibus, qui sine mulieribus vitam exegerint, Ctistas vocatos quasi creatores honorisque gratia sacrosanctos habitos et omni denique libertate donatos. Menander ille comicus idem sentiens, Thraces, inquit, universi non presertim Gete, nam eorum indigenam esse me ipse glorior; pre ceteris continentiam nimis agimus. Et subdit: E nobis uxorem ducit nemo, quare Getis maximum fuit divinarum rerum studium, quod carnum quoque abstinentia vehementer auxit. Post hec e Getarum gente quendam Zamolxin nomine Pythagore servivisse ferunt, ab eo ne mediocrem quidem divinarum rerum cognitionem didicisse; ad Egyptios peregrinatum nonnulla suis artibus addidisse, in patriam reversum in summo honore apud suos habitum, auguria, prodigia, somnia presagivisse, proinde regem Getarum ultro animum induxisse, ut optimum divine voluntatis interpretem sibi in regni societatem hunc philosophum ascisceret; imprimis dei peculiaris sacerdotem fuisse designatum, deinde pro deo habitum, speluncam subterraneam ac aliis inviam subivisse, nemini praeterquam regi regisque ministris colloquendi fecisse potestatem, ibi deorum more oracula reddidisse, edicta edidisse multa; demum morem hunc ad Tiberii usque tempora perdurasse, quo semper aliquis sanctissimis peditus institutis inveniretur, qui regi consiliarius foret et pro deo a Getis coleretur. Caesaris Augusti tempore, qui adversus Byrebistam Getarum regem comparavit exercitum, Deceneus hoc honore in sacro monte, cui Cogeono nomen erat, fungebatur.

Quare, si Grecis credimus magna auctoritate peditis, et Gete, quos pro Gothis habemus, e Thracibus duxere genus, quonam pacto e Scandia sive Scancia prorupere? Immo Iordanem ceterosque scriptores, qui eum secuti sunt, mentitos esse confitebimur, nisi fortasse Thraces quondam Getarum Mysorumque progenitores e Scandia primum effluxisse dixerimus, aut Apollodorum Eratosthenemque sequamur, qui Homerum ceterosque scriptores antiquos Greearum rerum notitiam habuisse fatentur reliquarum longe positarum peritia caruisse, cumque flumina circiter quadraginta Pontum influant, neque Istri neque Tanaidis neque Borysthenis neque

Hypanidis neque Phasidis neque Thermodontis et Halydis, qui celeberrimi sunt, fecisse mentionem, ne de Scythis quidem, quos claros quosdam equarum mulsores Galactophagos Abiosque nuncupat et fortasse non immerito, quando ea tempestate mare illud nulli patuit navigationi, proinde Axenon et inhospitale nuncupatum ex frequenti procella et Scytharum immanitate, qui hospites immolare et humanis carnibus vesci et calvarias pro poculis usurpare solebant? Pontus quondam inaccessibilis erat, at, ubi Iones in litore 141 urbes condidere, Euxinus et benignus hospes appellari ceptus est. At quisnam Homerum Scythas ignorasse dicere ausit, si Galactophagos, Abios et iustissimos nominarit, cum carros pro domibus haberent, nomades et pastores essent, nulla laborarent avaritia, onus pro onere darent, uxores cum liberis e Platonis instituto communes haberent, nihil privatum preter cyathum et ensem possiderent, mire simplicitatis homines nulla malitia et ambitione laborantes, contentos paucis et longe nobis continentiores? His quondam moribus 143 Scythe prepollebant. At, ubi mare a nobis navigari ceptum, maritimi Scythe nostris moribus coinquinati; eos continuo deliciae, voluptates, malicie magnitudo, avaritia, malarum artium officina protinus invasit; mox deteriores effecti hospites mactare, agere 144 latrocinia, luxuria mollescere, tractare sordida lucra; dum mansuetiorem exterorum vitam gustant, effeminari, corrumpere priscorum mores, pro simplicitate maliciam inire, immutare fere omnia. Quare 145 viri quondam sanctissimi fuere Scythe, ut Strabo astipulatur, ac tales, quales ab Homero scribuntur; quin etiam Scythicam simplicitatem Persarum, Egyptiorum, item Babyloniorum et Indorum testantur epistole. Anacharsis philosophus et Abaris, qui ab Avaribus 146 Unnorum sociis duxit originem, et plerique alii in Greciam sapientie cupiditate peregrinati perpetuam idcirco laudem sibi compararunt, quia gentile quoddam pre se ferentes insigne ingenitam iustitiam, facilitatem lenitatemque redolebant. Alexander in expeditione 147 adversus Thracas, cum Triballos incursasset Syrmiumque Triballorum regem persequeretur in Peucem Istri insulam confugientem, unde Syrmium postea denominatum est, navigiorum inopia remoratus est; transgressus in Getas captam eorum urbem subvertit, mox acceptis ab illa gente et a Syrmo rege muneribus e vestigio se recepit ad suos. Dromichetes Getarum rex, cum successorum Alexandri temporibus Lysimachum infestantem cepisset, Ne mortalibus, inquit, talibus bellum infer, sed potius pro amicis habeto. Deinde hostem male meritum hospitaliter donatum dimisit 149 talique beneficio eum sibi perpetuo obligavit. Anacharsis vero, ut Ephorus asserit, e Sacarum genere fuit, qui Asiaticam Scythiam frugiferam incolunt; hic moderatione, prudentia ingeniique prestantia inter septem sapientes annumerari meruit; folles ignis exuscitatores, bicipitem ancoram rotamque figularem invenit, de quo multa Diogenes ipse scribit. Sed, quando in Getis et Scythis ali- 151 quamdiu fuimus immorati, nunc ad diverticulum redeamus.

Harpis non procul a palude Thiagola urbs quidem vetustissima, 152

cui ab Harpyis nomen inditum. Phineus enim, ut auctor est Ho-
 merus, ab Harpyis in terram Galactophagorum, id est Getarum, duc-
 tus est, qui sobrio victu sunt et parco, sanctis legibus utuntur, ex-
 terius inexpugnabiles et invicti ac nullo avaritiae morbo laborantes.
 Post Istri ostia maritimam Ponti versus Tanaim peragranti oram ¹⁵⁴
 Tyras imprimis fluvius occurrit, a cuius ostio quingentorum stadi-
 orum intervallo insula Leuce Achilli sacra prospicitur, de qua multa
 Philostratus e Protesilai verbis cognitione digna scribit Neptuno
 Thetida pro novo solo supplicasse, ut aliquam his, qui e Thessalia
 forent, incolendam insulam daret; hunc reputantem Ponti longitu-
 dinem nullam inhabitabilem invenisse, cum Istrum, Borysthenem
 et Thermodonta, qui immensis perpetuisque gurgitibus in Pontum
 deferuntur, reputasset, unum ex iis amnibus profluentem exagge-
 rasse in Pontoque insulam statuisset; eius longitudinem XXX fuisse ¹⁵⁵
 stadiorum, quattuor vero latitudinem, mox sibi pteleas albasque
 arbores fuisse ortas, unde insule nomen inditum, alias templum in
 mirum amenitatis ornatum circumstare; hanc deum Achilli ac He-
 lene incolendam dimisisse; ibi templum utriusque religiosissimum ¹⁵⁶
 et utriusque statuas fuisse positas, quae se mutuo non conspiciunt,
 nam Helena spectat ad Egyptum; quin et Neptunum et Amhitritas,
 item Nereidas ceterosque amnium demones, qui in Meotidem
 Pontumque conveniunt, ibi sua coniugia frequentare; albas ad hec ¹⁵⁷
 aves insulam habitasse et confirmasse nomen; omnes Grecos ce-
 terosque barbaros Ponti accolae tali sese hospitio abstinere; Achil-
 lem et Helenam ibi convivia agere in cantibusque quotidie versari,
 mutuum amorem Homerumque preconem perpetuo cantu resonare;
 praeterea esse famam mercatorem quendam hanc insulam quando ¹⁵⁸
 frequentasse, huic apparuisse Achillem, retulisse, quae ad Tro-
 iam gesta sunt, grato hospitio et lauto prandio excepisse, mox
 imperasse, Ilium navigaret Troademque puellam adduceret, quae una e
 Priamidum sanguine supererat; quod cum ille fecisset, ab Achille ¹⁵⁹
 mirifice laudatum ac iussum, ut eam, quando Leucen mulieribus
 adire nefas erat, in sua navi custodiret, mercatorem ab eo non
 sine multa pecunia dimissum neque adhuc stadium abnavigantem
 puelle ululatus audivisse immaniter ab Achille discerpte. De his
 hactenus; nunc ad Tyram fluvium revocetur oratio.

In ostio turris est Neoptolemi et vicus Hermonactus appella- ¹⁶⁰
 tus. Nam Achillis filius, ut aliqui opinantur, iuxta paterna monu-
 menta ipse quoque aliquid edificare voluit, quod non assentior,
 immo a Neoptolemo Mithridatis filio nomen assumpsit, qui estate
 navali, hieme vero equestri prelio Scythas superavit et, ut exitum
 Tyra Getis obstrueret, in Tyre ostio turrim erexit. Tyras a Tyriis ¹⁶¹
 mercatoribus dictos arbitror, qui lucri cupiditate ducti non modo
 primi cum Ionibus mare Ponticum, sed Hispanum quoque et Ga-
 ditanum penetrarunt, ut argentum sylvarum incendio conflatum e
 Pyreneis montibus purpure commercio referentes se ditarent; Phe-
 nices primi cymbam et siderum in navigando observationem inve-
 nerunt. Ad amnem urbs Tyras, quae etiam Ophiussa dicitur, cum ¹⁶²

Ophenicum dici debeat a Phenicibus nuncupatum, adverso nanque flumine navigantibus a dextra Niconium, a leva Ophiussa. Gete Tyre accolae Tyragete vocantur. Neque procul est insula spatiosa, quam Tyragete incolunt a Pseudostomo Istri ostio CXXX milibus passuum sane remotam. Mox Axiace fluminis cognomine vocati hi, cum sagittarii sint egregii, quasi soli sagitta digni haberi debent. Ultra istos Crobogigi ac Rhode flumen; item sinus Sagaricus et portus Ordessus; a Tyra CXX milibus passuum Borysthenes abest, quem Boree robur interpretantur, quando inde defluit navigationi commodus, dulci aqua piscibusque optimis peditus. Huius lacus ingens et oppidum, quod XV milibus passuum a mari recedit, eodem nomine appellatum; hoc a Milesiis conditum modo Olbiam propter divitiarum beatitudinem, modo Miletopolim vocantur. Optimum hic solebat haberi emporium, quo Greci Scytheque omnes confluebant. Item in litore portus Acheorum. Ab Achillis insula Leuce CXXV milibus passuum Cherronesus abest in gladii formam porrecta in transversum, quam ab exercitatione ducis Thessali Dromon Achilleum nominarunt. Agrippa eius longitudinem LXXX milibus passuum constare asserit. Universum illum tractum Sardi Scythe et Siraci tenent. Succedit deinde sylvestris regio et Hyleum mare a sylva, qua circumdatur, nominatum. Universa igitur regio, ut ait Strabo, que inter Borysthenem Istrumque superiacet, prima Getarum est solitudo, postea Tyragete, quos Sarmate subsequuntur cognomento lazyges et qui Basilici dicuntur, et Georgi, quorum pars maxima nomades et pastores, pauci terram colunt. Basterne mediterranea tenent Tyragetis Germanisque vicini et a Germanis fortasse originem ducunt; dividuntur in vicos plures et nationes, nam Atmoni quidam dicuntur et Sidones Basternarum. Qui Peucen Istri insulam occuparunt, Peucini dicti. Roxani ad Aquilonem recedunt, inter Tanaim et Borysthenem campestria pascuntur. Totus ille tractus Aquilonaris e Germania ad portas usque Caspias campester est et planus; hanc planitiem Rusciam nunc vocant in Albam Nigramque distinctam.

Contra Roxanos expeditionem Mithridates Eupator misit Tasio duce cum his pugnatum, qui maxima ex parte trucidati sunt. Ex crudis boum coriis thoraces et scuta conficiunt, item ad ledendum ense, arcu lanceaque utuntur. Ex hoc genere plures sunt gentes; Nomades in curribus vitam degunt, per herbosam planitiem vagantur, tentoria ferunt pilo contexta, pecora secum ducunt, unde victum carpant, cum lacte, caseo carneque vescantur; et hos nunc plerique Tartaros vocant; hieme ad Meolim pre frigore descendunt estateque per mediterraneos campos divagantur, idcirco asinis carent, cum animal sit frigoribus impatiens; boves quoque cornua non habent, cum algori sint obnoxia; equi pusilli, magne contra pecudes, hydrie congelata aqua quamvis aeneae tamen scinduntur. Itaque, ut hec ordine referamus, inter Borysthenem et Hypanim a montibus incipiendo Leinum est oppidum, Amadoca, Sarbacum, Nissum, Azagarium, Sarum, Serimum, Metropolis et Olbia. Inter Hy-

panim et Carcinitem Tauroscythe, Tamyraca, deinde Achillis ex-
porrecta peninsula in fascie speciem, quemadmodum supra diximus,
ubi Bonus portus, Cephalonesus, Mysaris, Diane lacus et Sacrum
promontorium. A Dromi tergo sinus Carcinites, qui peninsulam a
Taurico Cherroneso dividit. Inter Carcinitem fluvium et Pasiacum 178
Navari Navarumque oppidum, deinde Tracana, Pasyris, Hercabum,
Torrocca, Carcinna et Neontichum, quod nova menia interpretatur,
et mox Isthmus Taurice Cherronesi inter Carcinitem sinum Bucem-
que paludem interiacentis, in quo Taphros imprimis oppidum;
deinde Eupatoria, Satarche, Dandaca, Parvula Cherronesus, Criu- 179
metopon in arietis frontem eductum promontorium, Corax, Lagyra,
Istrianus fluvius, Thedasia urbs prestantissima, Nymphex, Panti-
capeum, Myrmecium promontorium, Parthenium, Zenonis Cherrone-
sus et Heraclium a Romanis libertate donatum Megarice quon-
dam appellatum, quod quinque milibus passuum ambiente muro
Grecie mores custodivit.

In mediterraneis vero peninsulae Taurice sunt hec : Cimmerium, 180
Beon, Parosta, Tarona, Postigia, Iluratum, Tyricata a Tyris pos-
sessa, Zephyrium, Portacra, Cyteum, Argoda, Tabana. Heraclium
autem Heracliensium est colonia, qui Pontum accolunt. Eodem no- 181
mine Cherronesus dicitur, que a Tyra fluvio stadiis quater milibus
et quadringentis, si per mare navigetur, distat. Parthenium a vir-
gini cuidam dicato sacello cum statua nuncuparunt promontorium;
C stadiis ab urbe abest tresque portus effecit, ubi Cherronesus
exciditur. Pactorum portus est angusti quidem oris, in quo Tauri 182
gens Scythica advenientibus insidias latronum more tendere solent;
post hunc alius portus est, quem Ctenuntem vocant; post hunc
Cherronesus est urbs a Parva Cherroneso, in qua sita est, nomi-
nata libera quondam ac suis usa legibus, deinde a barbaris infestata
eo necessitudinis adducta, ut Eupatorem Mithridatem adversum bar-
baros bellaturum sibi presulem et propugnatores elegerit, qui simul
in Cherronesum misit exercitum et contra Scythas arma tulit recepto-
que Sciluro cum filiis octoginta, ut Apollonides asserit, in Bospo-
ranorum regnum dicionem eam redegit. Contra Criumetopon 183
promontorium ultra Cimmericum Euripum Carambis opponitur Paphla-
gonum promontorium. In eadem regione etiam Cimmerius mons,
ubi magnus olim Cimmericum apud Bosporanos fuerat potentis-
simus. Et nunc iuxta Euripum Cimmericum est Capha nobilissima 184
Genuensium colonia, que universe nunc Sarmatice Cherroneso suum
nomen dedit. Panticapeum olim Bosporanorum metropolis erat.
Cimmerii nanque ad Ponti dexteram mediterraneam regionem inco- 185
lentes in Ioniam usque discurrebant, deinde a Scythis eiecti sunt
et Scythe a Grecis, qui has civitates habitarunt, vocantur. Bospori
fretum inter Panticapeum et vicum Achilleum est XX stadiorum et
congelato freto pedibus utrinque transitur. Quare, quodcunque
Meotidis ostium continet, Cimmericum sinum appellant. Contra 187
hunc obstare Trapezuntem montem ferunt, qui civitati ad Tibara-
niam et Colchidem pertinenti nomen dedit. Post hunc Theodosia

in uberrimo loco sita et a conditore sortita nomen, cui portus est
 188 centenarum capax navium. Deinde Panticapea civitas Bosporano-
 rum in Meotidis ore posita. Intervallum, quod inter Theodosiam et
 Panticapeum est, D et XXX stadia non transcendit multis vicis
 insignibusque habitaculis et mira fertilitate preditum; in medio
 189 Nympheum cum optimo portu. Panticapei arcem a Milesiis con-
 ditam legimus; hec Leuconis, Satyri et Parisade temporibus una
 cum universa Meotidis ora sub regali imperio regebatur. Parisades
 autem regum ultimus, cum gravissima barbaris tributa pendere
 nequiret, Mithridati tradidit imperium, ipse inter deos deinde relatus
 victo Mithridate in populi Romani dicionem venit. Os Meotidis,
 190 quod Bosphorus Cimmericus appellatur, in angustissimum terminatur
 Euripum. Parthenio Achilleus vicus, qui in Asia est, obiicitur.
 Cherronesi regio in mare declinans Theodosiam usque tota frugi-
 191 fera et campestris ubicunque colitur, ter decuplum legitur, centum
 et LXXX modiorum milia frumenti nomine vectigalium Mithridati
 Eupatori solvebantur, quin et cum Asiaticis locis circa Sindicen
 attingentibus argenti talenta circiter ducenta milia. Greci, veluti a
 192 Meotide salsamentaria, ita frumentarios hinc commeatus accipiebant.
 Leuconem Cherronesi regem ducentas ac decem modiorum myriadas
 Atheniensibus e Theodosia ferunt transmisisse.

Cum supra peninsulam Tauricam sint Nomades, qui equinis
 193 carnibus aluntur, et variis incursionibus non persoluta tributa
 vindicabant. Asandrum Hypsicrates in Isthmo murum in CCC et 194
 LX stadiorum spatio ad meridiem usque duxisse ad singulaque
 stadia turres decem erexisse scribit, ut barbarorum impetum pro-
 pulsarent; qui agros colebant, maiore comitate melioribusque mori-
 bus esse, contra, qui in maritimis obversabantur, lucri cupiditate
 a latrociniis ac iniuriis minime abstinere. Scilurus sui que filii arces
 195 duas erexerunt, quibus ad discursandum adversus Mithridatis duces
 utebantur, quorum Palatius alter, alter Chabus dictus est; contra
 vero Diophantes, qui Mithridatis Eupatoris ductu et auspiciis in
 peninsula Taurica bellum gerebat, Neapolim edificavit et Eupa-
 196 toriam. A Cherronesitarum muro quindecim stadiis iuxta promon-
 torium lacus salsus est salinasque multas reddit. Augusti tempore
 hec omnia Bosporanis regibus, quos populus Romanus institue-
 rat, obtemperabant.

Sarmatarum item et Scytharum mos est equis, ut obtempera-
 197 tiores habeant, testes execare, quoniam parvi sunt et mire pernici-
 tatis et pervicacie; venatione delectantur; in palustri regione cervos
 et apros, contra in campestri capreas et onagros habent, item be-
 luam albo corpore velocitatis eximie magnitudine inter cervum et
 arietem tantum naribus haurientem aquarum ac servantem, quantum
 ad carpendum in aridis campis pabulum satis esse possit; hunc
 colon dicunt.

Taurica igitur peninsula, quam XXX quondam populi incoluere
 198 eiusque iuga Scythotauri tenuere, Peloponneso perquam similis visa
 est. Post hanc Buces palus est a Meoti petroso dorso divisa; Pasi- 199

acum, Bucum et Gerrhum e diversis regionibus confluentes recipit. Gerrhus enim Basilides Nomadesque separat, Hypanis vero Nomades ab Hyleis, ut Plinius ait. Inter Bucum et Gerrhum Torercade²⁰⁰ habitant, ubi Acra oppidum, et ultra Gerrhum Cnema Agarumque fluvius. Deinde Lycus et Poritus amnis, inter quos Roxolani cum Hygreo oppido. Ad Poriti ora Carea est Tanaidis ostiis vicina. Tanaim vero Tanaite accolunt; mediterranea vero Osyli, Ophlones et Idre; item Alexandri Cesarisque are. Interiora loca montibus circumsepta. Ad Borysthenis caput Neuri, Geloni, Thyssagete, Budini,²⁰¹ Basilide et, ut supra diximus, Agathyrsi; super eos alii Nomades et Anthropophagi, a Buce supra Meotim Sarmate et Essedones. Reliquum est, ut, postquam Europicam scripsimus, nunc ad Scythiam Asiaticam transeamus.²⁰²

Ultra Tanaim Asiatica Scythia sequitur apud scriptores plerisque amplissimos sortita fines. Nam ab occidente Tanai, a meridie Corace Caucasoque monte et sinu Caspio, a septentrione ac solis exortu utroque Oceano occupatis Seribus terminatur. Hec bifariam²⁰³ dividetur; altera intra Imaum, extra Imaum montem altera collocata. Quin et a meridie Colchide, Iberia et Albania circumdatur; sub Aquilone, si declinetur ad exortum, Hyperborei montes occurrunt, quorum accole sunt Basilici Sarmate et Zacate; ex his fluvius Rhas defluens post longos errores in Hyrcanum denique mare demergitur. Sub Zacatis Suardeni, Perierbidi, Chenides, Siraceni,²⁰⁴ Iaxamate, Psessii, Themeote, Navari, provincia Mithridatis; item Tyrambe, Asturicani, Zinchi, Arichi, Conapseni, Metibi, Agorite, Sanarei, Tusci, Hippici montes et Ceraunii, colonne Alexandri, Melanchleni, Sapothrene, Scymnite, Surani, Sacani, Amazones, Orinei, Vali, Serbi, Diduri, Udi; omnes Tanaim et Rhan fluvium²⁰⁵ interiacent, qui, cum Sarmate sint, omnes Scytharum more degunt civitatibusque carent, preterquam iuxta Tanaim et in maritima Meotidis ora Exopolis quasi urbs extra amnem posita et Navaris, Paniardis, Patarua, Azara, Axabitis, Tenia, Tyramba, Gerusa, Mateta. In mediterraneis vero Auchis, Suruba, Corusia, Ebriapa, Seraca,²⁰⁶ Abunis, Nasunia, Halmia. Meotidem ab Asie parte a Tanai ad Achilleum usque vicum Cimmericum et Syndam amnes influunt Marubius, Theophanius, Rhombitus maior et minor, Atticitus, Psathis et Vardanus. Ad Tanaim lacus est et civitas inter duo amnis²⁰⁷ ostia LXX inter se stadiis distantia eo nomine appellata, a Bosporianis Grecis condita, quam Polemo rex nactus haud facile imperata prestantem Tiberii tempore diripuit. Nomadum Asie et Europe,²⁰⁸ qui pelles et mancipia ferebant, item navigantium Bosporianorum commune fuit emporium. Contra vero insula iacet Alopecia mixtorum hominum domicilium, que a vulpium multitudine sibi nomen invenit. Terrestri itinere euntibus Rhombitus maior et minor occurrunt, ubi optima piscium conditura. Tanais, qui Nilo contrarius fertur²⁰⁹ in Meotida, ut ait Strabo, certis fontibus caret, posteri vero cosmographi e Ripheis montibus promanare affirmant. Nomades frigora regionisque difficultas facit, ne super eius ostia versentur indigene,²¹⁰

Alexander superato Caucasio monte, victo Dario, Sogdianis Bactrisque in potestatem redactis ad Tanaim amnem pervenit, ut subacta Asia Europe manum iniiceret, ubi, cum Macedones in composito agmine discurrerent populatum, a Scythis, qui de proximis montibus decurrerunt, graviter oppressi sunt pluresque capti quam occisi, potiti victoria captivos in montes referunt, ubi latronum circiter XX milia versabantur. At hi mox ab Alexandro obsessi, dum fundis et sagittis cum Macedonibus pugnam consequuntur, imperatorem gravissimo cruris vulnere afficiunt, deinde facinoris penitentia ducti missis legatis et captivos reddiderunt et se ultro dedidere. Quarto post die, cum ad urbem Marupenta venissent stadium LXX ambitus, Abii Scythae barbarorum iustissimi et a Cyri tempore hucusque liberi missis oratoribus ab eo pacem impetrarunt. Ad Europicos deinde Scythas Berdam amicum mittit, cui mandata dantur locos contemplari, Scythas, praesertim qui super Bosporum incolunt, visere, condende in Tanais ripa urbis sedem eligere, explorare regiones, populorum multitudinem et vires considerare. Quod ubi factum est, post redactos in dicionem, qui defecerunt, Bactrianos urbem in ripa fluminis septemdecim dierni spatio mira celeritate perfecit, captivos, qui incolerent, repenso dominis pretio complevit eamque Alexandriam appellavit. Scythae, qui trans Tanaim habitabant, suis eam cervicibus impositam rati Carthasim regis fratrem cum magna copiarum manu ad diruendam novam urbem mittunt. In ripa tunc Alexander tabernaculum habebat; nondum obducta vulneris cicatrice ad traiciendum Tanaim rates, quibus equites, et utres stramento refertos, quibus levioris armature milites imponerentur, excogitat. Cum hostes in adversa ripa constitissent, oratores mittunt, qui Alexandro consulant, ne indomitam gentem de eo nunquam male meritam et Asiae Europaeque dominam adoriatur neve elatus tantum lubricae fortunae confidat, ut altius subinde ruat, res precoces semper fore momentaneas. Cum re infecta dimitterentur, ratibus triduo confectis, quae XII milium numerum aequarunt, equites imponit, equos rostris alligari et natare, oneratos levius armatis utres obiectas rates subsequi iubet. Infestis hostibus Tanaim traicit, mox eos non modo a litore repellit, verum etiam, cum certatim unusquisque pugnaret, passim fundit fugatque arasque ultra Tanaim in Europa perpetuum victoriae suae monumentum posuit. Urbem Alexandriam eam esse reputari, quam Exopolim Ptolemeus appellat.

Rhas fluvius, quem e montibus Hyperboreis defluere diximus mediamque interlabi Sarmatiam, e duplici fonte oritur; occidentalem alterum, alterum orientalem vocant. Inter fontes MODOCE ac Hippophagi iacent, qui equino sanguine carneque vescuntur. Subduntur his ultra Rhan Asei, Phthirophagi et regio Nesiotis.

Asiaticam igitur Scythiam, sicut ab occasu Tanais amnis, ita a meridie Caucasus mons ab externis nationibus longe lateque tueretur, quippe, qui suo dorso perpetuoque iugo dividit Asiam atque hinc mare Cilicum, illinc Caspium et Araxem ceteraque Scythiae

deserta spectat et cum huic Taurus connitatur, ex hoc fit, ut omnia Asie flumina aut in Caspium et Ponticum aut in Rubrum Persicumque mare deferantur. Alexander XVII diebus Caucasum²²⁴ superavit in Scythiamque prorupit, ubi rupes est stadiorum IIII altitudinis undique excisa, in qua religatum Prometheus fuisse ferunt. Ad radices novam urbem posuit Alexander, quam septem²²⁵ senioribus Macedonum dedicavit et Alexandriam appellari iussit. In²²⁶ Caspio monte porte sunt duplices, unde Scythe et Amazones prorumpentes per totam Asiam sepe grassati seva imperia in Egyptum usque gesserunt; altere inter Iberiam et Albaniam, ad mare Hyrcanum spectant altere.

Præterea ultra Rhan ad Imaum usque montem iuxta Hyper-²²⁷boreos Alani Scythe, Setiani, Rhobosci, Asmani, Pamardi, Canodipsa regio, Coraxi, Mologeni, Samnite, Orgasi, Erymmi, Asiate, Norosbes, Rhyrmicus mons et fluvius, Daix amnis; item Norossi, Aorsi, Iaxarte, Cachage Scythe, Ariace, Namaste, Iaxartes fluvius et Iaste, Sagarauce, Drybacte, Iatii, Oxii montes et Oxydrance. Deinde Sog-²²⁸dianorum Bactrianorumque regio, ubi Characharta, Salatere, Tribacta, Cavaris, Curiandra, Astacana, Maracanda, Comara, item Alichorda, Ariaca, Aratha, Nigea, Parni, Antiochia, Massagete, Margiani, iuxta quos sex oppida modicis inter se stadiis in frenum domitarum gentium Alexander erexit, que nunc sue originis oblita serviant, quibus olim imperarunt. Haud procul hinc mons fuit præ-²²⁹ruptus undique et excisus XXX stadiorum altitudinis, qui una tantum semita eademque angustissima poterat adiri (vix C et L stadiorum circuitum amplectebatur); quo, cum Arimazes Sogdianus cum XXX milibus armatorum confugisset, commeatus biennii contulisset, ut hoc modo se a Macedonum servitute vindicaret, mira Alexandri arte ac ingenio est ex illa petra cum universa multitudine deturbatus, submissis nanque CCC clam per rupem iuvenibus inaccessiblei iugum occupavit. Item iuxta Sogdianos et Bactrianos Dae sunt,²³⁰ unde Daci, qui Danubium attingunt, in Europa, veluti et Comara, originem duxere; deinde Tochari, Oxiani, Drepsiani, Sabadii, Scorde, Varni, Chorasmii, Alexandrini Oxiani et Postremi ceterique populi, qui intra Sogdianos Caucasicosque montes includuntur. Ad Aquilo-²³¹nem Norosii Aspisiique montes recedunt, post quos Machetegi, Tybiace, Zarathe, Tabieni, Iaste, Saxones, Aspisii Scythe, Galactophagi, qui lacte nutriuntur, et Saxones; ulterius Alani montes, post quos Massei, Suobeni, Alanorsi et Syebi, deinde Tapurei et Syebi montes, Anarei et Ascatanæ, qui Imaum montem attingere conantur. Inter montana Comedorum et Imaum montem Sace sunt,²³² qui civitatibus carent, in sylvis tantum et speluncis habitant et nomades iure nominantur, quando pastores sunt, ex quibus Massagete, Carate, Comari, Grunei Scythe ac Bylte montibus undique circumsepti.

Scythiam vero, que extra Imaum montem sita est, ad Aquilo-²³³nem Abii, Anthropophagi, Garinei, Rhabbanei, Szyges, Damne, Auzacites habitant, item Aniba et Auzacia mons, deinde Seres,

Piale, Asmirei, Issedones, Throani, Casia regio, Icharde, Ithaguri,
 Chate Scythe, Chaurani Scythe, Bate, Aspacare, Bautisus amnis,
 Sera metropolis, Solana, Ottorocorrha, Orosana ceterique populi,
 qui Ariam, Gedrosiam Arachosiamque attingunt. Seres Ianicio syl- 234
 varum nobiles, qui perfusam aqua frondium canitiem depectunt,
 unde geminus nostris mulieribus datus est labor fila redordiendi
 rursusque texendi tam multiplici opere tam longinquo orbe petitus,
 ut in publico, ut ait Plinius, matrona pelluceat. Seres vero mites 235
 sunt ferisque persimiles, qui reliquorum mortalium cetum fugiunt,
 cum commercia expetant. Hec igitur Scythia est, que extra Imaum,
 quem illi muscosum interpretantur, effunditur. Sed universam Asie
 Scythiam temporibus nostris tyrannus quidam occupavit, quem Mag-
 num Canem more patrio nominant. Sacas, qui Comedo monte et 236
 laxarte amne occluduntur a Persis hoc nomine donati, ita belli-
 cosos fuisse ferunt, ut usque in Hyrcaniam et Parthiam vagari
 atque inde predas agere consueverint, neque deserta siccaque re-
 gione remoratos, quin et Parthos magnis vectigalibus ab his pacem
 mercari solitos finitimos et remotos eque multis incursionibus
 infestasse, Bactrianos invasisse, occupasse magnam Armenie re-
 gionem eamque Sacasinam appellasse, mox Cappadociam et Pontum
 gravi bello sollicitasse, ex hostium manubiis celebrasse festa, demum 237
 a Persarum imperatoribus fuisse deletos; hanc Cyro Persarum regi
 gloriam esse datam; eum Sacas astu superasse; simulata nanque
 hostium formidine his castra lautissima opulentissimaque reli-
 quisse; hec ubi occupaverant, in crapulam et temulentiam incidisse,
 Cyrum ab insidiis incautos adortum ad internecionem usque omnes
 cecidisse; diem illum patrie deo dedicasse, quotannis Persas hec
 sollempnia Bacchanalia ad stuporem usque producta celebrasse. At- 238
 tarios et Chorasmios e Sacarum et Massagetarum genere plerique
 volunt, ad quos Spitamenes unus ex Persis, qui Alexandro resistere
 contenderunt, sane confugit, sed hi, postquam se ab Alexandro
 usquequaque peti cognoverunt, aliquandiu per deserta vagati ad
 placandam tyranni iram Spitamenem obtruncarunt, caput ad eum
 miserunt talique facinore belli finem invenerunt. Massagete, qui Mar- 239
 gianis vicini sunt, e nomadum genere promanarunt, campos, mon-
 tes paludesve habitant, bello asperrimi, quando Cyrum non expa-
 verunt. Per hos Margus amnis e Sariphis montibus defluens iuxta
 Rhibios in Hyrcanum mare devolvitur. Equum Soli sacrificant, 240
 quem unicum esse deum ducunt; sua cuique uxor; suspensa e
 curru pharetra in propatulo coeunt. Senio confectos in frustra ce- 241
 dunt, abominabili voracitate in humana viscera recondunt rati illud
 sepulture genus esse pientissimum; qui morbo perierint, avibus et
 feris exponunt haud aliter, ac si humanis sepulcris indigni forent;
 uluntur arcu, gladio, thorace aeneaue securi; eorum ornamenta 242
 zone auree aureaque ephippia; ferro carent et argento, magna eris
 et auri copia. Qui insulas colunt, herbarum radicibus fructibusque 243
 agrestibus vescuntur, vestes e libris arborum contexunt; qui palu-
 des tenent, pisces edunt, e marinorum coriis taurorum sibi indu-

menta parant; contra montani religiosius degunt, quando carnis non utuntur; ne lacte et lana careant, famem bacca sedant; campestres ovibus ac piscibus nutriuntur bellicosissimi semper habiti alioquin simplices et puri et in commerciis rerum non astuti. Anthropophagi, quibus humane carnis cibus est, mare accolunt, quod Tabin vocant, tristissima solitudine immanitatis sue causa circumventi. Saxones Asiatici Europicis fortasse dedere genus, quamvis e Macedonum gente promanasse contendunt. Hyperboreos et Arimpheos multi Asie, Europe nonnulli adscribunt, de quibus fabulosa multa Diodorus refert cognitu minime necessaria.

Inter Iaxartem et Sariphos Paropanisosque montes Sogdiani et Bactriani iacent Oxo amne discreti (Ochus per Bactrianos fluens in Oxum tandem delabitur); utrique, cum ab Alexandro defecissent, gravi bello domiti. Neque procul ab his Gordiani, qui quidem omnes et vita et moribus parum a nomadibus differunt, quamvis Bactriani aliquanto mitiores. Ne Onesicritus quidem vera scripsisse reputatur, qui Bactrianos senio morbove confectos canibus ad hoc ipsum altis, quos sepulcrales vocant, adhuc vivos exponi solitos fuisse refert. Macedones, ut Alexandri gloriam augeant, apud Ochum olei fontem se invenisse testantur. Fluvius per Sogdianos labitur, qui irrigata diu regione in desertam tandem harenosamque terram delitescit. Id ipsum de Ario, qui Ariane religioni nomen dedit, cosmographi referunt. Oxi alveum, quem in plerisque locis in septem stadiorum latitudinem effundi tradiderunt, Alexander, dum Bessum insequitur Darii sui domini interfectorem, ponte ex utribus facto traiecit. Bactria sub imperio Macedonum, qui Persas delevere, ad secundum usque Seleucum Antiochi nepotem retenta est; deinde Theodotus prefecture titulum mutavit in regnum, successorem sui nominis reliquit, qui, cum Arsace Parthorum rege contra Seleucum coniuravit, regnum defendit, quod imperante Eucratide nimis auctum et amplificatum est. Is enim a Demetrio Indorum rege graviter obsessus audaci usque adeo fuit ingenio, ut, cum trecentis tantum militibus creberrimis eruptionibus LX milia hominum vicerit, solverit obsidionem quintoque mense maximam Indie partem in suam potestatem redegerit; in regnum se recipiens a filio interficitur, quem regni socium fecerat. Supra eius corpus, ne patrem, sed hostem interfecisse videretur, non modo currus actus, sed sepulcrum fuit interdictum. Ultra Sogdiani, oppidum Panda et in ultimis eorum finibus Alexandria ab Alexandro condita; are ibi sunt ab Hercule et a Libero patre constitute, item a Cyro, Semiramide et Alexandro. Finis ab illa parte terre ab Iaxarte flumine includitur, quem Scythe Silim appellant. Alexander militesque eius hunc Tanaim esse putaverunt, quem Demodamas transgressus est Seleuci Antiochique dux, qui hic Didymeo Apollini aras posuit.

Margiana Bactris finitima desertis undique campis circumdatur, quam Antiochus Soter admiratus delectum mille et quingentorum spatium stadiorum perpetuo muro circumsepsit ibique urbem, quam Antiochiam appellavit, erexit. Vites hic optime, quarum truncos vix

duo viri complectuntur; duorum racemi cubitorum. Tapyris mos est post tres quattuorve filios proprias aliis viris uxores Martie et Catonis exemplo sponte concedere. Hyrcaniam planam et opulentam, item pulchris exornatam urbibus aiunt, quarum Talabroca, Samariene, Carta et Tape sunt potissime. Vitis una vini fert metretam, ficus modios LX; frumentum e semine culmis decidente sine cultu nascitur et adolescit, maxima mellis copia ex arborum foliis defluit in arboribusque mellificatur. Cum in Hyrcania ageret Alexander, Thalestris Amazonum regina, quam alii Minithyiam appellant, ei cum CCC mulieribus protinus occurrit liberos a rege quesitura; tertiodecimo post die utero completo discessit. Hyrcanum mare a septentrione Scythe, a meridie Medi, Hyrcani, ab oriente Margiani, Derbice ac Rhibii; ab occasu Armenii et Albani circumstant. Scythe a Caspio mari incipientes magna ex parte Dae nominantur, ut ait Strabo, qui magis ad solis exortum recedunt. Massagete Sace, communiter Scythe, frequentius Nomades vocantur. Ex Dais alii Parni, alii Xanthii, alii Pissuri dicti sunt; Parni Hyrcanis et eorum mari proxime adjacent, reliqui in Arianam usque regionem extenduntur. Ex his igitur Dacos Istrianos promanasse opinamur neque illis adstipulamur, qui hos ab Istrianis promanasse putant; ne sententiae quidem nostre Strabo refragatur. Polycletus lacum esse, habere dulces aquas serpentesque nutrire asserit. Contra ceteri sentiunt cosmographi, quando id Borealis Oceani sinum esse volunt, unde in mare usque Indicum navigare licet; ostii utranque ripam tenere Scythas, reliqua vero litora Scythas Scytharumve cognatos, utpote Albanos, Cadusios, Anariacos ac Mardos. Par eius cum Ponto magnitudo. Claudius inter Meotim Hyrcanumque mare centum et quinquaginta milia passuum tradit esse intervallum idque perfodere eo tempore Nicatorum Seleucum excogitasse, quo a Ptolemaeo Ceraunio fuit interfectus. Nonnulli CCCLXXV milia passuum esse dicunt; Cornelius Nepos CCL milia.

Hunc autem Isthmum Colchi, Iberes et Albani tenent, per quem Caucasus mons, quem Scythe Craocasim quasi nive candidum appellavere, usque ad Indiam excurrit. Pompeius Magnus, ut auctor est Plinius, ex India ad Bactros usque ad Bactrum flumen octo diebus ipse pervenit, ubi Oxum influit, per quem deinde in mare Caspium devectus ad Cyri amnis ostia penetravit, qui Armenie Iberique fines interluit; a Cyro quinque tantum diebus terrestri itinere subvectis navibus in Phasim amnem descendit, per quem secundo in Pontum alveo delatus est. Aristobulus multas inde merces in Hyrcanum mare per Ochum amnem vehi solitas prodidit; deinde in Albaniam et Iberiam per Cyrum et Thasim in Euxinum fuisse delatas. Ochus enim in Oxum defluit, qui diu vagatus in Caspium mare demergitur.

Albani, qui sunt Caspii maris accole, nomadibus non modo genere, sed vita quoque proximi pastores sunt et bello non inepti, mira soli fecunditate prediti ac Cyri presertim amnis interfluvio; terra fructum omnem etiam domesticum sponte fert, sine labore

culturave bona omnia parit; semel sata bifera triferave efficitur; Egypti feracitatem exuperat, aeris mira temperies, vites quinquennio 267 putantur, in bimatu novelle fructum ferunt; adulte usque adeo fecunde, ut post magnam vini copiam maximam in palmitibus luxuriam edant. Ne minori quidem fecunditate sunt pecora; homines pulcherrimi ac magni corpore ab albedine capillorum nomen sortiti. Trogus 268 ab Albanis Italis, qui interfecto Geryone Herculem ex Hispania redeuntem ex Albano monte secuti sunt, appellatos esse censet et idcirco in bello Mithridatico sui generis non immemores Pompei exercitum fraterno nomine salutarunt. Simplex his ingenium mercature et cupiditatis expers, numerum supra centenarium non norunt, ponderum, mensurarum, urbanitatis agricultureque ignari iaculatores sunt et sagittarii; arma clipeus et thorax, item ferina galea; Solem, Lunam ac Iovem colunt, presertim Lunam, cuius 270 templum Iberie proximum; eius antistes post regem venerationis obtinet principatum, sacris preest servis et regioni; e servis multi numine afflati manticianantur; divinatorum per sylvas discurrit, hunc 271 sacerdos persequitur sacraque catena devincit, per annum alit altumque ad aram deae cum ceteris victimis ducit in medium, mox a latere immissa cor eius hasta perfodit et ex moribundo captat auspicia, que populo referat; servum igitur mortuum in piaculi speciem omnes supergradiuntur. Albani senectutem precipue venerantur, in vita defunctos pietissimi, presertim in parentes; cum mortuis pecunias defodiunt, ex quo fit, ut pauperes sint et patrimonio careant. Cum ex Iberia in Albaniam ingressus sit per Cambyzenam regionem quidem asperam et siccam ad flumen Alazonium, letiferos serpentes habent, item scorpiones et araneas, quarum altere cogunt ridendo mori, contra vero flendo suorum desiderio altere; canes etiam excellentissimos suapte natura venatorios. In his regionibus XXVI linguae sunt, unde fit, ut regum quoque multitudo adoriatur, neque cuivis invicem misceantur. Sub imperio Persarum 275 fuit Albania, postea Macedonum, deinde Romanorum. Traianus imperator his regem dedit, nunc sub Magni Canis potestate degit. Ab his Albani quoque orti sunt, quorum pars hoc tempore in Peloponneso, pars in Macedonia iuxta Dyrrachium plane consedit. Cum Gothi Grecorum imperium affligerunt, in eos pariter militarunt, deinde tedio militie affecti in Adriatico litore quievit. Supra hos Ceraunia sunt iuga a tactu fulminum appellata.

Quin etiam ea his adiicienda censuerim, que de barbaris circa 277 Caucasum ceteramque montis huius regionem habitantibus vulgata non sine admiratione referuntur; neque mentitum aiunt Euripidem, qui natum, inquit, hos lugere propter ea, in que venit, mala, at contra mortuum quasi vite laboribus perfunctum efferre letitia plurima ac iocis. Sunt, qui pro magno sepe facinore neminem interficiant, sed cum liberis exigant in exilium. Contra sunt Derbice, qui pro minimis quibusdam delictis vita multent; terram venerantur, feminium nullum mactant eduntve; eos iugulant, qui annum excesserint septuagesimum, consanguineorum carnes absu-

munt, strangulant anus et sepeliunt, humant quoque illos, qui septuagesimum nondum annum nacti obierint. Siginni in ceteris rebus 279
 Persarum mores emulantur, pusillos quidem et hispidos equos habent, qui equitem ferre nequeunt, quadrigis coniugantur, quarum mulieres a teneris annis exercitate sunt aurige; in qua quidem arte quecunque edocta iudicatur, potestas datur, ut, cuicumque velit, nubat. Tapyrorum mos est atras ferre vestes demissasque comas; 280
 mulieres contra candidas brevesque crines. Inter Derbicas hi habitant et Hyrcanos; fortissimi hac optione donantur, ut, quancunque velint, uxorem ducant. Caspii septuagesimum annum excedentem 281
 fame perimunt, in solitudine nanque illum exponunt eventumque longius prospectant; felicem putant, quem ab avibus e lecto distrahi conspicantur; contra, si a feris et canibus, quam miserimum, si a nullo prospexerint infestari, infelicem ducunt. Sed de 282
 utriusque Scythie descriptione hactenus, quamvis id neminem latere velim regionum fines pro regnorum fortuna et vetustate mutari.

Nunc autem, cum lingua Sclavonica non modo Dalmatiam et 283
 Illyricum ac non mediocrem magne Germanie partem occuparit, sed per Sarmatas ac Getas effusa Tanais quoque ripam attingere conetur, preter Ungaros ex interiore Scythia oriundos, qui se penitissimos Scythas infitari nequeunt, quando eorum sermone utuntur, ut mercatores plerique testantur, qui in Sarmatia emporiis utriusque gentis glossema acceperunt, Scythiam ultra Tanaim reppulisse videntur. Nostro autem tempore Ungaria ab Unnis oriunda, cuius lingua, 284
 cum Scythica sit, ab omnibus finitimis nimium videtur esse diversa, Pannonias et ultra Danubium Iazygum et Dacorum regionem fere omnem occupavit; tellus quidem summa ubertate soli et rerum omnium copia a natura donata, ubi aurum, argentum, salem, lapillos, colores effodere licet. Pecorum mira fecunditas, imprimisque boum 285
 et equorum, item frumenti, pabuli, leguminis et pomorum abundantia, unde Pannoniam vel a Pane deo pastorum vel a soli ubertate dictam arbitrantur. Aliqui vero, quibus Appianus assentitur, a Peone Antari filio, quem Pannonia nonnulli dixerunt, Pannoniam nominarunt. Antarus autem ab Illyrico genitus est, quem ex Polyphemo et Galatea natum esse ferunt, quare multi Pannoniam et Peoniam non temere idem esse credidere, nam, quam Latini Pannoniam, Peoniam dixere Greci. Neque deest amnicorum copia 287
 piscium et cupri confectura; in plerisque fluminibus auri optimi ramenta inveniuntur, quin et in vitibus in aurifero solo satis aurum quandoque legunt. Antiquae urbes Romaneque colonie, quas ultra 288
 citraque Danubium quondam spectare licebat, nequaquam hodie preter vestigia videntur; neque in Pannonia superiore, que a monte Cetio inter Albanum montem et Danubium ad Arabonem usque fluvium effundebatur, qui apud Iaurinum Danubium illabatur, neque in inferiore, que inter Ribios montes et Istrum ad Taurunum et Danubii confluentia profenditur, quamvis Ungarie ratione utranque Pannoniam inter Dravum et Danubium nunc collocant, priscos populos et oppida recognoscimus. Ad septentrionem olim Azali, 289

ad meridiem Latobici, ad exortum Varciani et Oseriates et Iassii, ad occasum Coletiani, iuxta Danubium Iuliobona, Carnus, Flexum, Chertobalum, Bregetium; in mediterraneis autem Sabaria a Sabaro fluvio nominata, item Rhispia, Sala, Muroela, Scarbantia, Bregetium, Pretorium et Bolentium; sed Pretorium a pretoriana legione dictum, que pro imperatoris pretorio et tabernaculo in castris semper stare solebat. Inter Savum et Dravum Novidunum, Bononia,²⁹⁰ que a Bois Gallie populis nomen accepit, Lentudum, Carrodunum, Sisopa, Magniana et Zagabria, cui a terre fecunditate iure nomen est inditum. Huic Osvaldus nunc preest antistes nobilissimo Ungarorum genere natus, vir tanta modestia, gravitate ac eloquentia preditus, ut nihil in eo inveneris, quod non sit perquam laudabile; in sermone pregustatus, multo altius sapit, quam ostendit, suam pre humanitate dissimulat sapientiam, eque scit utranque tolerare fortunam et, cum studiosissimus sit ubique decori observator et consilii ac ingenii dexteritate polleat, potius rebus magnis agendis, quam sacro otio foret idoneus. Sed Zagabria olim Vicus²⁹¹ Italicus dicebatur. Inter Albanum montem et Savum Patavium interiacet et Andautonium, item Vinundria, Siscia et Olimacum, Sogora et Visontium. At Siscia, cuius adhuc pulchra extant monumenta,²⁹² in insula quasi sita est, quam, dum bifido alveo Savum ingreditur, Colapis effecit et quasi a scindendo sibi nomen venari voluisse videtur.

In inferiore autem Pannonia sub Arabone Amantini, Hercuniates, Aravisci et Danubii he quondam civitates erant accolae: Curta,²⁹⁴ Salva, Carpis, Aquincum, Salinum, Lussonium, Lugionum, Vacontium, Teutoburgium Teutonum oppidum, Acumincum, Syrmium, Rhittium et Taurunum a Tauriscis Gallorum genere natis appellatum. Berbas vero, Ivollum, Mursella, Mursia colonia, Cibalis, Cornacum Scordiscorum sunt oppida, que una cum Syrmio Savum Dravumque interiacent. Inter Bebios montes et Savum Breucorum sunt oppida Certissa, Marsonia, Bassiana, Sallis Tarsium. Pli-²⁹⁵nius lacum Peisonem, quem Balatonem nunc appellant, et deserta Boiorum, item Lentudum, divi Claudii coloniam Sabariam et Scarbantiam Iuliam Noricis annumerat; in Pannonia Sisciam et Emonam colonias commemorat, item Arviate, Azalos, Amantinos, Belgites, Cataros, Cornacates, Eraviscos, Hercuniates, Latovicos, Oseriates, Varcianos, Claudium montem cum Scordiscis et Tauriscis; preterea Metubarim Savi insulam amnicarum maximam insulamque²⁹⁶ Segesticam, ubi Sisciam esse diximus, et Bacuntium amnem, qui in Savum iuxta Syrmium Syrmiensium et Amantinorum oppidum emittit, Dravumque refert e Noricis orientem a violento cursu nominatum et Savum quasi longe placidiorem magisque salutarem appellatum et ex Alpibus Carnicis, quam regionem Carniolam nunc vocant, CXX milium passuum intervallo in Danubium plane deferri. Verum hic Strabo valde fallitur, qui, dum navigationem ex Aquileia²⁹⁸ in Nauportum per amnes in Istrum memorat, Savum in Dravum eumque in Noarum penes Segestam Istrum influere tradit, quod non

modo ex Plinii dictis, sed, quia nostris vidimus oculis, a veritate videtur nimis esse alienum. Paulo enim infra Peucen civitatem a Peucinis Sarmatarum populis conditam, quam Quinqueecclesiensem nunc vocant, Dravus Danubio admiscetur. Quonam modo Strabonis verba accuratissimi alioquin scriptoris tueri possimus, haud facile dixerim; Nauporto, inquit, proximus est fluvijs Corcoras, qui onera excipit; Savum hic intrat Savusque Dravum ingreditur; hic vero in Noaron penes Segestam; hinc Noarus accepto Colapi, cum ex Albio monte fluat per Iapodasque vagetur Albi accolas, ad Scordiscos Istrum influit. Sed, cum omnia lustrasse nemini liceat solusque deus fali nequeat, facile doctissimo scriptori venia dabitur. Sed ad diviticulum revocetur oratio.

Boi, Taurisci et Scordisci, cum a Gallica natione promanassent, non solum regionem Dravo Savoque munitam incolere, sed Scordisci cum Illyricis et Thracibus promiscue se habuere, omnium quoque Thracum immanissimi, quando eorum ritu hostili sanguine diis litare, ex eorum calvariis pocula fingere gravidarumque mulierum partus tormentis extorquere pro nullo facinore reputarunt; callidum et robustum genus hominum; sylvarum ac montium situs non parum ingenii asperitatem augebat; Catonis exercitum non fuderunt modo et fugarunt, sed totum pene interceperunt; a Didio, dum libera populatione vagantur, in Thraciam reiecti sunt; a Druso, cum gravius arcerentur, Danubii transitu inhibiti, a Minucio vehementius affiicti, dum pervium glacie flumen equitarunt. Boi et Taurisci a Dacis sepe bello victi deleti tandem sunt, Critasiro quondam subiecti, quos Parisus quidam amnis patrie nomen referens, qui e montibus per Scordiscos Istrum intrat, sane disternat. Scordisci a Dacis deinde in belli societatem accepti sunt nomenque a discordia invenerunt. Nam redeuntibus ex Asia Gallis, cum res haud prospere successissent, cum per Mysias et Pannonias iter facerent, spectata amenissimi loci fecunditate inter eos e vestigio est oborta seditio; redeundum in patriam alii, nonnulli in Pannoniis residendum incolendumque solum, quod feracissimum nacti fuerant, diversa quoque diversi censebant, quare, qui ibi remansere, ab orta discordia Scordisci dicti sunt. Segesta non procul a confluentia est, que Savi insule nomen dedit, ubi Sisciam esse diximus; vetusta quondam civitas, nunc ipsa vestigia vix extant; ea Dacorum incursionibus absumpta in mediterraneam Dravi et Danubii regionem, qui super fuerant, ut tutius viverent, se receperunt eumque pagum nunc amplissimum Segestum vocant. Prope autem Syrmius est in via situm, que in Italiam contendit, et a Syrmo Triballorum rege appellatum non tam vino clarum, quam quod Probi imperatoris fuerit natale solum, qui Marmaridas in Africa superavit, Francos inviis paludibus stravit, Germanos et Alemanos a Rheni longe ripis plane submovit, item Sarmatas, Gothos, Parthos, Persas et universum denique Ponti tractum in suam dicionem redegit, quadringenta hostium milia cecidit, omnia ab hostibus occupata recuperavit, tantum prede retulit a barbaris, quantum illi quondam abstulerant; ut Syrmicam

regionem feraciorem redderet, paludem quandam siccare statuit, quam ut exhauriret, innumerabilem militum multitudinem ad effodiendam fossam convocavit. Suborta militari ob laborem indignum seditione³⁰⁹ in ferrata turri, quam specule gratia latius altiusque exedificarat, facinorose cesus, cui mox elatis aggeribus penitentia ducti ingens cum inscriptione sepulcrum dicarunt: Hic Probus imperator et vere probus situs est victor omnium gentium barbararum, victor etiam tyrannorum. Eius statua in Veronensi agro locata de celo tacta colores pretexta mutavit. Decium quoque imperatorem ex inferiore³¹⁰ Pannonia Budalie natum legimus, qui bellum civile in Gallia suscitatum pacavit, filium suum Cesarem pronunciavit, Rome thermas erexit, in Christianos facinosissime seviit, divum Laurentium diro affecit incendio, quare in barbarico tumultu cum filio interfectus demersusque in paludis gurgite nunquam, ut sepulture traderetur, potuit inveniri.

Pannonia imperante Galieno a Sarmatis et Quadis depopu-³¹¹ lata est. Baton Pannoniorum olim rex Breucis, Andizetiis, Ditionibus, Pirustis, Mazeis, Desitiatis imperavit. Secundum Pannoniam³¹² ad Adriaticum mare sunt Iapodes bello quidem accommodatissimi in Albio monte siti, qui Alpibus posterior est et perquam excellens atque hinc ad Pannonios et Istrum, hinc Adriaticum mare prominet, ab Augusto expugnati; alica et milio vescuntur, ritu Gallico Illyricoque more ac Thracio armantur; eorum oppida Metulum, Arupini, Monetium et Vendon. Adrius mons Dalmatiam³¹³ dividit mediam hinc mediterranea hinc mare prospectans; hunc a mari plerique nomen accepisse volunt, a Greco sermone contra aliqui et fortasse melius, quando, cum totus videatur esse saxosus, preter arbusta quedam nulla sylvarum est proceritate conspicuus. Ut ad Pannonios redeamus, cum se duobus saltibus tribus-³¹⁴ que fluviis ingentibus munitos esse cognoscerent, predarum cupiditate et animorum ferocia tracti in finitimos passim grassabantur, mox se intra ripas tutissimas recipiebant. Ad hos igitur domandos ab Augusto Vibius missus est, qui, cum eos in utrisque fluminibus superasset, non belli ex more arma cremavit, sed in profluentes capta proiecit, ut reliquis, qui subsidebant, hoc victoriam modo nunciaret. Dalmatas Marcius incensa urbe Delminio gravis-³¹⁶ sima cede confecerat, quos deinde gregibus, agris et armis Asinius Pollio multavit; cum adhuc durissimum genus hominum iugum e cervicibus excutere conaretur, Vibio ab Augusto delegata expeditio, ut eos perdomaret terramque fodere cogeret. M. Valerius³¹⁷ Messala Corvinus divi Mathie regis Ungarie gentilium Dalmatas Pannoniosque domitavit provinciamque inter Savum et Dravum iacentem a suo nomine Valeriam, quam nunc Sclavoniam dicimus, appellavit, quin et Dalmatie partem a Corvino Corvatiam nominamus. Praeter Modrusiam et Seniam nulla in hac regione civitas memo-³¹⁸ ratu digna, quarum altera a Senonibus Gallis, a sylvis altera nomen usurpavit. In Valeria sola Zagabria memorabilis in monte, ut aiunt, Greco sila, que, cum mirabili rerum copia redundet, per

antistichon a gazarum scaturitate denominationem obtinuit.

Ceterum, ne Sclavorum ignoretur origo, Vandali, qui a fluvio 319
regionis sic dicti sunt, se Sclavos deinde appellavere ab eius quidem
gentis nomine, que a Bosporo Cimmerico ad Tanaim usque
fluvium habitare solebat et, cum eorum pars imperante Mauricio
in Dalmatiam et Illyricum commigrasset, regioni Sclavonie nomen
imposuit. Qui in Scythia magnaue Germania remanserant, partim 320
Bohemi, partim Poloni dicti sunt. Pars Vandalarum, que Burgun-
dionum deinde nomen assumpsit, ultiores Rheni ripas Augusti
temporibus occupavit, quos Drusus et Tiberius, ut auctor est Cor-
nelius Tacitus, in proprias sedes reppulerunt; extra urbes et op- 321
pida disiecti more patrio vicitim habitavere et, cum vicis, quos
propria lingua burgos vocant, incolerent, Burgundiones, ut ait Orosius,
dicti sunt Saxonibusque finitimi. Contra Polonorum sentium 322
annales, cum Bohemos et Polonos e Dalmatia promanasse prodant.
Plinius Vandalos unam ex quinque interioris Germanie partibus esse
dicit; plerique ab ortu Vistule fluminis, qua in Aquilonem vergit,
per immensa spatia Venedarum nationem diffusam olim fuisse
scribunt, quam in Sclavones, Venetos et Antes diviserunt. Sclavoni 323
a Marsiano lacu et civitate Novietiniensi ad Danastrum usque am-
nem extendebatur in Boream, paludes ac oppidorum loco sylvas
habebant. Antes vero, qua Ponticum mare curvatur, a Danastro ad
Danubium usque diffusum quidem genus hominum ab
infestis animis appellati. Mysos, qui tantopere ab Homero laudan- 324
tur, ut supra demonstratum est, cum de Getis et Dacis agebatur,
tempore populi Romani usque adeo feros ac truces Thracum con-
suetudine factos aiunt, ut viso Marci Crassi exercitu ante aciem
equum immolarint votaue nuncuparint, si vincerent, se cesorum
ducum extis non modo diis sacra facturos, sed pro lautissimo cibo
epulatos. Sed nefanda dii vota abominati sunt, quando tantum 325
terroris eos incessit, ut ne tubam quidem pertulerint; quin et his
terrorem Canidius centurio nimis auxit barbara quoque stoliditate
usus, quippe qui super galeam foculum gerens in hostium formi-
dinem agitatum cursu flammam, veluti arderet, agitatum latius ef-
fundebat.

Pannonios igitur Mysi superiores inferioresque subsequuntur 326
Istri accolere, quos Retianos a Retiana Mysie civitate metropoli nunc
vocant; hinc enim optimas gladiatorum familias Romani deduci
reputarunt, in quibus Gallus Retariusque decertabat. Roxanos me- 327
lius fortasse dixerim a Roxanis Alanorum commilitonibus; Bulgaro-
rum linguam nunc servant parum a Sclavonica dissentientem;
peculiares quoque litteras habent ne multum quidem cum Grecis
consentientes. Bulgari nanque supra mare Ponticum consistentes 328
melioribus sedibus allekti Mysias occuparunt; Unnis primo finitimi,
quos annalium scriptores aliqui in tria genera divisos prodiderunt:
in Alziagyros, Avars et Ungaros. Alziagyri haud procul a Cher- 329
ronesio habitaverunt, estate per campos errare soliti ad Pontum cum
pecoribus hieme versabantur. Ungari Meotim quondam accolue- 330

runt, deinde mutatis sedibus, quia murinarum pellium commercio noti sunt, utrasque Danubii ripas occuparunt; eorum enim altius nobis repetetur origo. Avarum autem habitum, ut Suidas ait, Bulgari usurparunt ac in hunc usque diem utuntur. Terbelis Bulgarorum dux Iustiniano Rhinotmeto imperante floruit, cum et ipse Iustinianus et Constantinus Heraclis filius stipendia huic solvisse dicuntur, quando ab Avarum impetu eius opera liberati sunt; scutum enim, quod gestare solebat, humi supinum deposuit, item scuticam, qua adurgebat equum, et, quousque utrunque protexit, porrecta humi ad terminos usque hasta elataque veste serica duas arcas nummis completas alteram a dextra aureis alteram a leva argenteis militibus exposuit. Avarum tunc vires Bulgari patefecerunt, nam, cum victis Avaribus captivos quosdam suspensor interrogasset, undenam principis gentisque sue interitum accepissent, respondere: Ex hoc, quod tantas sibi vires extincta misericordia delatores comparant, ut fortissimum et prudentissimum quenque virum iam confecerint; fures ac facinorosi cum iudicibus tuto quotidie versabantur; ebrietas, crapula, largitio, doli dominabantur; venalia cuncta erant, fraudes et insidie mutuo tendebantur; hinc igitur Avarum excidium promanasse dicebant. Quod ubi Terbelis audivit, convocatis Bulgaris varias leges promulgavit imprimis in delatores, de quibus edixit habendam esse questionem, delatorem prevaricatoremque convictum capitalem esse iubet; item, ne furi cuiquam et latroni cibum et esca tribuatur, qui tribuerit, omnia eius bona in fiscum referantur; furi crura frangantur, vineas omnes imperat extirpare, delatori non extirpantium modica munera proponit; qui delinquentes non indicarit, bonorum publicatione multandum esse censuit. Quare Iustinianum secundum in imperium Bulgari restituerunt.

Cum antiquorum more geographorum citeriorem ulterioremque Ungarie partem descripserimus, nunc, quos fines ipsa sibi vendicet, breviter exequamur, ut, utro modo in referenda historia loci scriberentur, facillime quisque intelligere possit. Quanquam divus Mathias Ungarorum rex tantum sibi imperii compararit, ut hinc mare Adriaticum, Sarmaticum illinc et ab exortu Ponticum, ab occasu Noricos, Vindelicos et Suevos nunc attingat Ungaria, tamen asperrime ac indomite gentis alumna a meridie a Dravo sumit initium, a septentrione Sarmatis, quos Polonos, et Getis, quos Valachos dicimus, tempestate nostra terminatur, ab occasu Austriam habet superioris quondam Pannonie caput, ab oriente Mysiam, quam Retianam nunc appellant. Nulli terrarum regioni hominum robore, pecorum fecunditate, ubertate soli, metallorum copia cedens exuta prisca illa barbaria se nunc militaris discipline principatum obtinuisse gloriatur. Cum assiduo bello vexata sit infestissimis circumventa nationibus extinctis vestustate urbibus, que in Pannoniis olim fuerant, nunquam pacis compos novas edificare non potuit et, si quas exedificavit, tumultuaria, mihi crede, fuerint opera. Triplici tantum genere hominum delectat, quorum pars sacerdotum est, cum religionem mirifice colant, alii arma gerunt,

ceteri agricolae sunt. Universa in pagos conventusque divisa, quos 340
 comitatus appellant. Que, si mitior esset aut latrocinii carere pos-
 set, frequentiam quoque oppidorum maiorem haberet, celi benignitate
 et pulchritudine situs omnibus orbis regionibus suo iure posset
 anteferri. Conventus quam plurimos habet vicosque innumerabiles 341
 in urbium speciem, sed conventus partim a civitatibus, partim
 ab his Ungarorum ducibus, qui e Scythia prodeuntes utrasque Da-
 nubii ripas occuparunt, nomen assumpsere. Citeriores, qui in Pan- 342
 nonias diffusi sunt, prius sunt ordine referendi; imprimis Syrmien-
 sis conventus a Syrmio metropoli civitate nominatus, de qua multa
 paulo supra dicta sunt, Ioanne episcopo viro nobili et gravissimo
 ac multis animi corporisque dotibus predito universus ille Scor-
 discorum tractus nunc magnopere gloriatur, cuius virtuti si fortuna
 comitem se prebuerit, longe maiora sperare poterit. Deinde Val- 343
 conensis, in quo Uylacum oppidum non ignobile episcopatusque
 Diacensis, qui maximam Mysie partem quondam obtinebat, nuper-
 rime excellentissimum episcopum sortitus est Stephanum Crispum
 inaudita humanitate, mira optimarum artium disciplina, preterea
 fide, clementia, liberalitate ac prudentia incredibili, cui, si fata vitam
 prorogabunt, nihil est tam magnum, quod virtute et probitate sua
 sperare non possit. Post hunc Poseganensis inter Savum Dravum- 344
 que diffusus, cui Posega oppidum nomen indidit. Sclavoniam
 autem et Dalmatiam duobus tantum conventibus complectuntur,
 qui Sevie ac Zagabrie haberi solent. Baraniensis conventus multis 345
 fertilibusque vitibus exornatus, in quo Peuce civitas opulentissima
 a Peucinatorum reliquiis edificata, quam nunc a quinque basilicis
 Quinqueecclesiensem urbem vocant; antistes huius Sigismundus 346
 est non modo optimis disciplinis, quas ab Italis accepit, et opibus
 ac nobilitate generis, verum etiam ingenita humanitate, magnifi-
 centia, gravitate formeque prestantia venerandus, qua omnium spec-
 tatorum gratiam sibi facillime conciliat. Item Bata vicus quidem 347
 non ignobilis, quam Ungari Scytharum proles a Bata Cimmerici
 Bospori, que non procul a Sinda est, vocare voluerunt. Deinde 348
 Simigiensis conventus est Simigiusque pagus cum templo non
 ignobili, in quo Segesta ceterique vici Balatonis lacus accole. Sed 349
 in hec loca Segestani Scytharum incursionibus vexati, ut tutius vi-
 verent, se receperunt. Postea Tolnensis iuxta Danubium, ubi abba-
 tie tres vetustissime circumfusus ditate pagis. Mox Aibensis ab 350
 Alba Regali nuncupatus, que in media palude sita haud facile ex-
 pugnari potest, ubi basilica divi Stephani Ungarie regis profecto
 nobilissima, in qua regum defunctorum monumenta spectantur,
 nunc tanto divi Mathie sumptu tota reficitur, ut cum superbissimo
 quoque templo conferri queat, cui cum regio edicto et auctoritate
 pontificia etate nostra Dominicus antistes forte preest, tanta comi-
 tate, prudentia, probitate et aspectus venustate fuit, ut spectatorem
 quenque dicto citius alliceret in amorem, officio cuique deditissi-
 mus et presertim externorum; liberalis nanque vultus et corporis 351
 decora proceritas gratie tantum addebat, ut adeuntem quenque

dimitteret invitum. Sed cur tot Albas Ungaria dixerit, haud immerito plerique dubitabunt. Non solum hanc Albam habet Ungaria, sed Albam Grecam ad Taurunum et Albam Iuliam in Dacia apud Transylvanos, quo quidem nomine non immerito tantopere delectantur, ut mea fert opinio, qui progenitorum suorum nomen lubentissime retinent. Ungari nanque ab Unnis, Unni a Leucis, id est Albanis Asiaticis, qui a Scythis orti sunt, si Procopio Greco scriptori credimus, originem duxerunt et, ut maiorum nomina servarent, quas edificarunt urbes, ab eis nominare voluerunt. Eneas enim et Teucer antiquorum more, quas civitates fundarant, patriis nominibus appellarunt. Pius pontifex maximus huic opinioni, nescio, quo affectu refragatur, nisi fortasse isto, quia, cum vates esset optimus Ungarosque manticinaretur paucis post temporibus Alemanos suos, quos tantopere ac iure dilexit, facile domituros, iniquo ferebat animo eos aliquam nobilem originem sortiri. Procopius Unnos Ephthalitarum genus fuisse prodidit, quos etiam Leucos, id est Albos, nominat, unde et Leuci in Belgica Gallia inter Remos et Lingones siti. In eodem conventu Coletia est metropolis quidem civitas metropolitanaque habere solet non ignobilem. A Coletianis hoc nomen et fundamenta sumpsit, qui, ut Ptolemeus auctor est, sub Noricis inter Savum et Dravum non procul a Patavio quondam habitarunt. Hinc e conspectu ad occasum Vesprimiensis est ab episcopali civitate nominatus; quondam civitas ab Albo fonte Alemanica lingua nomen accepit. Item Zaladiensis trans lacum, quem Balatonem nunc vocant, cui quidem ideo nomen hoc inditum, quia zale, id est fluctuatio undarum, conventui undique circumstrepit. Ibi quoque Tychoni cherronesus et peninsula est, quam optima piscium copia celique benignitas nimis fortunatam et longe fortunatiorem celeberrimum templum ab Andrea rege conditum effecit. Pilisiensis vero conventus ad Danubium recedit montana quidem regio et tota vitifera et ob calidas aquas sulphureum fert vinum, quod temulentiam facile ciet. Hic Buda Nova et Buda Vetus utraque Danubii lambitur undis a Budinis vetustissimis Scytharum populis, qui cum Atila Unnorum rege in Pannonias descenderunt, appellata. Ne illis quidem assentiendum esse duxerim, qui a fratre Atile nominatum tradunt; si Herodotum et Strabonem diligentius lectitassent, aliter fortasse sensissent. Unni ex Asia prodeuntes trajecto Tanai in mediam Europe Scythiam penetrarunt et cum Budinis diu habitarunt, antequam Pannonias occupassent. Supra Budam Veterem in eadem Danubii ripa vetustissime urbis vestigia nunc cernuntur magnumque ambitum murorum referunt. Sicambriam nunc iuniores dicunt a Sicambri remotissimis Germanie populis, nam civitas ista ex auxiliatrice Sicambria legione Germanie nomen olim assumpsit. (In hac Veteri Buda lapis effossus est Mathie regis tempore, dum fundamenta iacerentur edium Beatricis regine, cum tali inscriptione: Legio Sicambrorum hic presidio collocata civitatem edificaverunt, quam ex suo nomine Sicambriam vocaverunt.) Nos autem, quantum ex Ptolemeo et epigrammatis veterum lapidibus incisis coniecere

possumus, legionis prime auxiliatricis hanc urbem fuisse credimus; tris enim legionum urbes in ripa Danubii quamvis in superiore tantum Pannonia, in quo fortasse decipitur, quia inferiorem etiam attingunt, Ptolemeus collocavit; primam, que legio Germanica decima dicta est, quam quidem eam fortasse reputarim, que iuxta Strigonium in effusa planitie sita est aut e conspectu Comare iuxta Tatam; alteram, que legio Germanica decima quarta, et eam paulo supra Budam ad decimum sextum lapidem, ubi divi Andree nunc templum est et vicus in edito loco situs, fuisse opinamur; extat adhuc murorum circuitus tergo nondum a livida vetustate deletus; adhuc in veteris delubri limine lapis est, cuiusdam Flavii epitaphium referens, ex quo mihi facile coniectura deducitur legionem illam Domitiani imperatoris tempore in Dacia expeditione in ripa Danubii fuisse collocatam ibique aliquem ex Flaviana familia obiisse legionis huiusce prefectum; tertiam autem, que auxiliatrix legio fuit, supra Budam Veterem fuisse reputamus, quod vetustissimum testatur epigramma ibi effossum et cuiusdam schole speculatorum legionum adiutricum dicationem ostendit, in citeriore nanque Danubii ripa nulla alia veterum civitatum vestigia his potiora comperimus. Ex quo fit, ut Sicambriam legionem primam auxiliatricem hanc a Sicambri Germanie populis appellatam, quem ad Budam Veterem humi plane iacentem conspicamur, existimare debeamus. Sed liberum cuique iudicium facile patimur, ineptos et somniculos annalium scriptores non sectamur. Non multo supra in eadem ripa fluminis Vicegradus est oppidum regum Ungarie quondam sedes, nunc vicus est celeberrimus civitatis instar a divo Mathia instauratus ac eius regia tanto sumptu et arte culta, ut nihil pulchrius spectari queat et superbius; sed de hoc alias. In montis vertice arx munitissima, ubi regiam sacramque coronam aiunt asservari. Paulo supra Pilisiensis abbatia est. Secundum Zaladiensem comitatum, ut aiunt, Castriferrens est ad Noricos Vindelicosque spectans ibique Sabaria vetusta quondam civitas varia referens monumenta, que, cum divi Martini patria fuerit, non parum sibi religionis ab omnibus exegit. Semproniensis hunc attingit a Sempronia nobilissima Romanorum colonia dictus ac Civitati Nove Austrie conterminus, in quo munitissima oppida innumerique pagi. Si ad Danubium declinaveris, Iauriensis conventus occurrit, qui ab Iauro civitate feracissima nuncupatus est, quam Arabon amnis abluit, cum Danubium influit, ubi paulo remotius Bregetium olim fuit; episcopatum habet non ignobilem eiusque basilicam Urbanus pontifex Mathie regis apochrysiarius non parvis edificiis et apparatus excoluit. Thomas huic, qui divo Mathie serviebat a secretis, plane successit, qui, cum exacta prudentia, integritate ac fide summa foret, item laborioso corpore, ingenio dextero et acuto, non plus sibi quam principi placuit; assidua illi servitia et officia incredibili studio prestitit, quare tantum sibi auctoritatis vendicavit, ut pro brevi consilio, astu sapientiaque sua inter ceteros, si viveret, principatum consecuturus esse videretur. At huic nepos Franciscus

erat, qui prosa et pedestri oratione pollens doctis favebat ingeniis et patrii fere collega, cum regis sit amanuensis, scribendi elegantia commune munus exornat. Neque procul nimis ab lauro Pannonius mons est, a quo Pannoniam plerique dictam affirmant, et in eius iugo religiosissimum divi Martini templum, qui quamvis Pannonicus fuit, in ulteriore tamen Gallia eius corpus reverentissime observatur. Cum hoc continuatur Comariensis a Comara Scytharum oppido nominatus, quod in insula Danubii situm est; Comari nanque iuxta Iaxartem Sacarum fluvium in Asiatica Scythia populi fuere celeberrimi, quare multa Europice Scythie oppida Asiaticae nomina referunt; quin et Comara fluvius in Bactris est, qui Ochum intrat; Comari quoque ibidem populi. Ex quo fit, ut Unni Ungarorum progenitores ex Asia primum et non ex Europa prodierint, cum non solum nomina, sed Scytharum linguam quoque redoleant Asiaticorum. In eodem conventu Tata, ubi arx regia tanto impendio extracta, ut iure possit omnibus nostri temporis arcibus anteferri, hinc nanque lacu, hinc duplici fossa, exciso saxo et erecto aggere munita, ut nulla ex parte oppugnari queat. Strigoniensis hunc attingit a Strigonio metropoli vocatus, quam, cum Ister et Gronus amnis preterlabatur, hinc iuniores appellationem contraxisse opinantur. Basilice ibi due nobilissime archiepiscopatus; altera a divo Stephano rege in edita arce constructa, in oppido subiacente altera Bela IV-o Ungarorum rege divo Francisco dicata. In patenti campo preter Istrum legionis Germanice decime iuxta flumen effuse vestigia multa cernuntur, si Ptolemeo credimus, quam Tartari postea delevere, ubi, cum legiones adhuc Valentiniano et Valente imperante tenerentur, a prefecto legionis prime, ut ex quodam lapide legimus, monopolium in suburbio institutum est, cuius inscriptio talis est: Iudicio principali dominorum nostrorum Valentiniani, Valentis et Gratiani principum maximorum dispositione etiam illustris viri utriusque militie magistri equitii comitis Foschianus prepositus legionis prime Martiorum una cum militibus sibi creditis hunc Burgum, cui nomen Commercium, qua causa et factus est, a fundamentis et construxit et ad summam manum operis in diebus XXXXVIII consulatus domini nostri Gratiani Augusti bis et Probi viri clarissimi fecit pervenire. Locum prepotens metropolita excolit et nunc quam maxime Hippolytus Aragonius regine Beatricis e sorore nepos ac Herculis Ferrarie ducis filius, qui nondum decimum annum nactus erat, cum a divo Mathia tam sacro munere donatus est. Sed genus regium, immaculata pueritia indolesque pene divina basilice ac venerabili collegio sacerdotum pretium potius addidisse quam quicquam detraxisse videtur. Mosoniensis hunc attingit. Hactenus de conventibus citerioribus dictum est; nunc ultiores rite prosequamur.

A Pestensi sumatur initium, cui Pestum oppidum nomen attulit. Pisoniensi vetusta civitas nomen dedit, que a Pisone, qui Thraciam domuit, ut Florus ait, nomen assumpsit, cum in Mysis et Pannoniis versaretur. Honthensis vero est, ubi Sacum est oppidum a Sacis vetustissimis Scytharum Asiae populis vocatum. Neu-

gradiensem ubertate soli letum Vacia civitas excolit. Ad Marmaciam, 393
quam hodie Marmarussam dicunt, Gemiensis plane secedit cupri,
ferri et argenti ferax. Item Torniensis ac Zoliensis a vico et op-
pido denominationem assecuti, alter ferri, alter auri et argenti fe-
racitate prestans. Sariensis, cui castellum nomen attulit, ad Sar- 394
matie fines spectat. Polonis quoque Scepusiensis est conterminus,
in quo Scepusium, Barthpha ac civitas Leucoviensis ab Albanis Un-
norum progenitoribus condita; Leucon enim album Grece significat.
Hic Emericus prefectus pretorianus, quem palatinum vocant, et 395
Stephanus frater comes regius late tempestate nostra dominantur,
alter sapientia summa ac magna rerum experientia pollens, alter
fide, probitate armisque preclarus. In montibus prope Marmaciam Un- 396
gensis est, qui ab Unnis Ungarisve denominationem accepit. Si in 397
campos descenderis, Hevesiensis est, ubi Agriam fuisse diximus.
Borsodiensis autem est, ubi Diusiur castellum non ignobile presi-
det. Ultra Tibiscum Zabolcensem invenies Zolnocensemque exte- 398
riorem, cuius annis accole sales fossiles e Marmacia in Danubium
devehunt. Neque procul hinc Bioriensis, ubi Varadinum est eius- 399
que basilica, ubi divi Ladislai regis corpus requiescit; spectatur
etiam ex ere equestri illius statua statueque nonnullae. Becensis ad
Transylvaniam recedit, cui Orodienis quoque finitimus est, cui
Orodium, ubi Bele ceci regis est sepulcrum, nomen attulit. Non 400
procul hinc Zaradiensis, preterea Torontalensis et iuxta Tibiscum
annem Congradiensis Zegelediensi oppido celebratus, item Canadi-
ensis cum civitate et basilica non ignobili. Ad Mysiam Themesien- 401
sis se reflectit, ubi eodem nomine oppidum frequentibus vicis cir-
cumfusum. Proximus huic Bachiensis est civitate clarus et antistite.
In ripa Danubii Bodrogensis extenditur a castello nominatus. Zath- 402
mariensis fodinis auri et argenti ditissimus per montes effunditur
oppidumque habet, quod Rivulum dominarum nunc appellant. Zol-
nok mediocris et Crazna, item Beregensis cum oppido in altissimo
monte sito, quod Muncacium vocatur. Et Ugochiensis, ubi antiquis- 403
sima Prniorum domus inter proceres clarissima semper habita
late dominatur, cuius princeps Emericus ea tempestate ditissimus
et Mathie regi formidolosus oppidis et fortunis privatus est, cui
mox prestantissima Emerici filii indole rex penitentia et commi-
seratione ductus cuncta bona restituit, adolescens enim erat libe-
rali ac venusta usque adeo facie, ut maiorum suorum virtutes pre
se ferre videretur; huic congenitis Prini Ianos erat innocentia, pro-
bitate et affabilitate summa. Ad Marmaciam hi spectant omnes.

Supra Pisonium Nitriensis, ubi Antonius episcopus gravitatis 404
et prudentie studiosissimus Nitrie preefuit. Hunc Barsiensis sequi-
tur, ubi Revischium Urbani pontificis Agriensis est oppidum. Mo- 405
ravie a Morava fluvio dicte Trenceniensis est conterminus, cui civi-
tatis nomen imposuit; neque nimis hinc Trinavia abest oppidum.
In Moravie et Polonie finibus Lyphoviensis est a Lyphovia urbe 406
nuncupatus, quo Ioannes faustissimus divi Mathie filius in amplis-
sima spem imperii ab infantia educatus a pientissimo patre dona-

tus est, dum, qualis princeps futurus esset, a teneris preferret
 annis. Arvensem Moravie Polonieque fines attingunt. Ad easdem 407
 partes Thurocensis pertinet. In eadem fere regione Abauivariensis,
 in quo Cassiovia urbs nobilissima et Eperies, Zempliniensis,
 ubi oppidum, ubi ad Bodrogum amnem Scythe ac Ungari primum
 consedere. Postremo Marmarusiensis conventus est, ubi salium 408
 sunt fodine et quinque oppida vicique, atque Transylvaniensis, ubi
 septem Saxonum sunt civitates, quas Septemcastra, ni fallor, ap-
 pellant. Ex his potiores sunt Saxonium, Cibinium, Brassovia, Bi- 409
 stricia et Colosvarum, quod scholasticum oppidum Scythica lingua
 interpretantur; vicinum etiam est illi monasterium beate Scholastic-
 tice dicatum. Item Alba Iulia metropolis, de qua supra dictum est; 410
 fodine quoque salium Scythulique populi e Scythis ingenuis ori-
 undi, quandoquidem adhuc servitutis ignari sunt nullaque regi sti-
 pendia nunc expendunt, nisi quandoque domesticatim bovem et
 illum quidem non edicto imperatum, sed precario nomine postu-
 lante quasi regni necessitate exoratum. Sed hec omnia recentioribus
 nominibus appellemus.

Illud Sarmatie latus, quod inter Tyram et Axiacem ad Euxinum 411
 usque mare porrigitur, Podolia nunc dicitur. Hinc Russia ad Borys-
 thenem usque diffunditur et utranque eius ripam ad caput us-
 que obtinet, deinde inter orientem et septentrionem conversa supra
 fontes Tanais ad Ripheum montem propagatur. A Ripheis deinde 412
 iugis pars eius una in Sarmaticum Oceanum ultra Chersinum ori-
 Turuntum amnem, altera vero in Asiam et Hyperboreos et Hippo-
 phagos usque Sarmatas excurrit, ubi sylvestres homines supra nives
 fere perpetuas vehiculis feruntur, que cervi tanta pernicitate trahunt, ut
 ultra centum milia passuum uno die iter facile metiantur. A tergo
 Russie inter ipsum Tanaim et Meotidem quicquid est, Tartari habent.

Litifania, quam plerique Litvaniam appellant, interiora Sarmatie
 possidet, inter Venedicos et Budinos montes sita ab exortu Russiam,
 a septentrione Livoniam, Prussiam et Pomeraniam attingit, que qui-
 dem regiones a Budinis Alanisque montibus reliquam Sarmatie oram
 ad Oceani usque litus occupant. Litifanie Massovia iungitur. Ab 414
 occidente circa ripas Vistule fluminis Polonia eam Sarmatie partem
 sibi occupavit, que a Sarmaticis montibus et fontibus Vistule Germa-
 niam a Scythia dividens extenditur. Que quidem loca Ombrones, 415
 Saboci, Sidones et Visburgii quondam incolebant, sed, qua Germa-
 niam incurrit, coniungitur Silesie, quam a tergo Moravia excipit. Quadi 416
 autem et Marcomanni sub Moroboduo rege Silesiam et Moraviam
 tenere, a quo Moraviam dictam arbitrantur. His duabus regionibus
 Bohemia ad Aquilonem adiacet inter montes sita, qui Sudete dicti
 sunt, et Semanam sylvam. A Dravo incipit Ungaria et citra Danu- 417
 bium a Noricis ad Taurunum usque, ubi Savus Danubium influit,
 ultra vero a Germania Carpatum montem attingit, sub quo Scepu-
 sium est oppidum, et ad Tibiscum usque spatiat, quod montane
 Dacie caput est, quam Ripensem plerique dixerunt et nunc Monta- 418
 nam Valachiam appellant. Altera vero Valachia, cui Moldavie no-

men est, inter Istrum et Tyram ab Hieraso Montane Valachie termino ad Euxinum usque Pontum extenditur. Transylvania ultra Carpatum 419 montem extrema est Dacie ora. In superiore Mysia Bosna est et Rassa, a tergo Servia; in inferiore Mysia Bulgaria continetur. Re- 420 gum sedes in Polonia Graccovia est ad Vistulam amnem sita, in Litifania Vilna, in Ungaria denique Buda.

LIBER II.

Utranque Scythiam et citeriorem ulterioremque Ungariam et 1 locorum nomina, que transmigrationibus ac bellis variarum gentium immutata sunt, qua potuimus, brevitate descripsimus rati hac de- 2 scriptione historiam quenque facilius accepturum. Sed, cum ad eius 2 festinemus initium, etsi in superiore libro nonnulla retulimus, de Scytharum tamen origine, moribus et gestis et de Gothis, qui ab Unnis eieci sunt, unde Ungari duxere genus, nobis prius haud ab re di- 3 cendum esse statuimus, ut commodius cetera prosequeremur.

Scythicam gentem a Scytha filio Herculis nomen accepisse, 3 nemo est, qui deneget. Verum in historia ficta plerique dissentiunt. Diodorus natam e terra virginem tradidit umbilico tenus humana forma 4 predictam, ceterum vipeream; eam tris pueros genuisse: Scytham, Plutonem et Napim, primum virtute ac ingenio prestantiorem propa- 5 gato imperio, quod angustum acceperat, Scythis nomen imposu- isse, ab altero Plutones, Napeos a tertio diviso regno et prolatis finibus fuisse nominatos. Gens, que primum ad Araxem fluvium 5 pauca et contempta conserat, magnanimum sortita regem ac belli et glorie cupidum montana ad Caspium usque occupavit, campe- 6 stria vero ad Oceanum et Meotim, quin etiam traiecto Tanai optimis rerum successibus usa in Europa ad Thraciam usque pervenisse fer- 7 tur; in Asia quoque Nilum attingisse, colonias e provinciis sibi sub- 6 actis in Scythiam deduxisse multas, potissimas vero duas, alteram ex Assyriis, quam inter Paphlagoniam et Pontum collocavit, ex Medis alteram, quam pone Tanaim eamque Sarmatiam appellarunt.

Herodotus Herculem refert, ut nil intentatum indomitumque 7 relinqueret, in Scythiam pervenisse, apud hyleam sylvosamque regio- nem mulierem invenisse biformem eamque sibi equas subtraxisse neque ipsum nisi soluto coitu ab ea recipere potuisse; huic tres 8 scitos et elegantes pueros fuisse natos Scytham, Agathyrsum et Gelonum; consultum ab illa, cui regnum traditura esset, respondisse, cui delegatus arcus intentius incurvaretur; Scytham, ubi adoleverunt, ve- 9 hementius intendisse, regionis imperium invenisse, fratres alienas quesivisse sedes; Gelonum transmisso Tanai ad Danubium usque regni fines protulisse, Agathyrsum ad Aquilonem recessisse et ad Ripheos Hyperboreosque montes imperium statuisset. Nonnulli qui- 10 dem, nescio, quid ex Hebreorum historia hallucinantes a Magog filio Iaphet Scythas promanasse scribunt, quin et Hunorem et Magorem Nemproti filios Unnorum fuisse progenitores. Nos autem vetera mo- 11 numenta nimia auctoritate pollentia etiam in errore sectari, quam

cum his, dum licet, bene sentire malumus.

Scytharum igitur gens antiquissima semper habita fuerit, sua cum Egyptiis contentio prorsus ostendit. Egyptii hoc argumento primam hominum originem sibi vendicabant, asserebant enim terras ab initio rerum, que aut intolerabili frigore aut nimio fervore afficiebantur, primos homines adire nequuisse presertim, cum adversus hec nulla adhuc velamenta ars invenisset; Egyptum in medio sitam nimia soli fecunditate celique temperie prepolluisse, quin etiam Nilum e limo fovente sole innumera animalium genera procreasse; hinc facile colligi primos homines ibi fuisse visos, ubi educari facillime possent. Contra Scythe hanc nullius momenti rationem affirmabant deum et naturam nil frustra statuisse, nulla protulisse loca, que ex parte omni vacarent, in animalium ac ceterarum rerum procreatione pro loci aerisque condicione omnia generasse, in frigidis oris dura corpora collocasse, cetera patientia caloris intolerandi plantas et fruges pro loco et celo aptissime disposuisse; ad hec a principio rerum sive unio fuerit congeriesque rerum sive aquarum illuvies terras exuperans sive ignis cuncta occuparit, quem mundum genuisse volunt, Scythas origine omnino prestare oportere. Nam, si ignis dei nutu terris cedere iussus est, nil rigente septentrione prius ab igni liberatum fuisse credendum est, Egyptum vero ac cetera, que ad solis exortum spectant tardissime temperata, quin etiam adhuc solis estu non carere; si aquarum illuvie demersa tellus, nihil editissimo septentrione desidentibus aquis celerius emersisse, quod ne cui prius quam Scythie accidere potuit. Que quam alta sit, hinc facile intelligi potest, quod omnes fluvii e Scythia orientes, in Ponticum Egyptiumque mare decurrunt, contra Egyptus adhuc tot regum seculorumque studio et impensa adversus incurrentium vim aquarum vix muniri potuit. Ex quo facile colligitur Nilum non a meridie, sed ex Atlante monte ad occasum exortum defluere. Si distincta unione rerumque congerie levia sursum gravia deorsum plane desidunt, nimirum Scythia celo propior sub editiore polo sita prior emersit. Quare Egyptii non modo argumentis, sed vi quoque armorum superati sunt. Nam indicto a Sesostri Egyptiorum rege quondam bello non modo eum in finibus advenientem expectarunt, sed prodeuntes longius occurrunt tanquam prede obviam ituri, quando cum eis rex nil lucrifacere posset; quod ubi hostes acceperunt, relictis impedimentis et castris dicto citius in fugam conversi sunt; patrata magna cede suorum vix in Egyptum rex incolumem se recipere potuit. Quin etiam, nisi Scythas paludes inhibuissent, universum ille regnum amisisset. Isti, dum redeunt, universam Asiam domitarunt et in imperii titulum minimo indicto tributo stipendiariam fecerunt. Sed quid Sesostri dicimus exoletamque historiam ingerimus? Darium Persarum regem in turpem fugam converterunt, deleverunt Cyrum cum universo exercitu, Zopyriona Magni Alexandri ducem cum omnibus copiis ad interneconem usque ceciderunt; Parthicum denique et Bactrianum imperium pepererunt.

Gens bello asperrima, indomitabilis, omnis expers ambitionis

et avaritie nihil a victis preter gloriam postularunt neque agros colunt neque domos edificant neque villas construunt neque sedes certas habent. Per incultas solitudines pecora tantum pascunt. Plaustra in domorum usum resarciunt ad arbitrium mutabilia, hec uxores et liberos ferunt; se ferinis et murinis pellibus tegunt, lane usum ignorant, lacte et melle vescuntur, mulcra potissimum est abaci ornamentum, arma ensis et arcus, iustitia non accepta legibus, sed ingeniis insita. Nullum facinus furto gravius habetur, cum sine tecto et munimento pectora et alimenta possideant, cum per sylvas vagentur; si furari liceret, nil superesse videretur; aliena non cupiunt propriis contenti; aurum et argentum ex more non anhelant. Ceterum moderatissimi et abstinentes et suapte natura probi, quod Romani ac Greci vix preceptis ac disciplinis philosophorum consequi potuerunt. Plus enim his profuit ignoratio vitiorum, quam illis cognitio virtutis. Iure igitur, quemadmodum in superiore libro diximus, tantopere ab Homero laudantur, qui, ubi Phenicum, Ionum, Milesiorum, Grecorum et Romanorum commercio fuere usi, coinquinatis quasi moribus immites et efferati facti sunt.

Imperium sibi Asie compararunt, quam vectigalem per annos mille et quingentos habuere, pendendi tributis finem Ninus Assyriorum rex imposuit, ipsi neque vinci neque servitatem tolerare potuerunt. Trogum sanctissimus ille pater Pius inclamat, quod Scythas Romana arma potius audivisse quam sensisse scripserit neque his laudibus dignos neque Romanis, Grecis ac Macedonibus intactos fuisse; Alexandrum eos ad Iaxartem usque fluvium cecidisse, Pompeium multos Scytharum exercitus fudisse, Albanos et Iberos domuisse, multa quoque imperante Claudio a Romanis in Scythas, ne omnia prosequamur, clarissime fuisse gesta. Verum hec omnia facile refelluntur, quandoquidem hi omnes vix limites attigerunt, penitissima ac intima loca haudquaquam penetrarunt. Si quid Alexander fecisse iactatur, transvolando potius quam gerendo peregit, ubi si moratus esset, fortunam fortasse mutasset; reconditi nanque Scythae Alexandrum audivere potius, quam sensere. Prius recessit ad Bactrianorum Sogdianorumque defectionem, quam coactos Scytharum populos experiri potuisset. Romani imperatores, si quas gesserunt in Dacos et Bosporanos expeditiones et eas quidem sepiissime calamitosas habuere, interiorem tamen Scythiam non attigerunt, que tam in Asia quam in Europa ita ample lateque diffunditur, ut alterum terrarum orbem dixeris neque solis ubertate neque fecunditate pecorum neque auri, argenti et lapillorum copia contemnendum. Sed iniquo, mihi crede, animo id ferebat sacrosanctus ille pater remotius futura multa prospiciens Ungaros Scythia oriundos, qui Australes magna clade et calamitate confecerant et iterum fortasse conficient, tantis laudibus preditos progenitores habuisse.

Pretereo Parthos Scytharum exules, ut Scythica lingua intelligi potest, quippe qui a populo Romano ternis bellis per potentissimos duces lacessiti victores potius quam victi fuere. Hi primum domesticis seditionibus patria eieci solitudines, que inter Hyrcanos

et Daas, item inter Areos, Margianos et Bactrianos iacent, furtim occuparunt sermonemque Scythicum cum Medico admiscere ceperunt, ubi Arsacem multis post temporibus sortiti regem prestantissimum regnum amplificaverunt, a quo ceteri quoque reges Arsacide dicti sunt. Adversus Antiochum Seleuci filium cum centum milibus peditum et XX milibus equitum eos infestantem mira virtute pugnauerunt. Superarunt imperante Mithridate Medos et Hyrcanos, qui a Caucaso ad Euphratem usque Parthorum protulit imperium. Phraates eius filius in Antiochi bello exercitum Grecorum vi totum cepit et in longa captivitate retinuit. Hi Marcum Crassum obtruncarunt, redegerunt Persas rerum dominos in dicionem suam. Marco Antonio bellum inferenti cum L milibus equitum occurrere et ni Ventidii Bassi concivis nostri virtus succurrisset, iam de universo Romano exercitu fuisset actum. Severi imperatoris insidias gravissimo bello uli sunt. Gallieno imperante Mesopotamiam et Syriam sibi occuparunt. Orientis tandem imperium hec Scythica proles occupavit neque a Romanis unquam domitari potuit. Preterea cetera, ne longius evagemur.

Immo adhuc animus heret, utra virtus virorumne an mulierum Scythie plus sibi glorie compararit. Promanarunt ex his Amazones inaudite fortitudinis et audacie mulieres, que non modo cum ceteris feminis conferri indignantur, sed virorum se gloriam equasse, ne superasse dixerim, sane contendunt. He a Ptolemeo inter flavium Rhan et Ceraunia iuga collocantur. Metrodorus Scepsius eas Gargarensibus finitimas ad Cerauniorum radices habitasse prodidit. Hanc originem historici his adscribunt: Cum in Scythia duo regii iuvenes optimalium factione domo eiicerentur, coacta magna iuventute in Cappadociam venisse dicuntur, ad Thermodonta consedissee, Themiscyrios occupasse campos ibique diu rapinas et latrocinia exercuisse, finitimorum tandem conspiratione ad unum omnes fuisse cesos. Uxores, que superfuerant, conspicias additam exilio orbitatem non solum, ut propria tuerentur, aiunt, arma sumpsisse, sed, cum desperationem audacia corroborarent, fines amplificare voluisse; finitimorum coniugia eque ac servitutum abominatas contemptis virorum adminiculis regnum auxisse; ut in pari omnes fortuna forent, viros, qui domi superfuerant, interfecisse, mox rabiem convertisse in finitimos, quibus pacatis, ne ad interitum redigerentur, eorum concubitus statuto quotannis tempore inire solitas. Editos continuo mares necabant, femellas contra tollebant, quas non femineis artibus excolebant, sed equis, venationibus et arcu exercebant. Exurebant mammas dexteras, ne sagittando impedirentur, unde nomen his inditum. Harum Lampedo et Marpesia regine prestantissime fuere; alternis regnum vicibus gubernabant, altera domi, foris altera rempublicam gerebat. Se Marte genitas predicabant. Subegerant maiorem Europe partem ac multas Asiae civitates in dicionem suam plane redegerant; dum tuendi imperii gratia in Asia cum exercitu magno commorantur, Ephesum, Smyrnam, Cymam et Magnesiam condidere. Marpesie filia successit

Orithyia, que, cum eximia rei militaris disciplina perpetuam sibi virginitatem conservavit, Amazonum usque adeo imperium auxit, ut Herculis ac Thesei expeditionem meruerit, qui in eas profecturus excellentissimam Grecie iuventutem delegit, novem naves longas comparavit. Antiope et Orithyia sorores rempublicam gerebant; Antiope domi, foris Orithyia. Cum Hercules Amazonum litori applicuisset, cum Antiope nihil hostile vereretur, incautas et inermes aggreditur. Regina Antiope soror Menalippe ab Hercule, Hippolyte a Theseo capitur, ex qua editus est Hippolytus; non sine dolo miselle capi potuere. Orithyia, cum suarum casum accepisset raptoremque Atheniensium fuisse ducem, postulatis a Sagillo Scytharum rege auxiliis Atheniensium iniurias curavit ulcisci. Post hanc Penthesilea cum fortissimo quoque viro comparanda Troianis opem cum ingentibus copiis afferre non timuit. Ad Alexandri usque tempora perdurarunt. Thalestris regina impetrato Alexandri concubitu paucis post temporibus cum universis Amazonibus interiiit. Et, quamvis de his varia scribant historici, Claudius tamen secundus, cum de Gothicis gloriosissime triumphavit, decem feminas virili habitu cultas ante currum duxit, quas Amazonas fuisse arbitrabantur. Erubescant ergo viri et ii potissime, qui insolentia ducti tantum sibi tribuunt, ut aliis nihil impertiantur. Amazones rarum cunctorum seculorum exemplum clarissima Scytharum proles, quanti progenitores momenti sint habendi, cum vulgatissima gestorum gloria plane testantur. Scythis enim si clari scriptores eque ac Grecis et Latinis olim affuissent (nolim his verbis imperii Romani ledere maiestatem), vereri quandoque admodum potuissemus, si iuste cunctorum regna pensitarentur, ne inter barbaros erubescere cogeremur.

Utinam hec affectate potius, quam vere dicere possemus. Sed veritatis numen ubique venerandum. Hegesippum equum testem ultro citemus talia referentem, cum Titus Hierosolymam expugnavit, ubi undecies centena milia Iudeorum cesa sunt, capta vero septem et nonaginta milia, tunc Alanos Asiaticæ Scythiæ populos gentem feram belloque asperam, quam intra Causasum ferreis claustris cum ceteris efferatis nationibus Alexander obstruxerat, ut Tanais et Meotidis finitima colerent et aliena non incursarent, aut soli sterilitate, quod cum agricolarum votis sepe non consentit aut, prede cupiditate effractis portis per Hyrcaniam in Mediam prorupisse, percussasse ex improvise universam Medorum regionem, omnia igni ferroque vastasse; cum regnum nacti essent opulentissimum, cede iam defatigatos ad predam animos convertisse; Pacorum regem saluti potius quam regno consulentem in munitissima remotissimaque loca aufugisse, uxores, liberos et concubinas ab iis captas centum talentis ab hostibus redemisse; Tiridatem Armenie regem, cum eos se invasuros subinde intelligeret, resistere voluisse, quod cum frustra moliretur, conserta pugna fuisse fusum fugatumque, quin etiam laqueo innexum, quem nisi preacuto gladio fortiter intercideret, vivus in hostium potestatem pervenisset;

Alanis morem esse in prelio iacere laqueos atque ita hostem in- 60
nectere; Tiridatem, ubi mortem evaserat, populandum iis reli-
quisset regnum, Media Armeniaque spoliata et incensa se mox in
Scythiam recepisse. Quid de Europicis Alanis referemus, qui Go- 61
this associati non modo Thraciam, Mysiam et Pannoniam, sed
Illyricum, Italiam, Germanias, Gallias et Hispanias incursarunt et
regiones ita plerasque occuparunt, ut eas hucusque retineant?
Tarraconensem Hispaniam a Gothis et Alanis nunc Gothalaniam 62
nuncupamus. Utinam incendii Gothiceque ruine monumentis ca-
reremus! Vandali eadem via grassati Africam occuparunt. Gothi 63
quoque prius non solum Thraciam, Macedoniam et Greciam, sed
Pontum et Asiam Valeriano et Gallieno imperantibus populati sunt.
Omnia fere ac potissima divine iracundie flagella ab Aquilone
promanarunt.

Illud profecto admiratione dignissimum esse censemus Scythas 64
aliena nunquam iuga diutius tolerare potuisse eosque bello cete-
ros superasse. Iis primum Bacchus et Hercules, deinde Cyrus, Da-
rius, Alexander et Pompeius bellum intulere neque iis imperare
diu valere. Ne mee quidem opinioni Lucius Florus refragatur, cum 65
idcirco XL annis Mithridatem Ponti regem cum populo Romano
bellum assidue gerere potuisse credamus, quia Scytharum cum grato
obsequio habebat auxilia, quibus monitus exercitus ne tot quidem
cladibus affici poterat, quin ex illa gentium officina fecundissima
supplementa abunde suggererentur. Novissime autem quid de Tur- 66
cis dicemus, qui Asiatica Scythia oriundi Pontum Cappadociam-
que transgressi et finitimas regiones illapsi frequentibus excu-
sionibus tantum sibi virium compararunt, ut Galatia, Bithynia,
Phrygia ac universa denique minore Asia occupata trajecto mox
Hellesponto cum summo imperii Romani dedecore et iactura ma-
gnam Europe partem occuparint? Quid Ungari quoque fecerint, et 67
vidimus et nostra etiam testabitur historia. Sed iam huiusce gentis
vires et gesta admirari desinamus, nam, cum robore ac bello pol-
leant, hec tria potissima habent adiumenta: poli altitudo elatos
prebet animos, Mars, qui Scythicis oris presidet et peculiaris eorum
deus est, ferociam et regionis natura vires corporum detulerunt.
Frigida nanque plaga obstructis corporum poris calorem nativum 68
adauget digestionemque fovet, quare corpora magna validaque red-
duntur. Sed, quando diutius in his rebus immorati sumus, de Scy- 69
this hactenus; nunc, ut rite omnia referamus, que ad rem nostram
pertinent, cum ab Unnis Gothi Scythia eiecti fuerint, a Gothis
benigno numine freti dudum exordiamur.

Postquam Gothi a Scandinavia egressi, ut a principio dixi- 70
mus, Philimero duce iuxta Meotidem, deinde ad mare Ponticum
consedere, fastidita regione in Daciam, Thraciam ac Mysias Za-
molxene duce philosopho quidem non inerudito pervenerunt. Hec 71
enim natio pre ceteris barbaris, ut Grecus Dion historicus ait, qui
de Gothis scripsit, sapientiam dilexisse fertur. Imprimis Zeutam et
Deceneum, deinde Zamolxenem philosophum habuerunt illud Pla-

tonicum non ignorantes, quam beatum foret a sapientibus regibus gubernari. Philosophos prestantiores Tarabostescos, deinde pileatos 72 appellabant, e quibus sacerdotes ac reges Egyptiorum more creare consueverant.

Gothos ac Getas eosdem fuisse dicunt, Dacos quoque ac Ge- 73 tas eosdem, cum iis una lingua sit, affirmat Strabo. Trogus Dacos Getarum sobolem appellat et uterque Dacos a Dais vel Davis, qui Caspii maris accolae fuerant, genus duxisse tradit. Quorum auctori- tati si tribuimus, que debemus, e Scandinavia, ut Iordanis eorum scriptor asserit, proficisci nequiverunt. Sed de rebus Gothicis Go- thico aliquid scriptori concedamus. Quamvis Iordanem demirari non 74 desino, qui, quecumque Scythis a tergo gesta tribuuntur, quod Sesostrim Egyptiorum regem in Egyptum usque profuderint, quod Asiam subiugarint, quod Parthorum et Amazonum progenitores extiterint Cyrumque per Tomyrim interfecerint et Darium et Xerxem profligarint, qui in Grecos non Scythis inauditum exercitum para- rint, Europicis omnia Gothis adscribit nimio suorum amore decep- tus. Priores enim Asiatici Scythe fuere, quam Europici, qui traiecto 75 Tanai Europicam sibi vendicarunt ac sua imposuerunt nomina. Ex quo colligitur eius dicta, ut sua bona venia dixerim, nullo modo constare potuisse. Hi vero Martem, cum bello asperrimi forent, sin- 76 gulari religione coluerunt, hostili numen sanguine placarunt haud ab re futurum rati, si belli deum humana victima sibi conciliarent primitias quoque belli vovere soliti.

Divisi mox populi omnes, ubi prudentiores effecti sunt, Visi- 77 gothe alteri, alteri Ostrogothe dicti. Visigothe Balthorum, Ostrogothe Amalorum familie obtemperabant. Gothi nanque tunc a Bory- sthene, quem Danaprum Iordanis appellat, ad Tanaim usque uni- versum eum tractum occuparant. Amalorum mos fuit arcum tendere, 78 cantu et cithara maiorum referre gesta, equos concitatissimo cursu agitare. Dion, qui Getica scripsit, multo post tempore Gothos Telephum Herculis filium, quem ex Auge sorore Priami tulerat, non modo Getice, sed Mysie quoque Europice regem habuisse tradit. Is, cum auxiliares copias in Troianorum opem comparat, cum Gre- 79 cis pugnam conserit, Thessandrum Grecie ducem interficit, dum Aiacem Ulixemque petit, procidente equo corruiat eiusque femur ab Achillis hasta gravissime confoditur, sic tandem saucius Danaos suis finibus eiecit. Addit etiam Eurypylum filium huic in regno 80 successisse et Cassandre sponse amore ductum ad bellum perve- nisse Troianum ibique vita fuisse defunctum. Verum illud ipse 81 infitiat Philippum Macedonie regem, cum id Dion affirmet, Medo- pam Gudile Gothorum regis filiam in coniugium postulasse, ut hac affinitate tutius sua regna muniret, eam duxisse uxorem, mox pe- cuniarum inopia ductum Odysstanam urbem opulentissimam Tomis finitimam et Getarum urbem obsedissee, pios illi sacerdotes candidis ac sacris vestibus instructos modulatis cantibus occurrisse, Macedonas hoc supplicum spectaculo victos regis iussu continuo gravem solvisse obsidionem, reddidisse predam, redintegrato de-

mum federe abiisse. At Sithalcus rex non multo post tempore vio- 82
lati memor federis, ut Gothorum iniurias ulcisceretur, C et L milia
hominum adversus eum coegit, cui Alexander moriens Athenien-
sium prefecturam delegarat, in quo quidem bello, cum superiores
evasissent, pro acceptis in Mysia iniuriis universam fere Macedo-
niam devastarunt.

Eodem etiam, quo Sylla rerum potitus est, tempore Deceneus 83
in Geticum regnum imperante Byrebista forte pervenit, cuius ubi sa-
pientia patuit, regia fere potestas a rege tradita est. Quod ubi factum 84
est, ut in Germaniam expeditio pararetur, quam nunc Francor' am
dicunt, repente consuluit totamque regionem incursantes Gothi spo-
liarunt. Eos igitur Deceneus barbaria optimis ac liberalibus disci- 85
plinis excoluit, convertit ad politicos mores, legibus obtemperare
docuit, quas Belagines nuncupant, item cursus siderum, planetarum
motus et totius denique celi rationem, ad hec naturas rerum, deo-
rum religionem et sollemnes cerimonias ostendit. Post hunc Como- 86
sicum pari sollertia virum sortiti sunt, qui iustissime regnum pari-
ter et pontificatum gessit. Deinde Corillus in regno successit, qui
quadraginta circiter annis imperavit. Post longum temporis inter- 87
vallum imperante Domitiano soluto federe Danubii ripam diu a po-
pulo Romano possessam et a iuniore Gordiano ad Danubium festi-
nantibus levi prelio fusi et repressi, cui quidem provincie Oppius
Sabinus preerat delectis legionibus, occuparant. Oppio legionum pre- 88
fecto caput abscisum, multe urbes et oppida igni ferroque vastata.
Hec omnia Dorpaneo rege gesta. Domitianum necessitas adegit, ut 89
reipublice consulere, pararet expeditionem et delectum haberet; Fu-
scum exercitui prefecit; cum in Illyricum venisset, e consertis navi-
bus Istrum confecto ponte traiecit, mox cum hostibus manum haud
prosperè conseruit, nam interfecto duce Romane copie non modo
castris exute, sed fuse fugateque sunt et cedes magna patrata. Ulpius 90
Traianus deinde successit, qui iacturam et iniuriam imperii Romani
cumulatissime ultus est, nam Decebalum variis cum ipso insidiis
agentem et Longino prefecto legionis capto elatum, qui, ut se a cap-
tivitatis servitute vindicaret, veneno sibi mortem conscivit, duplici
victoria superavit, regem ad mortem compulit, thesauros eius ingen-
tes recepit, pontem in Istro edificavit ab Hadriano deinde demoli-
tum, ne a Dacis Mysie infestarentur, pilis XX suffultum, quarum
altitudo, ut Dion auctor est, C et L pedum preter fundamenta, lati-
tudo vero pedum LX. Daciam denique in provinciam redegit; pon- 91
tis adhuc superstites pile e quadrato lapide cernuntur. Deinde Gothi
ab Antonino Caracalla tumultuariis preliis superati. Barbari victoria
elati suos proceres anses, id est heroas et semideos, exclamabant.
Eorum prosapia si brevissime referatur, haud inutile reputamus.

Et his primus, ut eorum fabule recinunt, Gaptus fuit, cui Hul- 92
mul fuit filius. Hulmul Augem, qui Amalum genuit, unde Amalorum
origo promanavit. Amalus genuit Hisarnem et Hisarnes Ostrogo- 93
tham, Ostrogotha Hunuilem et Hunuil Athalem, Athal Achulphum et
Oduulphum, Achulphus Ansilam, Ediuulphum, Vultulphum et Her-

menerigem, Vultulphus Valaravantem, Valaravans Vinitharium, Vini-
tharius Vandiliarum, Vandiliarus Thiudemerem, Valamirem et Vidi-
mirem, Thiudemer Theodoricum, Theodoricus Amalasuentam, Amala-
suenta ex Eutharicho suo viro Athalarichum et Mathesuentam,
cuius affinitas talis est: Hermanarichus Achiulphi filius Hunimundum genuit, Hunimundus Thorismundum, Thorismundus Berimundum, Berimundus Veterichum, Veterichus Eutharichum, qui Amalasuente coniugatus Athalarichum et Mathesuentam edidit; Athalarichus a pueritia extinctus est; Mathesuenta Vitigem virum duxit, liberis caruit. Ruente Gothorum imperio a Bellisario Constantinopolim ambo captivorum more ducti sunt. Vitigis diem continuo obiit; uxorem Germanus patricius Iustiniani imperatoris patruelis Mathesuentam sibi uxorem sumpsit patriciamque creavit, ex qua Germanum filium unicum tulit. Sed de Amalorum excidio inferium diseretur; nunc diverticulum repetatur Gothorum.

Pars Ponti oram tenuerunt, que ad orientem spectat, quibus vel ab Ostrogotha prefecto vel ab oriente nomen est inditum; contra qui occidentis plagam occuparunt, Visigothe propria lingua nuncupati, Traiecto nanque Danubio Mysias, Thraciam, Pannonias et non parvam Illyrici partem diu tenere. Ex his Maximinum imperatorem Symmachus promanasse tradit et mortuo Alexandro Mamee filio ab exercitu Cesarem pronunciatum, item humilibus hunc parentibus natum patre Gothico, cui Micca, matre Alana, cui Ababa nomen fuit, fuisse natum; Severo imperante, cum militares ludi natali filii die celebrarentur, eum sui roboris conscium convenisse, cum in palestre certamen descendisset, nimia corporis proceritate spectatores omnes in admirationem sui convertisse data cum lixis certandi copia, ne militum forte nomen dehonestaret, sexdecim subinde lixas tanta felicitate prostrasse, ut singulari certamine ceteros facile victuros esse videretur; proinde inter tirones admissum ac tribuno militari ab imperatore commendatum procedente imperatore et concitatus equitante hunc pedibus aliquamdiu precurrisse, mox cum validissimis militibus imperatoris iussu fuisse collectatum eosque facile superasse, quare aureo torque amplissimisque premiis ab eo donatum inter pretorianos milites admissum fuisse. Iordanis Symmachum pro viribus extorquet, ut Romano imperio Gothum honestet. Herodianus autem historicus non magis apud Grecos, quam Latinos auctoritate sua prepollens, quem divo Mathie e Greco traduximus, hunc Gothicum non affirmat, sed Maximinum inquit quendam in Alexandri fuisse castris, ex intimo Thracum genere ac semibarbaro vico natum, educatum a principio inter pastores, pre magnitudine roboreque corporis a iuventutis initio inter equestrem ordinem admissum, paulo post tempore fortuna duce usque adeo singulos militie ordines percurrens, ut et castra curaret et permissas sibi provincias cum imperio gereret; ab Alexandro omnibus tironibus instruendis fuisse prefectum, quare ita militum tradita militari disciplina sibi conciliasse animos, ut ab omnibus unice diligeretur et a Peonibus presertim, qui virtute eius amore patrie maxime gloriari

videbantur; cum in campum tanquam ad solita gymnasia convenissent, advenientem Maximinum omnes iniecta imperatoria purpura imperatorem salutasse; hunc a principio reluctantem eos graviter incusasse, reiecisse purpuram, mox ab armatis equitibus adactum, qui mortem, nisi delatum imperium acciperet, interminabantur; deinde omnes iussisse, arma sumerent, Alexandrum huiusce novitatis ignarum adorirentur et obtruncarent ac ita pretorianas cohortes metu percellerent. Quod ubi factum est, in Germanos expeditionem paravit; non repugnantes ac vicatim habitantes commoditate sylvarum ferro ignique vastavit. Dum barbara in Christianos crudelitate ac severitate imperium sibi firmare contendit, a Pupieno Aquileie interfectus est vix annis tribus rerum potitus. Hec Herodianus noster. Maximinum tamen neque Getam neque Gothum affirmat, somnianti igitur lordani et in honorem patrie gentis coniecturas verisimiles undique mendicanti hec etiam concedamus, affectus enim patrie facilem ab omnibus veniam promeretur.

Philippo etiam una cum filio imperante, qui primus Romanorum principum se in Christianam fidem asseruit, cuius imperium millesimum condite urbis annum clausit, Gothi a fide populi Romani defecere, dum subtracta sibi stipendia egre ferunt. Ostrogotha duce Istrum traiciunt, Mysias Thraciamque discurrunt, preda abigunt, omnia vastant. Ad hos coercendos Decius senator mittitur, qui Budalie inferioris Pannonie natus Pannonicas cohortes exactorat, quippe que negligentia sua hostes flumen traiecisse permiserant. At ille cum ignominia dimisse ad Gothos perfugiunt, eorum principem incendunt, ut spirantem fortunam forti animo prosequatur. Hic ex trecentis milibus hominum exercitum comparavit, item auxiliares copias ex Taiphalis, Astringis et Carpatibus accepit bellicosum quidem genus hominum ac Romano nomini semper infestum et à Galerio Maximiano perdomitum. Adiunxit etiam Peucinos insulares quidem viros ac bello asperos, duces his optimos Argaithum et Guntherichum ex Gothis prefecit; ii Mysias populantur, Marcianopolim obsident, que expensa ingenti pecunia se ab obsidione redemit. Urbs hec Mysie nobilissima quondam a Traiano imperatore condita. Marciam Traiani sororem ad fluvium fontem, qui in eo oppido emergebat, puellam misisse ferunt, ut perspicuam dulcemque aquam aureo vase hauriret; vas forte delapsum, in alto fonte demersum attigisse fundum, mox preter auri naturam succurrente quodam nympharum numine emersisse; imperatorem hoc miraculo percitum urbem ibi amplissimam fundasse et a sorore appellasse Marciam. Philippus revocatis viribus Mysias et Thraciam recuperavit, Philippopolim a se nominatam urbem in sue vicerie monumentum in Thracia statuit, sub cuius imperio agon mille annorum actus, innumerabiles bestie in Circo Maximo interfecte, ludi theatrales in Campo Martio tribus diebus ac noctibus pervigilante populo celebrati.

Post hec Gepidarum ac Gothorum bella successere, quanquam aliqua cognatione tenebantur. Sola tamen invidia bellum suscitavit

intestinum. Cum e mediterraneis insule Scandie tribus vecti na-
 vibus Gothi Berigo rege Sarmaticum litus attigissent, tertia navis
 tardius applicuit et a pigrizia, que horum lingua gepanta dicitur,
 Gepidarum nomen accepit; ii ad insulam Vistule amnis diu commorati
 eam Gepidam appellarunt. Deinde, cum Sarmatie intima penetras- 114
 sent, ad Danubium usque descenderunt et regem magnanimum sor-
 titi, cui Fastide nomen erat, exuta mansuetudine armorum amore
 succendi ceperunt, patrios fines armis propagarunt, Burgundiones
 ad internecionem usque fere deleverunt, mox Gothos sibi cognatos
 adorti bello lacessere, sollicitare quandoque incursionibus, abigere
 pecora, vicos sepe populari. Demum ad Ostrogotham Visigotharum 115
 Ostrogotharumque adhuc regem legatos mittere et commonefacere
 Gepidarum populum nimia fecunditate usque adeo coaluisse, ut intra
 fines proprios vivere nequeant, item montibus et sylvarum sterilitate
 circumventum omnium rerum inopia laborare, proinde hortari, co-
 gnate genti prospiciat, latiore regionem concedat, quod ni fecerit,
 interminari se vi fines angustissimos amplificaturos. Ostrogotha re- 116
 spondet se pari quoque terrarum angustia laborare neque sibi esse,
 quod largiri queat; bellum cum proximo sanguine geri perquam ne-
 farium; si quid sibi contra fas et equum inferatur, se vim vi nature
 iure repulsurum. Fastida, cum pertinacius in sententia persisteret, 117
 cum Gothis prelium conserere pergit. Ad Galtim denique oppidum
 pugnatum est, quod fluvius Aluta preterfluit, ubi, cum aliquamdiu
 pari spe utrinque pugnatum esset, Gepidarum tandem acies incli-
 nantur. Fastida terga vertente prelium direptum est. Gothi victoria 118
 contenti confestim se in castra receperunt et, donec Ostrogotha rex
 imperavit, quietem deinceps conservarunt. Fastida cum Gepidis dam-
 nata temeritate sua quietiorem mitioremque posthac vitam duxit.
 Ostrogothe in tergo Cniva successit, qui deposita tranquillitate Go- 119
 thorum animos ad bella revocavit. Mysias traiecto Danubio iterum
 aggredi statuit, ingentes copias iam coactas dividit, ut alteras in po-
 pulandam Mysiam traiceret, quam imperatorum negligentia legi-
 onum Romanarum stationibus destitutam intelligebat, alteras LXX
 circiter milium hominum ad Escum subduceret. Sed, cum res mi- 120
 nus ipsa succederet, a Gallo duce reiectus Nicopolim pervenit, quam
 Traianus quondam perdomitis Sarmatis in victorie monumentum
 edificarat, item in Thracia iuxta Nessum flumen Nicopolim alteram
 et intra Hebrum et Nigrum amnem Traianopolim, similiter Hadri-
 anopolim Hadrianus et sub Rhodope Philippopolim Philippus. Ex 121
 hac etiam parte, cum a Decio Cniva reiectus esset, in Hemum re-
 cessit, post hec Philippopolim aggreditur. Quod ubi Decio signi-
 ficatum est, Beream cum legionibus continuo petiit, ut urbi ferat auxi-
 lium, ubi, dum lassa corpora curant equosque refovent, ecce Gothi
 incautas copias adoriuntur; repentino metu perculse, quid agerent,
 prospicere non poterant, immo arma sumendi copia non dabatur.
 Quare diffuso fugatoque exercitu vix cum paucis equitibus Decius 122
 evadere potuit. In Escum rursus trans Alpes et in Mysiam se re-
 cepit, ibi una cum Gallo duce, ne animo deficere videretur, exer-

citum reparat. Interea Cniva obsessam Philippopolim omni ope desti- 124
 tutam capit et populatur; ingens hinc abacta preda. Et Priscus, qui
 urbem cum presidio tenebat, inventus in hostium potestatem perve-
 nit; hunc vita amplissimisque muneribus donatum rex sibi mirifice
 conciliavit, ut cum eo Decium tutius iterum aggredere- 125
 tur. Instauratis pariter exercitibus concitatis animis utrinque concurrunt. Inter
 primos imperatoris filius Decius acerrime pugnans letali sagitte vul-
 nere saucius occidit. Pater dissimulato dolore nihil iacture unius 126
 militis interitu rempublicam habituram exclamans se inter confer-
 tissimos hostes ingerit, ut vel filii mortem ulciscatur vel, si id asse-
 qui nequeat, propria dolorem morte definiat, sed, cum utrunque fata
 negassent, Abrytum Mysie urbem se recipit, ubi una cum filio ab
 hostibus circumseptus occiditur. Locus deinde Decii imperatoris Ara 127
 dictus, quando profanis ibi numinibus litare consueverat, ac ne im-
 merito quidem, quando in Christianos immanissime seviit, divum
 Laurentium lento igni, ut martyrem maiori supplicio afficeret, ab-
 sumpsit. Eodem quoque tempore amphitheatrum Rome incensum.
 Cum post Decium Gallus et Volusianus imperium suscepissent, ecce 128
 Emilianus quidam Mysie prefectus potiundi spe imperii tractus bel-
 lum in Illyrico suscitatur. Imperatores adversus eum profecti in Foro
 Flaminii cesi sunt, alii Interamne perierunt. Emilianus tertio mense 129
 inite tyrannidis diem obiit. Iordanis Gallum et Volusianum, ut Emi-
 lianum facilius opprimerent, cum Gothis fedus inivisse scribit ac bien-
 nio reipublice prefuisse. Non modo Gothorum, sed cetorum quoque 130
 barbarorum Valeriani et Gallieni temporibus res aucte sunt,
 quorum alter in Retia ab exercitu Augustus, Rome Cesar alter ap-
 pellatus est. Cum Valerianus Christianos persequi coepisset, divi- 131
 nam in se iram suscitavit, quando a Sapore Persarum rege captus
 captivam denique senectulem et perquam miserabilem apud hostem
 duxit. Deleto imperatoris exercitu Perse Syriam, Ciliciam Cappado-
 ciamque populantur. Gallienus se longe mitiorem Christianis ex- 132
 hibuit, sed, remollitus cum in omnem lasciviam prorupisset, Ger-
 mani resumtis animis Ravennam usque discursant. Alemanni va-
 statis Galliis in Italiam penetrant. Quadi et Sarmate Pannonias occu- 133
 pant. Germani occupatis Hispaniis Tarraconem expugnant. Parthi
 Mesopotamia potiti per Syriam late grassantur. Gothi Greciam, Ma-
 cedoniam, Pontum et Asiam spoliunt. Nam Respa, Veduco et Tha- 134
 ruaro duce traiecto Hellesponto multas Asie civitates invadunt ac
 hostili more diripiunt, capiunt Ephesum, ubi clarissimum Diane
 templum ab Amazonibus conditum incendunt. Mox Bithyniam in- 135
 gressi Calchedonem eruunt a Cornelio Avito instauratam. Dum
 Europam per Hellespontum repetunt, reparatum delent Ilium et, ubi
 in Thraciam revecti sunt, Anchialon urbem ad radices Hemi in mari-
 tima regione sitam, cuius conditorem Sardanapalum quendam Par-
 thorum regem fuisse ferunt, populantur, igni ac ferro usquequaque
 deseviunt non secus, ac si ad humanam perniciem nati forent. Ibi 136
 calidis aquis allecti ad decimum usque lapidem ab urbe distantibus
 defatigata corpora diebus aliquot instaurant, cum ad curandos mor-

bos nimium conferre viderentur. At ceterorum barbarorum res ali- 37
 quantum declinate. Odenathus enim decurio Palmyrenus collecta 1
 agrestium manu ita Persarum copias profligavit, ut non procul a
 Ctesiphonte castra poneret. Postumus una cum Victorino et Tetrico
 Gallias, antequam Gallienus Mediolani occideretur, armis ab hostili
 servitute vendicavit. Gothi, qui Achaiam infestarunt, a Marciano victi 138
 se in patrias sedes continuo recepere, qui vero Asiam sollicitarunt,
 Romanorum ducum virtute reiecti et ne parva quidem clade con-
 facti in patriam redierunt. Dum Odenathus bello Persico remoratur 139
 et Gallienus varia luxuria enervatur, Gothi comparatis navibus Hera-
 cliam pervenerunt et avecta preda non sine magna suorum iactura,
 cum sepe navali bello peterentur, in Scythiam revertuntur. Item, 140
 Palmyrenis et orientalibus plerisque dum Zenobia Odenathi uxor
 imperat, Gothi per Euxinum mare vecti Istrum subeunt magnisque
 calamitatibus populi Romani provinciam afficiunt. Que ubi Gallieno 141
 significata sunt, Cleodamum et Atheneum concives Byzantios con-
 tinuo misit, qui barbaros repellerent, urbes dirutas instaurarent, su-
 perstitēs communirent. Ii, cum Gothorum classe in Ponto congressi
 eam superant et in fugam vertunt, fusi paulo post Cyzicum, Asiam,
 deinceps Achaiam vastant. Ab Atheniensibus Dexippo duce, qui hec 142
 tempora scripsit, reiciuntur; inde reiecti Epirum, Achaiam Beotiam-
 que discursant. Gallienus tot publicis malis experrectus his, dum 143
 per Illyricum vagantur, occurrit, cedit improviso multos, at illi
 per Gessacem facta via fugere conati sunt, sed a Marciano, ut pa-
 triam Gallieni turpissima lascivia liberaret, varia bellorum fortuna
 vexati.

Illud in Iordane nostro alioquin scriptore non ignobili admi- 144
 ratione dignum, ne risu dixerim, considerandum esse duximus, qui
 tanto patrie laboravit affectu, ut non modo ceterorum Scytharum
 gesta Gothis dumtaxat suis adscribat et plus equo amplificet et
 exornet, verum etiam omnes eorum res aut male gestas aut parum
 prospere succedentes quandoque subtereat, quandoque pudentiu-
 scule invertat. Non solum, que dudum dicta sunt, ipse dimisit, 145
 sed, ne suorum Gothorum maiestatem ledere videretur, memora-
 bilem per cuncta secula eorum laudem a Claudio imperatore illatam,
 unde Constantinus Cesar duxit originem, non sine ridiculo quodam
 occulte preterisse visus est. Nos autem Trebellii Pollionis sen- 146
 tentia freti Flavium Claudium unicum in terris principem non sta-
 tuis neque columnis marmoreisque arcubus, sed, ne tantum virum
 digna laude defraudaremus, hac dumtaxat brevi commemoratione
 duximus adiuvandum.

Dum Marcianus fusos Gothos insequitur, ut paulo supra dictum 147
 est, XXX ex his cepit, qui, cum invito Claudio evasissent, uni-
 versos fere Scythas in Romani imperii predas suscitaverunt. Ad hanc 148
 expeditionem Peucini, Trutungii, Ostrogothe, Virtingui, Sigipedes,
 Celte, Heruli innumerique populi predarum cupiditate allekti conve-
 nere. Dum variis Claudium bellis implicitum conspiciantur, popu-
 lande Romane reipublice consilium ineunt. Trecentorum hominum 149

miliū exercitū comparant, classem vero longarū navium duum circiter miliū. Quodsi servos, familias carraginēque, ut aiunt, adieceris, epota Xerxis exemplo flumina, consumptas quoque sylvas ac terram denique in pascenda multitudine laborasse credideris. In Romanum ubi imperium eruperunt, brevi tempore a Claudio non modo victi, sed attriti et deleti sunt, quod ex ipsa imperatoris epistola ad Iunium Brocchum, qui Illyricum tuebatur, scripta facile intelligi potest: Claudius Broccho salutem. Delevimus CCCXX milia Gothorum, mersimus duo milia navium, tecta sunt flumina scutis, spathis et lanceolis omnia litora operiuntur, campi ossibus tecti latent, nullum iter purum est, ingens carrago deserta. Tantum mulierum cepimus, ut binas et ternas mulieres sibi miles possit adiungere. Ac subdit: Pugnatum est enim apud Mysos et apud Marcianopolim multa prelia fuerunt, multi naufragio perierunt, plerique capti reges, capte diversarum gentium nobiles femine, implete barbaris, servis senibusque cultoribus Romane provincie, factus miles barbarus colonus e Gotho. Nec ulla fuit regio, que Gothum servum triumphali quodam servitio non haberet. Pugnatum preterea apud Byzantium, pugnatum apud Thessalonicenses, quos Claudio absente obsederant barbari, pugnatum in diversis regionibus. Et ubique auspiciis Claudianis victi sunt Gothi, ut iam tunc Constantino Cesari futuro videretur Claudius securam parere rempublicam. Cum in Appennino Claudius de se consulere, responsum accepit: Tertia dum Latio regnantem viderit estas. Idem, cum de posteris: His ego nec metas rerum nec tempora ponam. Cum de fratre Quintillo, quem imperii consortem habere voluit: Ostendent terris hunc tantum fata. Demum, cum in ipsa victoria duo prope milia militum a paucis, qui superfuerant, barbaris cederentur, ad unum omnes, qui rebellaverant, ab eo capti Romamque ducti ac in spectaculis immanibus bestiis expositi.

Quare Gothicum bellum divi huiusce principis virtute antiquatum et de Gothis non solum victoria habita, sed cumulatissima est exacta vindicta. In hoc bello ingens Dalmatarum equitum virtus apparuit, quia ex ea provincia Claudius originem ducere videbatur. Neque ii desunt, qui hunc Dardanum et a Dardano Troiane gentis auctore sanguinem traxisse contendunt. A principio totum Illyricum cum imperio habuit, sub cuius potestate Thraces, Mysi, Dalmate, Pannonii ac Daci fuere. Postremo, cum Gothi, qui superfuerant, paulo post a Romanis defecissent ac Nicopolim occupassent, tumultuario provinciarum exercitu obriti et deleti sunt. Cum igitur Claudii victoria de Gothis relata cetera veterum tropea quam maxime superasset, Iordanis historicus inauditam sue gentis cladem et exitium equo animo referre non potuit. Claudius autem, cum anno uno mensibusque novem imperasset, ab omnibus preterquam a Gothis sempiterna memoria repetendus ob rempublicam bene gestam clypeo in curia aureo, aurea quoque statua in Capitolio donatus Syrmii moritur. Quintillus vero frater Augustus a senatu populoque Romano appellatus septimodecimo post die

imperii sui, cum se gravem et severum militibus ostenderet, Galbe ac Pertinacis exemplo facinorosissime cesus est.

Aureliano imperatore Gothi iterum resumptis armis Danubium 163
traicere pergunt, sed ab eo repressi desideratis quinque milibus
suorum in proprium solum rediere. Decem in eo prelio mulieres 164
capte virili habitu pugnant, que ex Amazonibus originem ducere
credebantur. Item post annos XXX revocatis viribus Sarmatiam 165
provinciam populi Romani multis copiis adoriuntur, igni ferroque
omnia vastant, quod ubi Flavius Constantinus accepit, non minore
quam Claudius strage superavit. Ictum deinde cum his fedus et 166
in patrio solo annos circiter LXX quievit. Iordanis auctor est
Maximianum Gothorum auxiliis adiutum Narseum Persarum regem
et Saporis Magni nepotem fudisse, eius uxores, liberos et impedi-
menta cepisse, auxiliares quoque copias adversus Licinium Con-
stantino misisse Thessaloniceque obsessum trucidasse. Eo tem- 167
pore, quo Byzantium Constantinus ita amplificare statuerat, ut cum
urbe Roma magnitudine et dignitate certaret, initum cum Gothis
fuisse fedus eosque quadraginta milia hominum imperatori quot-
annis detulisse.

At, ubi Maximianus rerum potitus est, post Ariarichum et Aori- 168
chum Geberichus nobili genere natus apud Gothos regnum sortitur,
cui virtus ut generositas iuxta inerat. Ut fortunam in re bellica 169
primum experiatur, parande in Vandalos expeditionis consilium
init, que si successerit, maiora se tentaturum sperat. Gens hec, ut 170
Dexippus ait, ab Oceano prodiit, vix uno anno ad Gothorum fines
pervenire potuit, eam sibi regionem occupavit, quam post Gepide
incoluere, cui a solis exortu Gothi, ab occasu Marcomanni, a sep-
tentrione Hermundoli, a meridie preterlabitur Ister. Cum instructe 171
in Massilie ripa acies utrinque constitissent, dato signo manum
conserunt, concitatissimis prelium animis aliquantisper geritur. Mox
Geberichus Vandalorum regem adoritur et obruncat opimaque
spolia refert. Vandali infaustas sedes optasse rati hinc emigrare 172
decernunt, a Constantino incolendam Pannoniam impetrant; dum
grata se Romanis provinciis obsequia prestituros esse pollicentur,
annos circiter LX hic habitant. Deinde sub Stilicone magistro 173
equitum consulari patricioque viro in Gallias transmigrarunt, ubi
cum finitimos male tractarent assiduisque rapinis late vexarent,
quietas ibi sedes habere nequiverunt. Ex his Burgundiones olim 174
promanasse volunt Plinii auctoritate freti Vandalorum partem Bur-
gundiones esse affirmantis; cum vicatim in Germania habitarent,
a vicis, quos burgos dicunt, nomen accepisse credunt. Vandali re- 175
lictis Galliis in Hispanias penetrarunt neque usquam quiescere po-
tuerunt, donec traiecto Gaditano freto Africam occuparunt. Sed,
quoniam de his quandoque latius suo loco dicetur, redeamus ad
Gothos.

Post Geberichum Hermanarichus regnum accepit nobilissima 176
Amalorum familia natus neque virtute gloriaque gestorum inferior;
nam, cum Golthescythas, Thiudos, Inaunxos, Vasinabroncas ac

reliquam fere septentrionis oram in dicionem suam redegisset, Herulos quoque ceso Alarico rege domuisset, alterum Alexandrum cognominarunt. Heruli, ut Ablabius testis est, ad Meotidis paludes ac sylvas quondam habitabant, quibus ab amore sylvarum stagnantiumque locorum nomen est inditum. Mox ab Hermanaricho in Venetos bellum motum est, qui, cum inermes essent, facile cessere. Veneti autem humili genere nati, qui deinde Antes et Sclavi dicti sunt, et, cum in multitudinem maximam excrevissent, barbarica quoque feritate ubique grassati sunt, quin inter Albam et Budam Venetia est oppidum ab his conditum. Item Estis et Agazziris bellum indictum, qui Germanici productum litus Oceani accollebant; et hi brevi tempore domiti. Quare non modo Scythie, sed Germanie quoque Hermanarichus imperavit. Eius tempore inter Gothos et Unnos Ungarorum progenitores bellum exarsit, de quo, antequam ultra progrediamur, haud ab re fore duximus, si de potentissime ac fortissime gentis origine aliqua disseremus.

Hanc igitur Priscus historicus Scythicam Riphisque montibus vicinam affirmavit et, quo proprius rigorem septentrionis accedit, eo immitiorem plerique reputarunt et presertim divus noster Hieronymus, utpote qui ex ultima Meotide inter glaciale Tanaim et immanes Massagetarum populos, ubi obstructis rupibus feras Scytharum gentes Alexandri claustra coercuerant, Unnorum examina erupisse ac equorum pernecitate freta cede pariter et terrore cuncta complese scribit. Iordanis in hostes nationis sue, nescio, que monstra commentatur, que plerique scriptores annalium ita credere, ut cum eo iuxta delirent, quod non tam insolenter, quam vere a me dictum velim. Cum Gothi a Scandinavia profecti Scythiam attigissent, Philimerum eorum regem magas quasdam feminas in castris deprendisse conscribit; quod genus mulierum, cum perniciosissimum rex ille reputasset, edicto suo in solitudines abegisse, ne milites venenis inficerent aut eorum robora labefactarent, easque abactas per sylvas aliquamdiu vagatas cacodemum se amplexibus incestasse; hinc peperisse dirum genus hominum, quod non humana lingua, sed quadam locutionis imagine utebatur.

Sed Procopium historicum Grecum et Bellisarii consiliarium plane sectemur, quippe qui Unnos Ephthalitarum gentem fuisse tradit eosque Albanos quondam appellatos in Asia Persis fuisse finitimos, item usque adeo magnanimos, ut illato pro finibus bello Xerxem Persarum regem cum ingenti exercitu ad internecionem ceciderint stipendiariamque sibi Persidem fecerint, ceperint Cabadem regis filium, duobus annis Persis imperarint; neque e demonibus creatos neque humano sanguine vesci solitos neque tam immanes ac feroces fuisse scribit. Quin etiam, si Ephthalitarum nomen interpretari velimus, eos olim pios et religiosos fuisse comperiemus ac solide perfecteque litantes, quam quidem gentis religionem adhuc Ungaris, qui Unnorum sunt posterii, peculiari quadam natura pre ceteris ingenitam intuemur. Dionysius Procopio suffragatur, qui Unnos Caspianis et Albanis vicinos opinatur fero-

ciaque et robore bello accommodatissimos. Hunnor et Magor¹⁸⁶
 cuiusdam annalium scriptoris opinione Unnorum auctor fuisse tra-
 ditur, qui, cum nihil preter Hebream legerit historiam, hinc om-
 nium gentium originem hariolatur. Quare Unni bello asperrimi¹⁸⁷
 traiecta ad Cimmericum Bosporum palude Meoti non modo sedi-
 bus Gothos reiecerunt, sed universam Europe Scythiam domitarunt
 in repetitisque Pannoniis quieverunt, quas a se Ungarias appella-
 runt. Pius autem pontifex, mihi crede, doctissimus Ungaros ab Un-¹⁸⁸
 nis, quod omnes rerum scriptores affirmant, promanasse non pa-
 titur pari cum Iordane tractus affectu, qui Ungaros et Scythas pel-
 lium murinarum commercio notos fuisse scribit. Deinde sacrosanc-¹⁸⁹
 tus ille pater cuiusdam Veronensis testimonium adducit, qui, cum ad
 Tanais ortum penetrasset, gentem Ungarica lingua loquentem se
 invenisse dicebat. Divus quoque Mathias noster huiusce rei non¹⁹⁰
 ignarus, quam a Sarmaticis quibusdam mercatoribus acceperat, le-
 gatos illuc et exploratores misit, quibus cognatam gentem, si pos-
 set, in Pannoniam populis diuturno bello haud parum exhaustam
 alliceret, quod, etsi hactenus assequi nequivit, si vixerit, tamen for-
 tasse prestabit. Quare Ungaros Unnis per Asiaticam Scythiam ef-¹⁹¹
 fusis et adhuc Tanais ortum accolentibus cognatos esse creden-
 dum est, quamvis hi non ab Unnis, qui in Asia restitere, sed ab
 his, qui melioris soli cupiditate ducti in Europam erupere, proflu-
 xerint. Quin etiam Gothi non a Scandia, ut Iordanis ait, sed ab¹⁹²
 Asiatica Scythia, ubi Alanis vicini fuerant, prodire. Quod hinc¹⁹³
 coniiicere licet, quia, cum Gothi cum Alanis non modo Europicam
 Scythiam, sed Gallias et Hispanias occupassent, adhuc regionem
 Tarraconensem tenent, quam paribus victam auspiciis Gothalianam
 nuncuparunt.

Cum Unni venatione victitarent, divino quodam prodigio ad¹⁹⁴
 emigrandum adacti sunt. Nam, cum venatores aliqui Meotice palu-
 dis accole venatum forte proficiscerentur, ecce oblatam cervam of-
 fendunt, quam cum concitatus per paludem insequi cepissent, us-
 que adeo potiunde cerve desiderio tracti sunt, ut hac duce haud
 procul a Cimmerico Bosporo Meotim congelatam, ut mea fert opi-
 nio, transmiserint, at, ubi in Europica Sarmatia constitere, cerva
 disparuit. Hi prospectam regionem admirantur et probant, deinde¹⁹⁵
 in Asiam redeunt, rem suis ex ordine referunt. Unni sedes pro-
 prias abominati et soli sterilitatem populorumve multitudinem cau-
 sati cum liberis et uxoribus in Europam venatorum ductu trans-
 migrarunt. Regionem sua uberiolem inveniunt, universum paludis¹⁹⁶
 tractum occupant, mactant Victorie, quos a principio offendere; ce-
 teros domitant et in servitutem redigunt. Alanos quoque subigunt,¹⁹⁷
 qui sedes illas prius occuparant et longe mitiores esse videban-
 tur; ne finitimis quidem Gothis parcunt, in quos impensius plane
 deseviunt.

Ungarorum annales Unnos in Europam anno salutis trecente-¹⁹⁸
 simo septuagesimo tertio Valente imperante et Damaso pontifice
 maximo sedente traiecisse referunt, duces habuisse Belam Chele fi-

lium Zemeiarum familia natum, item Chevem et Cadicham eius fratres, preterea Atilam, Chemem Budamque fratres Bendecuci filios Cadarum genere natos; ad domitandam septentrionalem plagam ex centum et octo tribubus decies centena et octo milia hominum cogisse, iuridicendo Cadarem virum sapientem prefecisse; edicta dei voce et reipublice nomine precinisse; expeditionem tumultuariam et excogitatam circumlato cruento gladio pronunciatoque loco, que prestituissent, significasse; qui non obtemperassent temere, eodem 199 gladio per medium cesos, quam consuetudinem adhuc in Transylvania in Turcorum tumultu observatam vidimus; cum maximis viribus pollerent, elatis animis tanquam universum orbem pessundaturos Bessos, Ruthenos, Chumanos Albos ac Nigros cum universa Dacia et Sarmatia subegisse et tandem ad Tibiscum amnem, quem Titiam nunc appellant, castra collocasse. Hanc gentem Iordanis 200 historicus horribili specie, vultu torvo atroque, item cicatricibus quibusdam inscripto, prelata quadam feritate et audacia tradit, quia infantibus vixdum natis novacula genas secant, ut prius vulnera pati quam lactis dulcedine letari condiscant; quare obductis cicatricibus imberbes consenescent. Preterea statura nequaquam procera, 201 latis humeris, agili, expedito et robusto corpore, cervice constanti et ardua supinam quandam superbiam preferente, sagittandi equitandique peritia non mediocri ac fera quadam sevitia sub humana specie involuta.

Cum igitur Hermanarichus Gothorum rex tot gentium dominator se Unnorum bello sollicitari cognovisset, non mediocre sibi ratus 202 hinc imminere periculum eorum impetum continuo reprimendum censet, mox delectum habet ingentesque sibi copias comparat; maximos eius conatus mors inopinata subvertit. In Unnorum adventu 203 quedam mulier, que in viri nece deprehensa fuerat, capitis accersitur; homicidii convicta pariter et adulterii usque adeo regis iram facinoris indignitate succendit, ut quattuor equorum discerptu multaretur. Duo femine fuere fratres Rosomonorum perfida gente nati, 204 quorum alter Sarus, Ammius alter dictus est; hi sororii supplicii immanitate bacchantes in principem coniurant. Hermanarichum e 205 composito adoriuntur, frustra reluctantem perfosso latere interficiunt, patrata cede ad Unnos perfugiunt, ut tutius vitam tuerentur. Quare factum est, ut Balamirus Unnorum rex superandorum Ostrogotharum copiam facile nancisceretur. Visigothe audita Rosomonorum 206 perfidia, qui cum Unnis iam societatem iniverant, timentes, ne, que Ostrogothis, eadem sibi fortuna immineret, emigrandum omnino esse decernunt. Hermanarichus utriusque gentis rex centesimo et tertio decimo etatis anno letali vulnere confossus obiit. Excessu 207 regis hostes elati in orientales Gothos, quos Ostrogothas dicunt, magnis cum viribus irruunt paucisque preliis superant in potestatemque recipiunt, occidentales vero Gothi, quos Visigothas appellarunt, cognatorum exemplo perculsi desertis, que ad occasum spectant, sedibus et obstinatis ad emigrandum animis ad Istrum cum liberis uxoribusque contendunt. Ad Valentem imperatorem senioris 208

Valentiniani fratrem legatos mittunt, qui sedes incolendas exorent, perpetuum polliceantur obsequium et se non modo leges, sed orthodoxam quoque fidem Christi accepturos esse spondeant; quin etiam addant se nunquam imperata detrectaturos, petant Mysiam Thraciamque, quas, si concesserit imperator, se pro vallo fossaque munitissima adversus Unnos perpetuo futuros recipiant. Letabundus eos Valens excepit, quibus auditis, quecunque oraverant, pro animi sententia etiam insperata concessit, incolendam Mysiam Thraciamque permisit ratus Visigothas Romani imperii propugnaculum futuros. Sed res aliter, ac speraverat, accidit. Nam cis Istrum accepti barbari una cum Gepidis et Valente Ariane perfidie nimis obnoxio episcopos accipiunt Ariana quoque labe infectos, qui paucis post annis eadem tabe istos coinquinarunt. Quare non Christiani, sed Ariani Visigothe Gepideque facti, quibus Lupicinus ac Maximus pro ducibus dati, qui, quecunque his usui forent, diligentissime curarent operamque darent, ne qua inopia laborarent. Prefecimus dum mandata negligunt et magnum sibi questum in vehendis commeatibus facere student, barbari annone caritate laborant, acerbissimam cibariorum exactionem execrantur, detestantur prefectorum avaritiam, quando pro annone caritate non modo pecunias exhausserant, sed liberos et uxores pro mancipiis vendere cogentur; demum, quodcunque frumentum humano sanguine mercantur, non nisi mucidum et corruptum esset. Quod ubi nihil proficere conspiciantur, Fritigernus, Alatheus, Saphrac eorum reguli facta seditione Lupicinum et Maximum adoriuntur, quibus inexplibili avaritia trucidatis ab Romano principe defecere. Scribunt aliqui Lupicinum ad convivium Fritigernum invitasse, ut eum cum comitibus per insidias domi obruncaret, quod ut in penetralibus fieri ceptum est, Fritigernum audito pereuntium clamore e toro prosiluisse; cum insidias evasisset, suscitata multitudo Maximum cum collega ac servis obruncasse; Daciam Ripensem, item Mysias et Thraciam provincias populi Romani in suam potestatem asseruisse, imperasse tributa et gravi colonias imperio gubernasse. Que quidem omnia postquam ad Valentis aures, qui Antiochie tunc agebat, pervenere, non parum is animo consternatus habito delectu magnum exercitum comparavit, continuatis itineribus traiectaque Propontide in Thraciam contendit, at, ubi in hostium conspectu fuit, sinister, ut accidit, auspiciis pugnam conserit. Cum parum barbaris obstitisset, in fugam subinde conversus et sagitta saucius in quendam vicum, ubi incendio cum casula concrematus est, ipse confugit et quartumdecimum imperii sui annum complere non potuit. Illate in Thracia stragis causa fuit, quod Romanas legiones ab equitum presidio destitutas mox hostes circumvenere et, cum evadere nequiverissent, ad interneconem cese. Lacrimabile fuit profecto bellum perpetuumque ulciscende avaritie monumentum. Hec Damaso pontifice maximo et Valente imperante ab origine mundi anno octogesimo uno supra tria milia gesta sunt.

Iniqua profecto tempora illa sunt habita, cum terremotu uni-

versus orbis ita concussa subsiluerit, ut maria superatis litoribus multas Sicilie aliarumque insularum urbes populosque innumerabiles obruerint. Constantinopoli tanta e celo tempestas, ut decidentis magnitudo grandinis multos interfecerit; apud Atrebatas lana e celo imbribus admixta defluxit. Nicea terremotu iterum diruta; in Phrygia fames inaudita. Athanaricus Gothorum rex, dum Christianos insectatur, multos ultimo supplicio affecit, quamplurimos propriis sedibus eiecit. Paulo ante Sarmate Pannonias vastaverant. Valens, cum ab Eudoxio Arianorum episcopo falsa fide fuerit initiatus, multos e Nitrie monachis per tribunos et milites cedi imperavit, quin etiam legem promulgavit, ut monachos militiam detrectantes cuique fustibus cedere liceret. Pari efferitate Theodosius Theodosii nondum imperatoris pater cum magna nobilium manu obruncatus.

Visigothe victorie insolentia elati fortune dexteritatem prosequuntur eo audacie iam evecti, ut Constantinopolim obsidere contendant. Sed Dominica Valentis uxor labantes et fere consternatos civium animos conspicata precibus hortationibusque confirmat, populum multa erogata pecunia sibi conciliat, urbem denique prudentia virtuteque conservat. Gratianus Valentis nepos, cui Occidentis imperium delegatum fuerat, ubi rerum potitus est, ut Romane reipublice consulere, Theodosium ingenti virtute ac sapientia virum ex Hispania accersi iubet eumque consortem imperii declarat, quando tante rerum amplitudini imminentiumque periculorum magnitudini solus sat esse non poterat. Accitus Theodosius paucis post mensibus affuit, Syrmii purpureum paludamentum induit. Inito imperio coactoque exercitu cum barbaris ipse congressus haud difficulter fudit fugavitque, superiorem Mysiam recuperavit, redeuntes hostes pluribus ac magnis cladibus affecit, queque summi principis officia cum dignitate complevit, demum recepta inferiore Mysia, Thracia Daciaque Ripensi icto cum Athanarico Visigotharum rege iam federe, ne diuturno bello Romanas legiones ad interitum redigeret, victor Constantinopolim se recepit. Ablabius percussus federis causam Theodosii morbum, in quem inciderat, fuisse scribit idque a Theodosio collega, qui paucis post diebus bene convaluit, confirmatum. Pacatis rebus Athanaricus Byzantium inite societatis gratia imperatorum litteris invitatus advenit, qui honorifice exceptus quotidiano lustrande urbis desiderio expleri non poterat; spectabat circum hippodromum et theatra, item templa, portus ac fora, distrahebatur edium magnificentia, basilicam cum regia curiaque admirabatur, obeliscos et colossos stupidus intuebatur, imagines ambibat et pulchritudine urbis abactis curis omnibus animum relaxabat, deinde gravi morbo correptus tertio, quo venerat, mense vita decessit. Theodosius autem societatis iure magnifico hunc funere honestavit, cum magna quoque pompa ad rogam usque secutus cumulatissime amico iusta persolvit, funebres ludos in eius honorem edidit et tantum pietatis Visigothis ostendit, ut mirifice barbarorum animos sibi conciliarit. Illi nanque rege iam orbati ductu auspiciisque Theodosii principis ultro postea militarunt.

Dum hec in Thracia geruntur, Unni, qui Europam traiecerant²³⁰ Ostrogothasque domuerant, imperium propagare pergunt. Quicquid intra Tanaim ac Tauricam Cherronesum est, in suam dicionem redigunt; Tanaite, Roxolani, Alani, Caryones, Hamaxobii, Budini, Sturni, Vibiones, Acibi, item Navari, Sarmate et Venedici ab his leges accipiebant; Gevini, Chuni, Basterne et cum Peucinis Carpiani magno pacem stipendio mercabantur. A Ponto, Meoti Tanai-²³¹ que Unni ad Danubium usque et ad Germaniam Sarmaticumque sinum omnia cede et terrore compleverant, muniverant regnum seivumque imperium usquequaque gerebant; Gothos tamen a tergo infestare nunquam desinebant. Cum Gratianus Theodosio Orientis²³² imperium tradidisset, ipse vero sibi Occidentis optasset et cum in Britannia militari seditione maximus imperator declaratus esset, traiecto in Gallias confestim exercitu Merobaudis magistri militum proditione ad Parisium superatus est, qui, cum Lugdunum confugisset, ibi captus est et cesus. Quare Theodosius festinatis iti-²³³ neribus Gallias profectus, ut college mortem ulcisceretur, ex Gothis decem hominum milia cum suis copiis secum duxit. Inito adversus Arbogastem Eugeniumque prelio, quod civile dici poterat, decem Gothorum milia, qui pugnam inivere, inimicorum impetu primo congressu cesa sunt non sine magna Romani imperii utilitate. Mutata subinde fortuna, cum legiones eius prelium consensuissent, imperatori victoriam compararunt. Theodosius rediens²³⁴ Mediolani, cum Arcadio et Honorio filiis imperium delegasset, in tempestivo fato preventus occubuit.

Stilico deinde Honorii e duplici filiarum matrimonio socer e²³⁵ Vandalicorum gente natus tantum sibi auctoritatis vendicavit, ut inter primos haberetur, quin etiam in Occidente rempublicam gerebat. Cum esset imperandi cupidus, imperatores, quibuscunque rebus²³⁶ poterat, facile involvebat sperans, ubi difficultate bellorum eos obruerit, facile se Eucherio filio imperium paraturum; augebant sibi animum Vandalorum, Burgundionum, item Suevorum et Alannorum auxilia, quibus fretus, si ferocissimos Visigothorum animos in principes Romanorum irritasset, sperabat se a Visigothis Italiam facile vendicaturum. Quare, ut sperata prosequeretur, Visigothis²³⁷ statuta stipendia eripit, annonam et donativa aufert, fame non modo ad defectionem, sed ad indicendum crudele bellum provocat, quod imperii Romani futurum erat exitium. Hec omnia Stilicone²³⁸ Aurelianoque consulibus anno salutis septimo supra quadringentesimum agitantur. Visigothe a Stilicone male tractati non modo mil-²³⁹ itiam detrectant, verum etiam immanissimum quenque furorem in Romanum imperium concipiunt, proinde annua stipe commeatuque defraudati relicta Thracia in Pannonias erumpunt. Ibi regem, quo²⁴⁰ annis quinque ac XX caruerant, cum a prefectis ab imperatore creatis hactenus regerentur, Alaricum prestanti Balthorum familia natum declarant, cui post Amalos inter Gothos erat secunda nobilitas. (Baltha nanque lingua Gothica significat audaciam.) Per Syrmium²⁴¹ iter faciunt in Illyricum: Radagaisus quorundam Gothorum

rex cum CC hominum milibus se his socium comitemque prebet. Antequam abeant, Thraciam, Mysias, Pannonias, item Noricum et Illyricum igni ferroque vastant, cuncta diripiunt, cedibus omnia complent, urbes diruunt, quin etiam, ut divus Hieronymus inquit, iram quoque domini animalia bruta sensere; incensa oppida cum vicis, homines cum mulieribus passim cesi, quin et immaturi fetus ex uteris parentum execti, infantes parietibus illisi, neque etati neque religioni pepercere. Quid plura? Omnia preter celum et terram et preter crescentes vepres continuatâsque sylvas periire. Radagaisus prior Italiam ingressus superatis Appenninis in Fesulanum montem quattuor et XX stadiis ab urbe Florentia remotum cum universis suis copiis se recepit, ubi a Romanis legionibus circumventus neque minus consilii quam cibi compos, dum salutem fuga querit, a Romanis obruncatur. Eius exercitus extrema fame confectus in Romanorum potestatem facta deditioe pervenit, quare tanta captivorum copia facta est, ut singuli singulis Gothi aureis pecorum more venderentur. Orosius Unnos in Italiam accitos Romanis adversus Radagaisum auxilia tulisse scribit; refert enim Uldin et Sarum Unnorum et Gothorum duces, qui Honorii partes sectabantur, Radagaiso apud Fesulas primum occurrisse eorumque obsidione fame olim absumptum fuisse cesum.

Post Radagaisum Alaricus cum Visigothis in Italiam penetravit, Ravennam ad tertium usque lapidem pervenit, ubi imperatorem Honorium esse intelligebat, ad eum legatos propere mittit, quibus hec mandata dat, ut sedes in Italia ab eo postulent, quas si impetrarint, ipsum cum Italis quiete amiceque victurum polliceantur; si repulsam patiantur, omnino tentaturum, Romanine an Gothi Italiam possidere debeant; equum ad hec iudicem Martem fore significant. Legati, ut Iordanis ait, hec referunt Honorium utranque condicionem denegasse, sed Gallias Hispaniasque provincias populi Romani, quas Vandali Geiserico rege vastabant, si eos eiicere auderent, tanquam proprias patriasque sedes Visigothis concessurum; quod barbari abnuere noluerunt. Dum hec aguntur, Stilico imperandi cupidissimus, ubi suos Vindelicos cum Burgundionibus, Suevis et Alanis a ripa Rheni Gallias infestare accepisset Visigothasque intrasse Italiam eorumque regem Classense oppidum in Claudiano agro obsedissee cognovit, ratus non ultra differendum coacta e Thracia non mediocri legionum multitudine per Macedoniam et Illyricum ac Noricos in Italiam properat, preter Aquileiam et Altinum item per Venetiam et Ravennatem agrum iter facit. Quod ubi Alaricus intellexit, soluta Classensis oppidi obsidione in proximos Appennini colles ad Pollentiam vicum duobus et XX milibus passuum a Ravenna remotam cum universo exercitu se recepit. Stilico militaris artis peritissimus in Alaricum prodit, frequentibus preliis afficit. Cum sepe vincere posset, non expugnat; ut bellum protrahat, tres circiter annos eum ludificatur. Ita imperatoris et barbarorum extenuatis viribus se facile imperium invasurum esse confidit. Alaricus Honorium litteris commonefacit de astu ac mente Stiliconis, quippe qui, ut utrius-

que vires enervet seque demum tyrannum statuatur, cum sepe vincere potuisset, noluisse, quandoque pugnandi copiam denegasse; proinde orare, ut sedes in Gallia concedantur, unde se Vandalos eiectionum pollicetur. Ultro Honorius postulata et paulo ante promissa concessit, Stiliconi mandat, ut cum Alarico pacem ac fedus ineat, Visigothas Italia in ulteriorem Galliam educat. Indoluit Stilico Visigothas tam quiete Italia abigi et Honorium periculo liberari; quoniam modo barbaros in Italiam convertere pacemque interciperi posset, excogitat Saulem Hebreum summa perfidia peditum prefectum legionis sui consilium participem facit, ei mandat, ut abeuntes Visigothas Paschali die incautos adoriatur. Quod ubi factum est, multi improvisa formidine correpti occubuerunt. Accedebat quoque religio Visigotharum, qui sollemni die pugnare conserere verebantur, at, ubi hostes instare conspiciantur, necessitate ducti tam obfirmatis animis se convertunt, ut Hebraeos cohortes non modo funderent fugarentque, sed ad internecionem usque cederent. Stilico audita legionum strage animo consternatur, furentes in se hostes perhorrescit, ab imperatore legionum supplementa et auxiliares copias petit. Honorius non copias et auxilia, sed sicarios duos misit, qui proditorem imperii Stiliconem cum Eucherio filio trucidarent. Has igitur perfidie audacieque tyrannidis penas Stilico principi tunc exolvit.

Honorius ceso Stilicone duce exercitui Romano neminem eius loco subrogavit, quo factum est, ut bellicoso duce privatus Visigothis nunquam amplius resistere potuerit, quare eorum ita rabies exarsit, ut domita incensaque maxima Italiae parte urbem Romam obsederint, eam brevi obsidione capiunt. Capiunt itaque Romam terrarum hucusque dominam Flavio et Varrone consulibus imperiumque Romanum Kalendis Aprilis anno ab urbe condita centesimo sexagesimo quarto supra millesimum, a Christiana vero salute decimo et quadringentesimo. Sub infausto Honorii principis imperio Romana libertas Italiaque potestas extincta est. Ne multo quidem ante tempore aliorum malorum imperante Gratiano rumor advenerat Longobardos extremis Germanie finibus Oceani litore Scandiaeque insula cum innumerabili multitudine egressos novas moliri seditiones Ibore et Aione ducibus, Vandalos superasse et amplificando sibi imperio quotidie studere. Alaricus igitur urbe potitus mandat edici, ne cui Romano civi mors inferatur, ne quid iniuriarum et incendii praeter rapinas ac spolia committatur, templis debitum honor impendatur, vis nulla cuiquam tribuatur; quicumque in templa confugerint, pro illesis habeantur; inhibentur ad haec stupra, cedes et immanitas. Edicta tamen nequaquam ubique servata; Iordanis rapina tantum hostes contentos fuisse testatur, ne suae genti detrahat. Galla Placidia Theodosii filia et Honorii Arcadiique soror capta et ab Alarico pro nobilitate generis desponsata. Vasa Petri sacro ministerio comparata et magnitudine, arte auroque prestantia a quodam Visigotha subrepta regis iussu in basilicam relata. Tres dies in preda direptioneque consumpti. Alaricus mox relicta urbe per Campaniam, Lucaniam Bruttiosque discurrit; omnia populatur et

vastat. Quin et per Siciliam Africam adoriri statuit, nisi oborta tempestate, qua multe sibi naves obrute sunt, consilium mutare coeretur. In reditu rex morbo correptus Consentie moritur. Visigothe, dum gravissime eum lugent et, ne qua in eius ossa vindicta fieri possit, stolidi pietate reformidant, derivato Busento in alveo sepulcrum statuunt ibique Alaricum cum pretiosâ suppellectili recondunt moxque revocato fluvio, ne quis Italus eius monumentum scire posset, fossores obtruncant; facinus quidem barbara gente non indignum est habitum.

In demortui locum Athaulphus Balthorum quoque genere natus a Visigothis suffectus est, cui Placidia Alarico desponsata uxori traditur; nuptie paucis post mensibus in Foro Cornelii celebrata. Visigothe Romam reversi, quicquid e preda superfuit, eripere perpetuaque ruine ac incendii monumenta reliquere. Athaulphus relicto sponte Honorio, partim quia viribus et auro viderat exhaustum, partim quia affinitatis gratia vita donare cogebatur, in Gallias a Francis et Burgundionibus infestatas contendit. Eius adventu perterriti hostes se intra finem continere ceperunt. Vandali vero et Alani, qui sedes in Pannoniis a Romanis imperatoribus impetrarant ac deinde Gothorum metu in Gallias se receperant, maiore formidine nunc affecti in Hispaniam traiciunt, quo pacatam Athaulphus omnem Galliam inventi. Mox de eiiciendis ex Hispania Vandalis decernit; in Tarraconensi agro ad Barcinonam opes et imbelles homines reliquit, ipse cum ingentibus copiis Pyreneos montes superat in Hispaniasque medias penetrat, cum Vandalis sepe congressus tandem domuit et tertio anno Galliam cum Hispania pacavit, demum ab Euervulpho brevissime stature viro, cui sepe illudere solebat, interficitur. Sed hic aliquantisper immorandum et de quarundam gentium origine aliqua referenda.

Vandalos et Burgundiones, qui e Vandalis prodierunt, unam ex quinque interioris Germanie partibus Plinius affirmat; his Suevos proxime collocat. Alani, etsi originem a Scythis deduxere, in Vandalorum tamen regionibus habitabant. Octavium Augustum Suevos e Germania in citeriorem Rheni ripam transtulisse Suetonius asserit. Burgundiones Vandalorum pars ad octoginta armatorum milia ulteriores Rheni ripas insederant, quos Tacitus a Druso subacta interiore Germania in proprias sedes repulsos ac urbibus oppidisque munitis eiectos vicatim habitare coactos fuisse tradit, unde, ut supra diximus, nomen est inditum. Sed in his gentibus facta mutatio. Nam Vandali a gentis flumine nuncupati paulo post eos, quos Stilico in Gallias concitavit, patria profecti se Sclavos appellarunt a nomine gentis, que a Cimmerico Bosporo ad Tanaim usque habitare solita in Vandalorum et Burgundionum patria profectorum sedes transmigravit. Neque tamen Sclavorum denominatio ab his diu retenta. Cum enim pars eorum imperante Mauritio in Dalmatiam et Illyricum emigrasset, qui domi remansere, nomina mutarunt et aliqui se Polonos, Bohemos alii se appellare ceperunt. Sed, unde divertimus, repetatur oratio.

Athaulpho Segerichus successit paulo post suorum fraude 276
interemptus. Quartus ab Alarico Valia rex creatur et animi et cor-
poris viribus excellens. Adversus hunc Honorius imperator Con- 277
stantinum cum ingeni exercitu obiicere statuit virum quidem non
modo militari disciplina, sed magna rerum experientia sane pollen-
tem ratus Visigotharum vires per hunc facile extenuari posse. At 278
maxime verebatur, ne barbari rempublicam iterum infestarent. Ac-
cedebat et illud, quod iniquissimo animo ferebat Placidiam soro-
rem adhuc in captivitate barbarica detineri et maximum Romano
principi fore dedecus sororem a servitute asserere nequivisse.
Quare Constantino, ut vehementius rem gerat et sororem in li- 279
bertatem redigat, Placidie nuptias pollicetur, si barbaris eam eri-
pere valuerit. Constantinus promissis oneratus cum magno exer- 280
citu et imperatoria auctoritate in Hispaniam contendit, cui Valia
Visigotharum rex ad Pyrenei montis aditum occurrit. Cum legati 281
utrinque mitterentur, hoc tandem Constantino cum rege convenit
Placidiam omnino reddi oportere; quando opus fuerit, Romane
reipublice postulata Visigotharum auxilia nunquam defutura, qua-
re super his fedus ictum. Valia igitur ut ab Honorio pacem 282
assequeretur, Placidia a Visigothis reddita et ex composito Con-
stantino patricio desponsata, ex qua Honorius et Valentinianus
nati sunt. Eodem fere tempore Constantinus quidam alius in Gal-
lia imperium invasit Constantemque filium ex monacho Cesarem
constituit. Sed Romam accito Visigotharum auxilio alter in Arela- 283
tensi urbe, Vienne alter cesus est. Idem deinde facinus Iovinus
et Sebastianus ausi pari quoque fato concidere.

Cum Valia in Hispania regnaret, ecce Vandali, qui ab inter- 284
rioribus Gallie partibus ab Athaulpho fugati fuerant, Hispanos ite-
rum infestant, predas abigunt variisque vexant latrociniiis, sed a
Visigothis repressi sunt. Vandalorum imperium Geiserico rege ni- 285
mis auctum, quippe qui non minus astu quam prudentia polle-
bat, erat enim corpore mediocri et equi casu claudus, item magni-
animus, in sermone rarus ac gravis voluptatum domitor, non ira-
rum; cupidus imperandi ac doctus inter populos odia discordias-
que serere, ut facta seditione facilius imperaret. Honorio et Theo- 286
dosio consulibus Castinus adversus Vandalos missus est, qui,
cum Bonifatium bellica arte prestantem ab expeditionis societate
reppulisset, collegam pre ingenita insolentia aspernatus magno-
rum malorum auctor est habitus. Nam Bonifatius indignitatem rei 287
perquam egre ferens Ostiam prope contendit in Africamque traie-
cit occupavitque provinciam, quam cum sine auxilio invito impe-
ratore Romano retinere non posset, Geisericum Vandalorum regem
in Libyam advocat. Hic Valie bellum reformidans traiecto Gadit- 288
ano freto in Mauretanium pervenit Africamque universam occu-
pavit ibique aliquamdiu cum nepotibus ac posteris ad Iustiniani
usque tempora imperavit. Iustinianus autem accito Bellisario ma- 289
gistro equitum Orientisque prefecto, viro excellentissima quaque
virtute prestantissimo ac summa gestarum rerum gloria celebratis-

simo non modo Africam per eum a Vandalorum iugo, sed a Persis Asiam Europamque a Gothorum servitute vendicavit et, cum a Mauris Africa deinde occuparetur, Iustiniani virtute liberata est. Valia, quanquam Vandalos in Africam persequi cuperet, maris tamen tempestate deterritus Tolosam rediit ibique statim diem extremum cum magno Visigotharum luctu clausit. ²⁹⁷

LIBER III.

Iam Unnorum vires ostendere adoriamur, qui, postquam Ostrogothas domuerant Visigothasque, qui perdomita Italia Galliaque Hispanias usque penetrarant, sedibus suis eiecerant, nondum Scythia tota contenti traiecto Danubio Pannonias quoque subactas innumera multitudine hominum inundarunt. Et, quamvis ab Aetio magistro equitum Theodosio et Valente imperatoribus quandoque repressi forent, vix tamen, quin ulterius occuparent, contineri poterant. Eodem fere tempore Berimundus Thorismundo progenitus, veluti supra in Amalorum catalogo scripsimus, cum suorum Ostrogotharum servitutum et Unnorum imperiosam tyrannidem tolerare non posset, una cum Vetericho suo filio ad Theodoricum Visigotharum regem, qui Valie successerat, in Hispaniam pervenit ratus et nobilitate familie et virtute sua facile apud eos se principatum posse consequi. Theodoricus non magis prudentem corpus quam moderationis et non minus animi quam corporis dotibus excellens, quamvis regia stirpe genitos non modo regibus, sed populis quidem omnibus formidolosos esse oportere intelligeret, eum tamen, quem generosum acceperat, nedum convivii, sed consilii quoque expertem esse noluit; quotidie iubebat accersi et cognatione gentis familiarissime utebatur. Ecce Theodorico ob violatum fedus Theodosio iuniore et Festo consulibus a Romanis bellum indicitur. Aetius patricius magister equitum Durostoro Mysie civitate oriundus Gaudentii filius a patre sub militari disciplina semper educatus, qui a Valentiniano Gallis prefectus Suevorum Francorumque barbariam varia strage confecerat et Galliam universam mira sapientia defenderat, accitis Unnorum auxiliis adversus Theodoricum cum Litorio duce proficiscitur. Sed, cum acies pari robore ac spe utrinque constitissent, ut publice saluti consuleretur, mutatis animis datisque dextris instaurata concordia.

Paulo post tot mala Romanos imperatores circumvenere, ut imperium tutari posse desperarent. Hinc enim Scoti, Albigenses et Pictones Britanniam invadunt, cui opem postulanti ob imminentem Unnorum eruptionem Aetius Gallie prefectus afferre non potuit. Hinc Geisericus Vandalorum rex occupata per annum Africa comparata classe Siciliam infestabat. Hinc Sebastianus, qui Alanos et Suevos Lusitania eiecerat, Romane reipublice proditor pro affectata tyrannide cum Vandalis et Visigothis fedus init, ut Lusitania potiretur, sed deceptus a barbaris cumulas perfidie penas expendit, ex quo factum est, ut Visigothe, Suevi et Alani Lusitaniam Tarraconensem-

que Hispaniam et Aquitaniam occuparint. Hinc Unni minabantur, 10
 qui Ostrogothas Gepidasque ac innumeram Scytharum gentem co-
 egerant, ut, quocunque libido tulerit, libere ac late dominari que-
 ant. Nam, ut Ungarorum annales referunt, postquam occupata Dacia 11
 Pannonias prospectarunt non solum feracitate soli ac regionis pul-
 chritudine, sed celi quoque benignitate prestantissimas, quas Ma-
 crino proconsule Sabaria oriundo Alemanni Italique multi incolebant,
 traiecto Danubio invadere anhelabant. Macrinus, quamvis Mysiis, 12
 Pannoniis, Thraciæ ac Illyrico adiecte quoque Macedoniae presideret,
 Unnorum tamen erat viribus impar, ne tanta multitudine gentium
 obrueretur, Tetricum universe Germanie presidem convocat, qui
 coacto ingenti mox exercitu in Pannoniam descendit. Ad Potenti- 13
 anam urbem inter Theten et Zazhalom decem milibus passuum a
 Danubii ripa remotam cum Macrino castra iungit, nam Theta inter
 Budam et Albam Regalem sita est. Consilium deinde ambo ineunt,
 utrum potius agendum, an transmisso exercitu in castris Unnos
 adoriantur, an alium locum prelio magis idoneum optent. Dum di- 14
 versa sentiunt consiliumque differtur, ecce Unni castris acies edu-
 cunt, ad Danubii ripas veniunt; multos quoque dimiserunt, qui
 castra, uxores, liberos fortunasque tuerentur, cum Romanis appropin-
 quassent. Macrinus et Tetricus Scythas non expavere rati in- 15
 terfluente Danubio nihil detrimenti illinc sibi inferri posse, quando
 nec naves habent, quibus traicerent, nec pontem in amne facile
 struerent. At Unni, postquam hostibus appropinquarent, cum simili 16
 modo tot Scythiæ flumina transmississent, annexis utrinque utribus
 intempesta nocte Danubium sub Sicambria prope Budam Veterem
 clam omnes tranant, ubi villa quoque nunc est, que ab Unnorum
 traiectu Scythico vocabulo Chelenpheld appellatur. Deinde Potenti- 17
 anam, ubi utriusque ducis castra erant, prope contendunt, dormi-
 entes et incautos hostes adoriuntur, qui Scytharum insidias minime
 formidabant. Miserrima cedes oritur; multi somno gravati, ante- 18
 quam expergiscerentur, vita excessere. Mox tumultus, clamor et
 vociferatio subsecuta. Quid Romanorum milites agerent quove se
 verterent, tam repentino et inopinato terrore percussi nesciebant;
 magna pars in fugam conversa, passim cesa est; strages ex Ale-
 manis et Germanis inaudita patrat. Ceteri, qui aut in urbe per- 19
 noctabant aut prope menia tendebant, cum se in urbem recepissent,
 evasere. Unni cede defatigati in agrum, qui Tarnocvelg dicitur,
 se revocarunt.

Tetricus et Macrinus tanta clade afflicti et intolerabili furore 20
 perciti, quem pudor ingens suscitavit, quando mori quam dedecus
 perpeti malunt, illatam a barbaris cladem ingenue ulcisci decernunt.
 Que superfuert, legiones cogunt, quid fieri oporteret, ostendunt, 21
 tempus non ultra tendendum admonent, siquidem Unnos longa vi-
 gilia ac itineris preliique labore confectos vires omnes amissis af-
 firmabant; barbaricam immanitatem omnino ulciscendam, tantam 22
 cladem cum perpetua turpitudine coniunctam perpeti, ni se ab hac
 vendicent, neque Romanorum neque sociorum populi Romani esse

decoris. Id perpetuam maiestati Romani imperii notam inusturum 23
 exclamant, nisi obstinatissimis in barbaros animis irruant, penas
 cumulatissimas exigant. Quin et imminens omnium gentium hinc
 excidium promanaturum edocent, nisi eorum vires magna cede con-
 ficiant. Quare legionum animi partim formidine maioris mali, partim 24
 ira illate cladis et pudore perciti, neque tamen pristinae virtutis im-
 memores nihil hac pugna vehementius affectant. Arma sumi, in-
 structas acies educi, pugne signum dari et, si male pugnarint, se
 decimari postulant. Quare duces in Unnos, qui non procul aberant, 25
 copias educunt. Nondum in hostium conspectu fuere, cum utrinque
 tam obfirmatis irruunt animis, ut nullum crudelius bellum usquam
 commissum fuisse reputaveris. Cadit utrinque innumera multitudo; 26
 diem acerrime pugnatur. Declinante sole Unni superioribus vigiliis
 et laboribus exhausti bello inferiores esse ceperunt et, ne ad inter-
 itum redigerentur, terga vertunt. Ad Danubii ripas se recipiunt 27
 moxque Danubium adhibitis utribus renatant. Romani bello fessi
 fugientem hostem dimiserunt, prelium igitur imminente nocte diremp-
 tum. In hoc conflictu ex Unnis cum Cheve duce hominum centum 28
 et XXV milia cesa, e Romanis preter eos, qui in castris superiore
 nocte ceciderant, si Ungarorum credendum est annalibus, ducenta
 ac decem milia desiderata sunt. In sequenti die Tetricus et Ma- 29
 crinus cruentissimam se victoriam nactos conspicati, ne iterum cum
 innumera Scytharum multitudine manum conserere cogantur, mu-
 tанда castra decernunt superstitibusque copiis parcendum esse iu-
 dicant. Quare Tulnam nunc Austrie, Pannonie quondam civitatem 30
 reliquum exercitum reducunt rati, si iterum pugnandi copiam Un-
 nis facerent, universum ad unum exercitum populi Romani pre-
 nimia hostium multitudine interiturum. At Unni, postquam hostes 31
 retrocessisse acceperunt, locum pugne repetunt, suos more Scythico
 pie sepeliunt. Cheve ducis corpus inveniunt, quod in celebri via 32
 sollempni pompa substructo sepulcro recondunt, supra marmoream
 columnam erigunt in ducis monumentum, quem locum Keazovelg
 appellarunt et nunc Ungari Keazo dicunt.

Postquam Unni Romanas vires experti res suas bene succe- 33
 dere conspiciantur, animos sibi augent et Romanis invitis utranque
 Pannoniam trajecto Danubio occupare contendunt; quod ubi fac-
 tum est, non aliter, ac si proprias sedes recuperassent, Romanos
 hinc eiicere statuunt. Quare maximo delectu habito Tulnam, quam 34
 in capite Pannonie, quo Romani se receperant, sitam esse diximus,
 properant. Quod ubi Tetrico et Macrino significatum est Scythas 35
 ea mente venturos, ut, Romanine an Unni Pannoniarum domini
 futuri sint, hoc extremo certamine definirent, item Scythico ritu
 ita animos offirmasse, ut mori quam cedere malint, Romani duces,
 quamvis duplici iam habita strage attenuati ac viribus impares
 forent, animos tamen non tam a supplementis auxiliariisque co-
 piis, quam ab re ipsa concipiunt, ut Scythicam audaciam coer-
 ceant, hostibus occurrere decernunt. In Chesmaurensem agrum 36
 veniunt, ubi eos offendunt, utrinque mutuo conspectu agmina con-

stitere, instituuntur pariter utrinque acies, arti bellice ac insidiis
militaribus utrinque ingenia intenduntur. Unnis certum erat aut vin- 37
cere aut pulcherrime mori, quod eo facilius sibi quisque persua-
seret, quo magis patrio ritu mortem contemnere didicerat. Contra
Itali vite rationem habere solent, ne temere quidem morti se expo-
nunt. Proinde pugne continuo signum datur, obstinatissime con- 38
curritur. Unnis in prelio mos est altissimis vocibus hostem deter-
rere, pulsare tympana, sagittarum iactu aerem in speciem nubium
obscurare. Quare tantus ab iis clamor et tam horribilis confestim 39
editus et ita telis aer obscurus, ut Romanorum animi admodum
consternarentur. A prima hora diei ad nonam usque pugnatum est;
magna utrinque cedes oritur. Demum Tetricus et Macrinus, ubi 40
se numero impares et cum fera gente rem sibi esse, que mortem
pro nihilo ducat, suorumque stragem in horam augeri conspiciantur,
ut reliquorum saluti consularent, cum bellum facile dirimere non
possent, tandem terga vertunt, pedem sensim referunt, ne palantes
fugere cogantur. Unni quamvis longo prelio defatigati a pugna 41
deficere cogentur, revocatis spe imminentis victoriae viribus instant
ac magis adurgent. Hic Macrinus, cum fortiter redintegrato prelio
instare cepisset, occubuit. Tetricus fronti infixam sagittam saucius 42
cum iis, qui superfuerant, evasit truncumque sagitte, quem excutere
nequiverat, in senatum Romanum usque retulisse ferunt. Unni haud
incruentam victoria potiti se confestim in castra receperunt. In hoc pre-
lio quadraginta Unnorum milia desiderata ducesque Bela, Chemes
et Cadicha cecidere. Contra Romana clades quanta fuerit, hinc in- 43
telligi potest, quod nunquam illic posthac in Pannonia contra Unnos
exercitus reparare potuere. Scythici duces, cum pulcherrime parta
victoria occubuissent, ad marmoream columnam, de qua supra
diximus, sollempni pompa funerati sunt. Unni, quos deinde Unga- 44
ros appellavimus, anno salutis quadringentesimo primo tranquillas in
pacata Pannonia sedes usurparunt et multo sanguine sibi compararunt.

Anno vero ab ingressu octavo ac vigesimo extinctis superiore 45
bello ducibus in magnam orbitatem redacta respublica, quid ageret,
nesciebat, ductu carere non poterat multiplex et innumera multi-
tudo et, quem potissimum eligeret, haud facile inveniebat. Unus 46
tantum Atila succurrebat Mundzuci filius fratris Octaris et Rhoe, qui
ante ipsum regnasse dicuntur, item et Bude frater, quem optimo
genere natum preterea fortissimum prudentissimumque noverat, om-
nium consensu regem optandum esse censebat. Edictis igitur com-
itiis, cum tribus undique convenissent, Atila cuncti suffragia red-
dunt regemque declarant. At hic imperandi cupidissimus ac gerendo 47
bello accommodatissimus et, quod ambitione maxima affectarat,
assecutus spes ingentes concipit et maximo animo imperium init,
ad quod non tam fato quam moribus natus esse videbatur, quippe
cui acre ac circumspectum erat ingenium, corpus validissimum et
breve, item ingens animi magnitudo, indefatigabilis tolerantia labo-
rum, exactissima rei bellice disciplina, astus et consilii altitudo
summa. Preterea maxima dolorum ac insidiarum artificia, deper- 48

dita audacia, animus crudelis et elatus, perfidia plus quam Punica. Egregia forma, lati cum pectore humeri, torvus quoque aspectus, 49
 caput grandiusculum, oculi imminuti, rara barba, simus nasus, cani
 fere crines, color subniger et magna libidinis impatientia. Erat etiam 50
 in incessu superbus, circumferebat oculos huc et illuc, ut elati viri
 potestas; motu quoque corporis appareret non minus ambitioni
 quam Veneri obnoxius; se supplicibus exorabilem et iis propitium
 exhibebat, quos semel in fidem receperat. Qua gente sit editus, 51
 preferebat aspectu neque ignorabat se magis deorum numine quam
 humana arte ad imperii fastigia conscendisse, quod, ut Priscus
 historicus ait, ob sacrum Martis gladium ante speraverat, quem
 ipse fuerat assecutus. Hic enim apud Scytharum reges olim ser-
 vari solebat, quo quicumque potiretur, ei regnum sperare fas erat.
 Pastor quidam, cum suam buculam claudicantem offendisset, ut 52
 vulneris inveniret auctorem, demissi cruoris vestigia legit. At, ubi
 ad sanguinei rivuli fontem pervenit, ubi bucula pascebatur, dum
 humi percontatur, Martis ense invenit, quem incauta bestia forte
 calcaverat. Effossum hunc prolinus ad Atilam defert, qui, ubi sacri 53
 numinis munus esse intellexit, fortune sue admodum congratulatur.
 Gladio allato bellorum ac ceterarum gentium dominum se perbrevis
 futurum hariolatur. Pastori gratiam agit refertque; haud secus, ac si 54
 divino quodam munere donatus esset, ense iuxta divinum, ac
 Romani ancile, servari iubet. Martem Scytharum deum pervene-
 rat, cuius numen quotidianis sibi victimis placare studet. Quanti 55
 momenti dicionem iniverit, non ignorat neque se latebat innume-
 rarum gentium et universe denique Scythie esse regnatorem; cogi-
 tabat semper, que moliri deberet, ne tanto imperio frustra prefectus
 esse reputaretur. Illud quam maxime verebatur, ne potius rex im- 56
 perio quam imperium regi deesse videretur, neque ipsum fugiebat
 sibi neque ingenium neque vires neque fortunam neque militum
 robur ac numerum defuturum. Quare accitis prefectis legionum
 tribuumque magistris hec verba facit:

Non sum nescius, commilitones, non modo regnum, sed postestatem 57
 unamquamque pro deorum nutu et providentia tradi neque
 vos omnes divinam mentem voluntatemque hoc interregni tempore
 detrectasse. Siquidem me nemine refragante imperatorem non solum 58
 ducemque creastis, verum etiam Scythice reipublice summam ultro
 tradidistis nemini unquam antehac tanto iure collatam. Me autem 59
 iuxta deorum numen ac vestrum iudicium existimare fas est, quando
 illic divina benignitas, hic vester amor et fides ostenditur. Quam- 60
 vis nihil preterire curavi, quod ad utraque officia pertineret, nun-
 quam tamen tantum neque de dis neque de mortalibus promeruisse
 me credideram, ut regis me munere dignum iudicaretis. Proinde per-
 petua utrique gratia est habenda. Et, si grati hec animi esse solent, 61
 non tamen minus, que mee sunt dignitatis et officii, quam agenda
 gratia die noctuque sunt mihi animo agitanda, ne tanto me munere
 indignum existimetis. Quotiens, quecumque regi cuique optimo 62
 inesse debent, officia mecum cogito, quam grave munus obierim,

facillime noverim. Nam, qui aliene gubernationi prefectus est, ita se
parere debet, ut ceteris quoque prestantior habeatur; nihil contra⁶³
turpius eo, qui suo imperio censetur indignus. Si traditum a vobis
munus detrectarem, pusilli quidem id foret animi, contra vero ma-
ximi res magnas adoriri et propria virtute divinaque spe confir-
mari. Quanquam rei gravitas aliquantulum hortatur, sunt tamen⁶⁴
multa, que fiduciam augent et vos de me bene sperare iubent,
imprimis rerum experientia, tolerantia laborum et animus cum cor-
pore domi forisque assiduo exercitatus. Nemo unquam, mihi cre-
dite, bene imperabit, qui prius recte parere non didicit. Neque⁶⁵
bonum veteranum inveneris, qui malum se tironem exhibuit. In
castris vestris natus et educatus sum, commilitones, neque lacten-
tem prius mammillam quam cruentum gladium apprehendi. Pro mol-⁶⁶
libus quidem cunabulis clypei substernebantur et infans ex frigido
amne lavabar; sub divo noctem eque ac diem ducere, frigus et
estum iuxta pati. At, ubi aliquantulum adolevi, audacter arma tractare,⁶⁷
pugnare sub vinea, depugnare cum paribus singulari certa-
mine, quandoque belli simulacra agere, educere exercitum, aciem
instruere, disponere cornua, primus dato signo congregi et dir-
empto prelio redire novissimus, quin etiam sepe certatim tranare
Danubium et magnos amnes. Ad palum preteera exercitabar, de-
currebam in stadio hippodromumque frequentabam. Et, ne quid⁶⁸
pugne genus intentatum dimitterem, temporaria obsidere oppida
placebat, circum turres erigere, admovere machinas, ariete menia
quaterre quassaque subinde conscendere, deturbare oppidanos, nul-
lum preter militarem habitum induere, die noctuque ferre arma et
in aggere fere semper sub galea dormire. At, ubi grandiore⁶⁹
etiam nacti fuimus, fortissimi proceres, neque infestum hostem per-
horrere neque laudis et glorie gratia mortem formidare neque pro
republica pericula magna evitare exemplo vestro didicimus. Et eo
usque didicimus, inquam, ut, quando mihi deus optimos militie
preceptores exhibuit, neque hostem arte circumvenire neque dis-
cordiarum in externis semina serere, quo facilius vincere liceat,
neque populos sollicitare, allicere promissis et tempestiva quando-
que deterrere sevitia dubitemus. Novimus hec omnia et re potius⁷⁰
quam verbis a vobis accepimus. Avidissime sepe spectavimus,
quo modo rempublicam gereretis, quanta fide consuleretis publice
saluti, quanta fortitudine pericula obiretis, quanta clementia exci-
peretis supplices, quanta denique equitate iudicia tueri et servare
dignitatem studeretis. Que quidem omnia quando mecum ipse re-⁷¹
puto, plures in Scytharum castris quam in orbe cetero imperato-
res intueor. Sunt etiam alia, que non tam mihi animos addere,
quam vos de me bene sperare iubent. Mater pridie eius diei,⁷²
quo me genuit, se in somniis puerum scitum edidisse affirmabat, cui
quidem stanti demissus e celo Mars ense accinxerat, flagellum
divine iracundie dederat. Quin etiam, cum prodigia cuncta bene⁷³
successerint, nondum decimus exactus est annus, cum pastor qui-
dam in pratis inventum Martis ense ad me detulit, quare id me

insigne nactum vestrum regem, mortalium criminum censorem et domitorem gentium augures fore predicebant Nos Romani barbaros appellant et veluti orbis domini Scythicam diu gentem aspernati se totius orbis imperium tenere gloriantur. Neque Parthos adhuc cognatos nostros perdomuerunt neque leges adhuc Unnis dare potuerunt neque, si vixerimus, profecto dabunt. Atque, si in propriis hucusque sedibus permansissemus, audire potius quam perhorre Romana arma videremur. Sed, ubi maiorum nostrorum virtute factum est, ut universam Scythiam in dicionem asseruerint, nos quoque pari virtute ac gloria et fortasse longe maiore, si licuerit, cum illis certare debemus. Nescio, quid magni presagit animus. Et, cum numina faveant, tot gentium favores aspirent neque vires vestre neque fortune desint ac militum fortissima pectora, id nobis enitendum est, proceres, ut omnium antiquorum gloriam superemus et nomen denique populi Romani deleamus. Quare non alienigenam, sed vestratem, non rudem, sed expertum, non incognitum, sed notissimum, non proximum, sed filium proprie gentis amantissimum et immortalitatis cupidissimum pro rege delegistis, fortissimi viri, qui, si neque vobis neque mihi defueritis, quando Martem nobis patrem nunquam defuturum esse novimus, perbreui ostendam me non magis humano iudicio quam divino numine regem esse creatum, quamobrem eo magis mihi enitendum est, ut utrisque satisfaciam, quamvis id sine utriusque ope prestari nequit. Quod igitur me e senatus consulto decrevistis et tot populorum iussu approbastis, id faustum et felix Mars pater optimus esse iubeat ac omnia signa confirmet sicque cetera numina faveant. Proinde de me, commilitones, bene sperate, confidite reipublice, in propagandum Scytharum imperium omnes ingenii nervos intendite. Apud omnes Martis Herculisque parentis aras rem divinam facite, celebrate hecatomben et diis immortalibus cumulatissimos honores impendite. Atilam nunquam expectationi vestre defuturum, immo acerrimum hostium flagellum omnino futurum reputate.

Cum hec Atila perorasset, ei feliciter, Scythis quoque feliciter undique acclamatum est. Unnorum spes ita adaucte, ut hunc potissimum et ament et adorent. In eius manus tribus omnes cum militibus coniurarunt se militiam et eius imperium nunquam detrecturos a proceribus mirifice collaudatum. Ad amplificandum imperium passim omnes hortantur, nomina se daturos cum gratissimo obsequio pollicentur. Ipse ad disponendum regnum animum intendit, rempublicam instituit, munit legibus ac edicta varia promulgat. Hec ubi rite disposita sunt, ad bellum et tormenta bellica convertit ingenium, varias machinas commentatur, artifices multos adhibet, augeat munitiones et instrumenta, quibus et castra hostium et urbes facile expugnentur. Miram castrametandi artem invenit, miro quoque modo augustalia et tabernacula sua disposuit, que inextricabili militarium tentoriorum ambitu muniebant, de quo Priscus historicus Theodosii iunioris servus ab epistolis, cum legatus ad eum pervenisset, hec retulisse dicitur imprimis, antequam ad Unnos ac-

cessisset, ingentia se flumina traiecisse, tandem eo appulisse, ubi dudum Edoingas Gothorum fortissimus Sarmatarum dolo occubuerat; haud hinc procul Atila vicum fuisse amplissime civitatis instar, cuius 89 menia omnia ex nitidissimo ligno confecta tantam in compage iuncturam 90 preferebant, ut ex uno solidoque ligno facta dixeris; multa quoque ac effusa fuisse triclinia, amplissimas porticus et auratas, spatiosa subdivalia ac cetera cultu et decore regio digna. Itaque 91 Atila non modo regiam ornatissimam habuit, sed augustale pre ceteris insano sumptu affabre factum, quod e serico auroque contexto sane constabat, item cultum ubique gemmis et columnis aureis eburnisque suffultum, ubi non solum propylea et andronem, sed porticus et subdivalia ex levigato durissimoque ligno tessellata et auratas cenationes et cubicula cernere erat. Quotidiana quoque tabernacula et stabula purpurea erant et sericea, presepia ex optimo ligno 92 vermiculata. Que quidem omnia non modo superbissime cuiusque regie usum prestabant, verum etiam et profuse magnificentie deserviebant. Proceres nanque suos tam preciosis sepe tabernaculis donavit tantaque beneficentia prosecutus est, ut quandoque vix duo 93 triave ad summum in expeditione sibi superessent ephippia. Phalere, scuta, galee thoracesque tantum artis et materie sumptum referebant, ut nil in his auro et argento vilius inspexeris. Ne minore quidem admiratione thalami, selle, currus et apodyteria spectabantur. Oratores, qui e remotissimis undique partibus ad eum confluabant, tanto stupore confecti dimittebantur, ut, cum ad suos rediissent, sepe profecto nescirent, quid potissimum dicerent. In omnibus, que ad regiam dignitatem facerent, principatum obtinere nitebatur. Et, quamvis nimia severitate atrox ac dirus videretur, benignius tamen externos admisit et non modo suos, verum etiam alienos pre nimia liberalitate sibi conciliavit. Quanto formidolosior hostibus, tanto suis carior erat. Adeuntes nunquam difficulter admisit et multa 97 curans responsa dedit, cum multis loquens pluribus sepe dictavit, ingenium velox et presentarium, memoria constans ac magna, animus eius in negotiis expeditissimus semper est habitus, nisi, dum consulta prestaret, aliquem forte verbis circumduceret. Contra vero precavebat, ne a quoquam sibi verba dari viderentur.

Tantum Unnorum exercitum, ut Ungarici referunt annales, tunc 98 sortitus est, ut preter auxilia decies centena milia hominum in castris fuisse putaretur. Quod etsi incredibile videtur, innumera tamen 99 Scytharum multitudo amplitudoque imperii id facile suadebit; supplementa prope semper habuit, que in demortuorum locum cito sufficeret egerrime ferens legionum defectum. Unnorum arma thorax 100 et lorica, item arcus et pharetra; nonnulli scuto, lancea enseque falcato utuntur, maxima pars corio corpora muniunt, ceteri ferro, gladio longo accincti et pugione. Hirsutis ad hec se pellibus induunt 101 et demisse barbe intonsique crines villorum instar feroces torvosque aspectus augment tantumque terroris adiiciunt, ut solo obtutu nedum congressu perhumanos hostes absterreant. Regis beneficentia 102 magna gratiam, severitas summa reverentiam et religionem a suis

populis exigebat, quare grata sibi prestabantur obsequia et amari
 eque ac metui ab omnibus videbatur. In vexillis coronatam ferebat 103
 aquilam, que quidem insignia ad Geysse usque ducis tempora Un-
 gari conservarunt. Severi nomen imperii augebat inscriptio, qua in 104
 diplomatis utebatur: Atila Mundzuci filius et magni Nemproti ne-
 pos, Engadie natus, divina benignitate rex Unnorum, Medorum,
 Gothorum et Davorum, metus orbis deique flagellum hec fieri mandat.

Postquam Atila dignitatem regiam sortitus est, non minus eque 105
 quam severe dominari cepit; omnes gentes sibi subditas ad gra-
 tissima obsequia redegit, Sicambriam imperii sedem elegit, quam
 supra Budam Veterem fuisse volunt, cuius adhuc vestigia multa
 supersunt. Neque id temere factum. Ad Danubium Scythie termi- 106
 num sedem optavit, ut hinc Scythas regeret, hinc Romano imperio
 bellum inferret, cuius cupiditate quamplurimum estuabat. Accedebat 107
 Pannonie ubertas feracitasque Mysiarum et Illyrici, quare immensum
 exercitum alere poterat. Succendebat amorem dominandi memoria
 bellorum, que superiore tempore Unni cum Romanis in Pannonia
 gesserant. Egerrime ferebat suorum victoriam tantopere fuisse cru- 108
 entam, quare ad tanti sanguinis ultionem irritatur. Verum, ante- 109
 quam tam magna cepta adoriatur, Scythiam disponere statuit; itaque
 per cuncta regna populosque presides, pretores questoresque dis-
 tribuit Bledamque fratrem, quem plerique Budam appellant, in
 regni societatem admiserat; ne quid seditionis aut externi belli ori-
 retur, universe Europice Scythie prefecit summamque potestatem
 tradidit. At ipse mox cum innumera multitudine copiarum provin- 110
 cias imperii Romani adoritur, imprimis utranque Mysiam, Thra-
 ciam, Macedoniam et Illyricum gravissimo bello sollicitat. Belli 111
 causas a datis Tetrico et Macrino adversus Unnos auxiliis com-
 mentatur. Valamir Ostrogotharum et Ardarichus Gepidarum rex
 Atilam inita societate sequebantur. Quin etiam Marcomanni, Suevi, 112
 Quadi, Heruli et Turingi una cum Unnis stipendia faciebant; a tanta
 barbarorum colluvie omnia igni ferroque miscentur.

At, ubi hec omnia Marcianus accepit, Theodosii exemplo, cui 113
 eo tempore rite successerat, ut Unnis, Gepidis et Ostrogothis faci-
 lius resisteret, cum Geiserico Vandalorum et cum Persarum rege
 inducias inuit. Quod spem Atilae fefellit. Cum enim ab oriente Per- 114
 sas, ab occasu Visigothas, ab Africa Vandalos, ab Aquilone Unnos
 Romani hostes haberent conspirantibus undique in Marcianum tot
 gentibus, facile sperabat imperium perbrevis Romanum iri perditum.
 Sed Romanus imperator, ut sibi et imperio precaveret et cum unico 115
 eodemque maximo expeditus hoste certaret, cum ceteris bella com-
 posuit et in Atilam, quascunque potest, vires intendit. Ardaburium 116
 magistrum militum Unnis opponit, qui, cum apud Marcianopolim
 hostibus occurrisset, in primo prelio superior evasit; arridente ali-
 quantulum fortuna fretus, dum incautius et nimis avide cum calli-
 dissimo hoste bellum gerit, ab Atilae copiis circumventus occubuit.
 Marcianus Ardaburii morte admodum consternatus consilio hostem 117
 circumvenire studet, quod sepe plus viribus posse noverat. Videbat 118

tot gentium multitudinem in obsequio concordem non futuram atque, si in Illyrico et Thracia diutius permansisset, fame tantum esse perituram. Quare inter reges tres facile discordiam serere, 119 muneribus pollicitationibusque divertere, aliquem in societatem alligere, hostium consilia intervertere se facile posse confidebat; ne minorem quidem spem in provinciarum inopia collocabat. Quod 120 dum intenderet imperator, hinc prelium contrahere, hinc subtrahere commeatus, tentare regum animos, dissensionum semina serere, curare concordie societatisque solutionem, nutantes quosdam subducere, aliqui etiam eius verbis credere. Contra Atila astu prepo- 121 tens imperatoris Marciani consilium prevenire, properare pugnam, in sterili solo morari, commeatus undique cogere, in uberrimas regiones et oppida se recipere, severissime suis imperare, regum societatem largitionibus et officio confirmare, milites in obsequio quavis arte retinere.

Quin etiam Budam fratrem cui gubernationem Scythie edifi- 122 candamque urbem in Danubii ripa Sicambrieque ruinis Budam deinde dictam delegarat, dolo captum interfecit. Ungarorum annales 123 post cladem Catalaunicam interfectum tradunt, quoniam eum post subactam Mysiam, Thraciam et Macedoniam, cum ex Gallia Atila Sicambriam rediisset fratremque invenisset Sicambriam, quam muro cinxerat, non Atile, sed suo nomine contra mandata Budam nominasse, cum dolo captum propria manu pre nimia ira obruncasse prodiderunt. Diversas alii fraterne mortis causas referunt, aut quod 124 mitioris ingenii vir formidolosas expeditiones inhiberet aut quia cum eo sepe contenderet et liberius argueret, quod Gepidarum et Ostrogotharum reges in societatem adscitos pro subditis ille tractaret, aut quia cum Scythis se immitius ageret. Iordanis, cum nulla regni societas firma sit, ut solus regnaret, insidiis fratrem interceptisse scribit. Hec Theodosio et Albino consulibus gesta sunt. Quare Atila, 125 postquam Illyricum, Macedoniam, Thraciam et Mysias passim igni ferroque vastaverat preclusumque ad Constantinopolim aditum Marciani copiis intellexerat, in Pannonias Sicambriam se recepit. E fraterna cede non plus invidie quam terroris ubique conflaverat et dissimulata penitentia ductus se in contione purgare constituit:

Quam misera sit condicio et sors ipsa regnantium, exemplo meo 126 discite, proceres, qui ut iustitiam et equitatem ac mandatorum observantiam edoceram atque simul ostenderem, quo studio edicta et imperata prestari debeant, fraterno, heu, sanguine me id experiri prius oportuit. Fratrem unicum, quem mihi consortem imperii feceram, ut interficerem, me necessitas adegit Romuli, ut aiunt, necessitate adductum, qui legum mandatorumque contemptum fraterno quam alieno supplicio ulcisci maluit. Non enim ignorabat vir ille 127 divinus, qui e pastoribus ovium reges gentium facturus erat, nullum bene imperium et regi et amplificari posse, nisi omnes legibus ac regi parere didicissent. Quod, si leges et edicta pro irritis habeantur, 128 omnia protinus misceri videris et ire perditum. Iustitia nanque sola non modo republicas et imperia, sed societatem omnem munit et

servat. Quin etiam facinorosissimam quanque multitudinem, veluti 132
 in latronibus videmus, qui partam eque predam partiuntur, equitas
 ipsa ne solvi quidem facile patitur. Hac potissimum magistra maio- 133
 res nostri barbaro genere nati ita imperium auxerunt auctumque
 servarunt, ut sui posterii iam universo orbi leges dare confidant.
 Proinde meo sanguini non peperi, ne exemplo meo facinorosorum 134
 audaciam confirmarem, quibus tanto studiosius cavendum est, ne
 vel minima errata committant, quanto severius in se ipsam animad-
 vertendi iustitia regia sumpsit initium. Hec quoque patravimus, ne 135
 sacrosancte iustitiae numen perniciose quadam indulgentia incesta-
 remus. Qui gubernationi salutique publice natus est et in tanto 136
 fastigio divino numine collocatus, nulla privati affectus ratione a
 publica utilitate et equitate diverti debet. Immo, quanto coniunctior
 est, qui errarit, tanto severius in eum animadvertendum est. In 137
 provincias populi Romani profecturus, non tam ut earum iniurias
 ulciscerer, quam Scythicum imperium propagarem, ad quod me
 natum, ut par est, semper existimo, me miserum, fratrem admonui
 imprimis, ut regnum pacatum diligentissime curaret, iuste sancteque
 gereret, nemini ius suum eripi pateretur; deinde ut Sicambriam 138
 urbem olim populi Romani ex legione auxiliatrice conflata educ-
 tamque e Sicambriis extremis Germanie populis, quandoquidem
 multas quondam Romani legiones presertimque Germanas in Da-
 nubii ripa collocarant in urbesque redegerant, ut barbaras transitu
 fluminis inhiherent, non modo instauraret, sed menibus longe am-
 plioribus circumduceret demumque meo nomine appellaret. Quid 139
 fecit infelix? Immemor edicti, immemor mei, qui fraterna charitate
 in imperii societatem neminem corrivalem admittentis adsciveram
 mecumque pariter regnare iusseram, pre ambitione immodica, ut
 nomen ac dignitatem meam sensim attenuaret, ut demum unicus
 imperaret, regiam sedem contempto mandato a se Budam nomi-
 navit, lese maiestatis crimen de eo tam benemerite pro nihilo
 duxit. Quem regem creastis, quem Martis Herculisque patris numen 140
 esse iubebat, non solum pessundare, sed delere speravit. Quod
 quidem facinus ubi mihi compertum habui, haud iniquum ex teste
 conscientia furorem concepi nondum oblitus, qua charitate ac fidu-
 cia et quanto mentis ardore traditam Scythice reipublice summam
 acceperam, non tam mihi quam imperio vestro insidias parari
 intelligebam. Ab omni semper expeditione et ab ea vel maxime, 141
 que in imperium Romanum pararetur, me semper revocare nite-
 batur, Romanos tabellarios sepe cum litteris intercepti notis quibus-
 dam obscuris exaratis, quibus hostes multa et presertim integrum
 Scytharum imperium fratri pollicebantur, si a me ille deficeret aut
 quavis arte me circumveniret a bellove inito revocaret. Immodica
 fides si fallatur, immodica quoque indignatione conficitur. Quid 142
 plura? Ne dux vobis natus e medio tolleretur, ne Scythia Atila
 subriperetur, ne fidissimo propugnatore Scythia defraudaretur, ne
 Romanis domitande Scythiae occasio daretur, ne sacrosancte iustitiae
 numen pollueretur, ne mea perniciose negligentia ac stolidi chari-

tate facinorosorum audacia augetur, fratrem compertis insidiis contempto mandato lesa maiestate regia non quesito lictore, non accito carnifice, ne respublica vestra a meo sanguine lederetur, adortus interfeci. Fratre quam regno, quam republica, quam dignitate carere malui. Quod si neque sanguini meo neque unico fratri reipublice gratia me pepercisse videtis, quid in alios, qui scelerate quid commiserint, me facturum putatis? Pugnavit in pectore meo aliquantisper cum publica privata charitas, publice tandem rationi privatus cessit affectus, quod omnibus his, qui presunt, faciendum esse censeo, si optime sibi et reipublice consultum iri velint. Tu autem, frater infelix, mecum usque regnasses, si pari mecum amore et publica charitate certasses. Non te in regni consortium frater admiseram, ut te mox vita privarem, quando tecum, qui unicus idemque carissimus mihi fueras, dignitatem et utranque fortunam communicare volui. Non ea causa te tantum evexeram, ut te subinde carerem, sed ut gubernandi labores cum honoribus pariter et triumphis tecum impertirer, ut mutuo quandoque alter alteri congratularemur. Plus tibi quam mihi timere solebam, ego labores, ego pericula obibam, ego in prelia descendebam, ut tuam mee vite anteferrem. Non fratris, sed unici loco filii te habebam. Si fortuna dedisset, ut immaturo fato interciperer, te regni heredem, te mei nominis defensorem et ultorem cedis fore sperabam. O spes hominum fallaces, o miseram mortalium condicionem et eorum presertim, qui in aliquo fastigio siti sunt, quibus quanto fortuna maior, tanto editior miseriarum et periculorum cumulus accedit. Maluissem, si per utilitatem nostre reipublice licuisset, hostili manu occumbere, quam fraterno sanguine fedasse manus. Malim tamen prepotentis iustitie numen fraterna victima pro regni salute expiare, quam commissa in rempublicam piacula preterire. Proinde edicta, leges et mandata servare exemplo mei sanguinis discite, que sint ab his regi expendenda supplicia, qui eius imperia militiamque detrectarint aut patria iura leserint aut humanitatis officia violarint, que debetis obsequia prestare indulgentissimo supplicibus principi et presertim benemerentibus recte feliciterque obtemperare, ut communi cum eo fortuna frui liceat. Perfidiam, superbiam et infidelitatem morte cautius evitate. Nihil existimate commodius, quam in boni regis obsequio vivere publica que commoda privatis, ut fecimus, anteferre. Quod si feceritis, non tam imperatore bono quam optimo milite Scythicarum fortuna rerum gloriari poterit. Ego autem, ne fraternos manes nobis iniquos habeamus, edico, ut, que infelix nuncupavit, vota prestemus: instauratam Sicambriam Budam appellemus pioque funere ac lacte pariter et vino placare studeamus.

Secundum Atile orationem funus singulari pompa celebratum. Non tam Bude fatum quam Atile fortuna dira deplorata; collacrimantem pariter et estuantem omnes ultro commiserantur, fratrem iure cesum exclamant. Ad hec consolantur simul et hortantur, ne se casu fratris excruciet neve Scythice reipublice desit, regno consulat et, ut institutum sue glorie iter Scythicamque fortunam pro-

sequatur, exorant. Paucis post diebus, ubi se collegit fraternisque 155
manibus iusta persolvit, ad bellum initum animum revocavit, quod
tot gentium imperio fretus facile prestifit. Quin etiam nihil usque 156
adeo magnum et difficile veniebat in mentem, quod se effecturum
esse non confideret, cum bella non minus arte, quam viribus tractare
soleret nihilque magis intenderet, quam Romani imperii ruinam.
Inita consilia prosequitur, Romanos et Visigothas, quos acerrimos 157
hostes habebat, ne icto simul federe in Unnos coniurarent, eo usque
quietos dimittere statuit, quo usque eorum intima penetraret omnemque
his coeundi potestatem eriperet. Quod ut assequeretur, Aetium Mysio
genere natum sibi que amicissimum tentavit, cum quo Ioannis tyranni
temporibus de transitu in Italiam olim fedus iniverat. Multa pro instaurando
imperio Romano pollicetur, 159
si sibi Visigothas, quos servos suos et profugas appellare solebat,
Romano federe punire liceret. Contra vero cum Theodorico Visigotharum
rege, qui Valie regi successerat, clam agebat, ut cum Unnis, Gepidis
Ostrogothisque consanguineis Occidentis imperium tuto retinere quam
cum perfido superboque Romano hoste periclitari mallet; acceptas ad
hec clades et impendens a Romanis excidium, qui iniurias cumulatissime
ulcisci solent, commemorabat. Confirmabat in hoc eius perfidiam Geisericus
Vandalorum rex, quippe 161
qui Visigothas hostes formidans, ut Iordanis ait, multis largitionibus
Atilam in eorum bella precipitabat. Nam, cum Theodorici filiam
Hunerico filio coniugasset eique ob veneficii suspicionem nares
abscidisset turpique vulnere deformatam patri in Gallias remississet,
haud sibi parum a Visigothis timere cogeatur, quare Atilam adversus
Theodoricum magnis muneribus die noctuque irritare contendit. Atila
dolorum artifex, quippe cui mos erat hostem prius arte 163
quam armis oppugnare, legatos ad Valentinianum misit, quibus
Visigothas Romanis suspectos reddere conabatur. Eis hec mandata 164
dedit sibi cum Romano imperio nihil esse, quo bellum aliquod utrinque
moliri oporteat, immo se Romanos observasse et eorum societatem
nunquam contempsisse, sed cum Theodorico sibi rem esse, qui
Visigothas Unnorum servos ac profugas in dicionem suam vendicavit,
aliene gentis imperium usurpavit; neque se diutius passurum
Gothos sub alieno iure versari, quin et armis eos in pristinam
condicionem asserturum; item polliceri se imperio Romano in quovis
bello auxilia magna daturum, si cum Theodorico ipsum equo animo
decertare patiantur; perpetuum quoque fedus se cum 166
Romano principe icturum, si Gothos, qui Italiam igni ferroque vastarint,
urbi Rome gentium regine perpetuam notam inusserint, maiestatem
imperii Romani eterna sugillatione fedarint, cumulatissimas sibi
penas expendere permiserint. Ad Theodoricum contra scribit 167
admonens, ut Romanam fugiat societatem, qua nil sibi, ut supra
diximus, perniciosius esse potest.

Intellexerat eius insidias Valentinianus ad Theodoricumque scripserat
haud aliter Atilae resistendum ac orbis perniciosissimo tyranno, cui
tantum inesset audacie, ut totius orbis imperium tanquam 168

sibi uni debitum asserere niteretur; neque belli causas querere neque iuste id indicere solitum, id dumtaxat putare legitimum, quod seva libido iusserit, eum communem omnium inimicum, communia quoque ab omnibus odia mereri; proinde oportere Visigothas Romane reipublice adiumento esse, cuius ne mediocre quidem partem possiderent, precavere dolos Atili unaque cum Romanis in eum coniurare, quod ni fecerint, per brevi communem utriusque ruinam affuturam. Ad hec Theodoricus coercendam esse Unnorum audaciam neque animos neque vires his deficere oportere, qui iuste pugnare coguntur; neque bellum grave futurum, quod iniquitate cause labefactatur; deum iustas in bello fovere partes; proinde se nunquam Romanis, ut par est, neque regno suo defuturum. Aetium artem Atili non ignorasse exitus ostendit, quando Theodoricum litteris admonet, quid fieri opus sit et quot et quanti insint barbaro doli, qui nisi pari arte eludantur, his omnino cedere oporteret. Rempublicam occidentalem Valentiniani Rome imperantis auctoritate gerebat Aetius vir bellicosissimus semper habitus et hostibus admodum formidolosus. Gallias pariter cum Hispaniis gubernabat neque sibi prudentia et fortitudo deerat, quando pari cum barbaris astu certare poterat. Neque Unnorum hunc artes viresque latebant, quippe qui olim deposita potestate, cum in agro degeret, ibique cum inimicus quidam repentino eum incursu opprimere tentasset, profugus ad urbem atque mox in Dalmatiam et Pannoniam confugisset, ad Unnos demum pervenit, quorum amicitia opeque usus principum gratiam interpellatamque potestatem recuperavit. Quare haud inscius, cum quanto et quam feroci hoste res sibi foret, Theodoricum exercitum, quantumcunque potest, comparare monet, proceres adhibet, quando non tam de dignitate quam salute communi ageretur, et, qua cum gente bellum gerendum sit, edocet.

Theodoricus iam a Valentiniano et Aetio edoctus, quid fieri oporteret, neque fraudulentum Atili ingenium ignorans omne studium ac diligentiam in comparandum exercitum intendit. Sex ei filii erant; Fridericum, Euricum, Retemerem, Himericum domi relinquit, ut regno presint, ius dicant populis ceteraque disponant, Thorismundum et Theodoricum maiores natu secum commilitare iubet. Gothos undique cogit, multas legiones instituit, totam Galliam Narbonensem Tarraconensemque Hispaniam nomina dare iubet. Omnes fere arma sumere cogit, siquidem ingentes et innumerabiles Unnorum copias esse arbitrabatur. Et eo maiorem exercitum Atilam comparare noverat, quo potentioribus cum hostibus sibi rem esse intelligebat. Ne servis quidem neque agricolis omnino parcendum esse reputavit. Duo filii imperatoris pariter et militis officia prestare, turmas cohortesque conscribere, arma, munitiones et tormenta parare, certatim ac sollicitate curare omnia, patri animum augere, populorum animos ad gloriosum bellum hortari. Contra tam generosa prole pater gloriari, maiorum exempla his referre, quibus iuvenilia pectora succenderet, quanta Gothorum gesta fuerint, et progenitorum robora rite recensere neque quicquam du-

xisse turpius quam mortem hostemve timere, nihil reformidare preter turpem vitam. Quare tanta Gothorum manus brevi tempore coacta est, ut cum magno quovis exercitu tuto certare posset. Ne minore quidem studio et celeritate in Italia Valentinianus et Aetius in Gallia utebatur. Imperator delectum habuit, sponte omnes nomina deferebant, ne ab Unnis ea, que a Gothis olim acceperant, pati cogerebantur. Scythicum in Gothis furorem experti eo magis timere cogebantur, quin etiam, si licuisset, sponte sua matrone nomina detulissent.

Augebat metum Atile rumor non modo, quod Mysias, Thracias, Illyricum et Achaiam immani quadam et inaudita crudelitate vastasset, sed quia Theodosio et Albino consule fratrem unicum consortem regni temere suis manibus interemisisset. Quamvis liberalem audirent, humani tamen sanguinis avidissimum intelligebant. Auxerat Italie Gallieque tumultum cum ingenti animorum consternatione ficta de Unnis fama, quod humano sanguine, utpote qui Scythe sunt, ferino more vescerentur, quod hostium capita ad equorum pectora suspenderent, quod eorum calvariis pro gemmatis poculis uterentur, quod Marti Herculi que patri maclarent hospites, qui patres senes interficerent interfectosque avidissime ac sollemniter devorarent. Addebant plerique feritati, quod equino sanguine viverent, alienigenas nullos amarent omnis prorsus expertes humanitatis. Ne minus quidem orthodoxe fidei Christi optimi maximi timere cogebantur, quippe Atilam intelligebant nulla veri numinis religione teneri, quin etiam nihil dira crudelitate putare religiosius nullamque humana victima prestantiorem existimare, nihil aliud querere, quam humani generis servitutem ac interitum imperii Romani. Italarum multi, qui diem suum incruenta morte obiissent, eos felices existimabant, quippe qui tanquam divina quadam benignitate ex hac miserrima vita ereptos reputabant. Alii contra priscorum temporum non ignari barbararumque memores iniuriarum et animo longe fortiore muniti hos beatos predicabant, qui his temporibus nati essent, quibus Scythicam immanitatem ulcisci liceret. Pro animi condicione quisque loquebatur. Eo tandem res Itala cum Gallica redacta fuerat, ut pars magna necessitate, sponte ceteri fortes animos prestare viderentur. Accedebant prodigia et horrenda signa, que publicum metum augebant: Procera deum simulacra non solum noctu, sed interdiu visa, que sibi pro se quenque precavere iuberent; sanguinee e celo gutte defluxere, bicipites infantes editi, sacra tecta in plerisque locis de celo tacta; vox nocte audita sepe: Cave tibi, Italia; dii quoque e pulvinaribus auditi. Multi solo metu occubuere, quia neque focus neque aris Atilam parcere ferebatur.

Inter hec Valentinianus eo audacius omnia agere, habere delectum, legiones et auxilia undique cogere et nihil studii ac diligentie pretermittere; ardentius omnia Aetius sollicitare, percusso cum Theodorico federe Romanas ex Italia educere, ad omnes populi Romani provincias legatos continuo mittere, qui auxilia validissima petant, universam Galliam Germaniamque vexare. Legatorum opera

Burgundiones, Saxones, Ripari, Olibriones Romani quondam milites, item Meroveus rex Francorum, qui Clodioni patri in regno successerat, Sarmate, Liticiani et Armorici una cum Gothis et Romanis contra Unnos coniurarunt. Innumera profecto fuit auxiliarium 195 copiarum multitudo, que ad Aetium et Theodoricum in Gallias convenerat, quare exanimata sociorum pectora haud parum instaurata sunt. Qui salutem paulo ante desperarant, nunc ultro prepotenti 196 hosti occurrere cupiunt. Ducibus nimium confidebant, qui viribus, astu, prudentia ac rerum experientia prepollerent. Addebat animos Aetii fortuna cum non mediocri sapientia coniuncta, que in re potissimum militari suum exercet imperium. Theodoricus et Aetius, 197 qui tot copias ductare cogebatur, ut utriusque gentis servaret imperium, nil Atile congressu avidius optabat nec quicquam reputabat antiquius, ante hostis adventum in diversis locis stativa habuit, com meatus undique advehi mandavit, per varia oppida disposuit annonam, ne qua forte rerum inopia militum immensa multitudo laboraret; omnia, que bello sunt usui, prius ita providerat, ut nihil 198 deesse videretur; presidia per civitates ubique disposita, itinera, quecunque poterant, ubique preclusa impositaque presidia.

Que quidem omnia cum per exploratores varios ad Atile aures 199 pervenissent, sue quandoque audacie penitentia subiit illudque magis ac magis indoluit, quod neque multum suas artes adversus Romanos proficere, quin etiam illis patefactas esse ac pari dolo eludi intelligeret. Dum inter Gothos et Romanos discordias serere studebat et inter serendum in horum intima penetrari sperabat, deprehensas eius insidias advertit; dum aliis dare verba conabatur, accepisse potius quam dedisse visus est. Nam, dum ista molitur, 201 hostes potius tacito admonuisse, ut bello se accingerent, quam fellisse videbatur. Quin etiam, si id honeste facere potuisset, bellum 202 potius detrectasset, quam his hostes artibus irritasset; sed, ne a magnanimitate sua deficere videretur, ad apertum bellum animum intendit.

LIBER IV.

Cum maximis Atile animus fluctuat inceptis, qui Sicambriam 1 se receperat, omnium ibi procerum conventum edixit, ut de futura expeditione decerneret. Convenere undique principes imprimisque 2 Tetricus Veronensis acerrimus olim Unnorum hostis, quem Atila non sine maxima liberalitate ac officio sibi conciliarat familiarissimumque reddiderat. Hunc quoque frequentissimi Germanorum 3 proceres secuti sunt, ut in Scythicam sese benivolentiam pariter insinuarent, qui, cum Sicambriam preter opinionem regis venissent, gratissimo omnes hospitio admissi ac vultu quoque regio multo gratiore excepti sunt. Tetricus igitur regali beneficentia victus et 4 inconstantis ingenii compos, cum in Romani belli sermonem ex dedita industria incidisset nimiumque studeret assentatione placere, nutantem aliquamdiu regis animum confirmavit. Occiduas enim im- 5

perii Romani provincias invadendas esse suadebat, quando presidii legionibusque carerent et triumphorum materiam non mediocrem afferrent. His verbis Atila admodum confirmatus neque inscius, quos 6 hostes habiturus esset, quam ingentissimas potuit, copias comparavit. Non solum per universam Scythiam delectum habuit, verum etiam auxiliares, quascunque potuit, copias undique contraxit, cui se socios pariter addiderunt Ardarichus Gepidarum rex, item Valamir, Thudemer Vidimirque fratres, qui Ostrogothis imperabant. Accessere quoque Marcomanni, Suevi, Quadi, Heruli et Turingi pari spe prede ducti, quos quidem quingenta circiter armatorum milia fuisse ferunt. Ad hec summam carrorum multitudinem ac cetera, que bello sunt usui, comparavit. Nam et plaustris castra pro vallo 8 munire et in prelio presertim ad circumveniendos hostes Unni Scytharum more uti solent.

Sed, antequam e Pannoniis moveret, ne ab arte sua deficeret, 9 impetrandam ab utroque hoste clam pacem tentavit, ut, dum cum altero pugnaret, ab altero tutus esse videretur, qua re facilius victoriam speraret. Quod ubi obstinatis animis denegatum iri intellexit, Illyricum totum diripit et incendit. Mox Germaniam tanto furore aggreditur, ut vicos passim et oppida concremaret, omnes cederet, sacra et profana eque dirueret, nec etati nec sexui usquam parceret. Omnia cedibus, rapinis et ululatibus complebantur; facilem ex immani sevitia victoriam se consecuturum esse confidebat. 11 Magne Germanie tantum pepercit, quia Marcomanni, Quadi et Suevi, quos cum Atila commilitare diximus, e Retorum, Vindelicorum superiorisque Pannonie conspectu ulteriorem Danubii plagam habitabant. Superato tandem Adule montis iugo in Helvetios, 13 ubi descendit, pari crudelitate grassatur. Quicquid intra Rhodanum et Rhenum interiacet, passim diripit. Inundantis Nili more 14 in superiorem inferioremque Germaniam, que cis Rhenum in Oceanum usque protenditur, ac demum in Galliam Belgicam cum exercitu effunditur, incursat, miscet ac turbat omnia. Constantiam urbem munitissimam obsidet oppugnatque, Sigismundum eius regionis principem cum magna manu occurrentem fundit fugatque, qui, ubi mox Basileam urbem suam ab hoste obsidendam esse intelligit, sue ac regni consuluit utilitati, pacem per legatos ab Atila impetrat pollicitus sub eius ductu et auspiciis stipendia se facturum et grata semper obsequia prestiturum. Succedentem fortunam Atila nequaquam remoratur, sed ultro progrediens Argentuariam, quam nunc Argentinam dicunt, acri obsidione circumvenit, que etsi nullo munitionis genere careret, ita tamen die noctuque admotis undique machinis quassavit, ut urbe brevi tempore potiretur; preda ingens hinc abacta et non mediocris patrata cedes. Tantus itaque 17 pavor Gallos incesserat, ut cuncta deditionem oppida sponte facerent, sed parum quandoque deditione profecerant, quando per eam a vita parum, a direptione se minime redimebant. Direptam Argentinam dirutis menibus Polydopolim edixit appellari quasi multis viis accessibilem ac edicto addidit indicta capitali multa in vic-

torie sue monumentum, ne qua ex parte quassa menia resarcirentur.

In Remenses castra deinde mota, quos, cum opulentissimos
 accepisset, pari furore oppugnare cepit. Cum oppidani aliquantis-
 per obstinate resisterent, dum variis sententiis distrahantur et dum
 de facienda deditio cogitarent et ea quidem condicione, ut di-
 missis fortunis salvi ac incolumes abirent, tanta vi expugnationem
 adoritur, ut nusquam sit cessatum, donec Unni urbe potiti cuncta
 diriperent. Tanta in oppidanos commissa cedes, ut nulli fere eva-
 serint, nulla templorum, nulla etatis ac sexus habita ratio; religio
 et pietas cum humanitate videbatur extincta. Nicasius enim urbis
 pontifex maximus nimia sanctitate clarus ac senio gravis et fortis-
 simus Christiane fidei assertor regio iussu in foro obruncatur. Om-
 nibus aris iniectus ignis multique sacerdotes, matrone ac virgines,
 que in sacras edes, ut vitam apud deorum simulacra tuerentur,
 sane confugerant, apud aras cese sunt. Sed, quando de Nicasio viro
 sanctissimo iam mentio fieri cepit, ne quid in oratione piaculi com-
 mittatur, aliqua referemus.

Paulo ante tempore, quam in Gallias Unni penetrarint, prefer
 ea, que dicta sunt, multa, ut annales referunt, signa apparuere,
 que diram temporum levitatem portenderent. Assidui imprimis terre-
 motus; varia celum prodigia edidit. Sub Aquilone per noctem ignis
 perpetuus in ethre speciem videbatur et in eo linee hastarum simu-
 lacra referentes, crebra lune obscuratio et defectus etiam cometes.
 Que quidem omnia ingentem Gallie ruinam minabantur et hec Ni-
 casius sepe predixerat et Anianus Aurelianensis episcopus, qui, ut
 divinam deprecarentur iram, assidua contione Gallos ad respi-
 scentiam ac veram religionem hortabantur. Remenses ab Unnis ob-
 sessi Nicasium consulunt, utrum potius agendum, an Unnis faci-
 enda deditio, an pro salute urbis fortissime dimicandum. Ad hec
 Nicasius urbem inquit, quando a Gallis divina iustitia penas exac-
 tura est, nullis profecto viribus propugnari posse; divino Remen-
 sibus numine barbaricum exitium imminere neque tamen omni ex
 parte populo esse desperandum, sed morti sponte occurrendum, ut
 supplicio corporum letam immortalitatem animorum consequantur;
 proinde se pastorem pro suis primum ovibus ultro moriturum, quin
 etiam non secus pro hostium et amicorum salute; omnibus orandum
 divinamque misericordiam pre mortis patientia implorandam. Eutro-
 pia quoque soror ne minore quidem vehementia sublatis in celum
 manibus populum ad pulcherrimam ac salutarem mortem elata voce
 suscitabat. Non minus auctoritate pontificis quam virginis exemplo
 ad martyrium succendebantur omnes, conceptus hinc pudor et re-
 ligio multitudinis animos confirmabat. Soluta contione populum ad
 implorandam deorum opem in basilicam dive virginis dicatam ducit.
 Effractis portis et irrumpente hostili agmine Nicasius cum sorore
 stans pro templo forti animo infestam cohortem expectat et appro-
 pinquanti his verbis occurrit elataque manu silentium indicit.

Quando divino nutui maxima queque potestas obtemperat, cur
 victoriam, inquit, in dignitatis nostre rabiem convertitis? Si nobi-

lium bellatorum est titulus parcere supplicibus et debellare superbos, cur in Christianam prolem suo deo humilem vobis non modo supplicem ad pedesque procidentem, sed imperio vestro parituram et nunc veniam implorantem tam atroci vultu et infestis armis se vivere contenditis? Vos etiam homines esse mementote, verum deum 33 agnoscite fandi nefandive non immemorem. Nolite humana cede et immani crudelitate divinam in vos iram provocare, ne salutis vestre potius insidias tetendisse, quam excidium nostrum anhelasse videamini. Quod si oves meas omnino trucidare pergitis, me 34 cum germana primum obruncate; hanc pro populi salute primam deo victimam mactate. At, si ceteris parcere nolueritis, multo plus 35 vere salutis quam excidii vos Christianis allaturos esse scitote.

Talia iactantem immanis turba obruncarunt, abscissum subinde 36 caput aliquantisper divina verba retulit illudque imprimis: Vivifica me secundum verbum tuum, domine! Eutropia, cum in ipsam barbaros sevitiam remisisse conspiceret, verita, ne ad supra feda reservaretur, in fratris interfectorem infestis unguibus insiluit, Sanctum fratrem, exclamans, magno scelere obruncasti sororemque tibi servas abutendam; iam iam divina te sententia damnatum teneo. Moxque manibus oculos eruit, qua quidem indignitate confestim 38 ab aliis interficitur. Ceteri deinde ad unum omnes cesi tantumque sanguinis effusum, ut siccis urbs pedibus lustrari non posset. Horrenda deinde monstra subsecuta. Celestium numinum acies quasi dimicantes per urbem discurrere videbantur, voces in templis et planctus auditi, insani per noctem visi lemures horrendique apud aras sonitus. Quare tantus hosti terror incessit, ut urbem deseruerit. 40 Civium cadavera, que passim strata iacebant, ab omni corruptione immunia divino quodam miraculo servata miro demum odore fragrant. In destituta urbe lumina nocte multa videbantur, suavissimi cantus audiebantur, quare paucissimi, qui e tanta cede superfu- 41 fuerant, divino iussu in patriam se receperant, sancta corpora incorrupta et redolentia invenerunt, stupore magno correpti rite humi reconduunt imprimisque pontificis truncum nobili sepultura donant, Eutropiam virginem prope sepeliunt; mortuorum fortune invident et gratulantur. Quisque suorum corpora disquirebat inventaque sine 42 tabo et fetore non tam lacrimis quam religiosis ac letis oculis amplexabantur. Civitatis reliquias cogunt, quia multi pre nimio metu ante obsidionem procul aufugerant. Urbem instaurant, Nicasium et Eutropiam ob miraculorum multitudinem inter deos referunt 43 arasque pientissime dicant patriosque deos appellant. Sed de Nicasio hactenus.

Nondum Unnorum furor Remensi excidio expleri poterat, sed 44 fortune dexteritate debacchabatur in dies. Aurelianam urbem opulentissimam ab Aureliano imperatore nominatam Atila obsidere statuit. Quo cum castra movisset, trajecto Sequana fluvio, qui Belgicam a Lugdunensi Gallia separat et contra Britanniam ad Rotomagum urbem in Oceanum mare demergitur, tanta vi oppugnationem adoritur, ut nil magis anhelare videretur. (Hanc velustam 46

Cenomanorum urbem fuisse volunt non minus opibus quam munitione populoque prestantem.) Quamvis artissima supervenit obsidione et admotis machinis graviter oppugnat, parum tamen proficit; nam oppidani neque deditioe neque muneribus neque condicione aliqua hostilem sevitiā sedare posse sperabant. Confirmabant opinionem finitimorum exempla. Nam non solum Forum Tiberii, Constantiam, Helvetios et Remenses, sed Parisios Sequane accolae multaque oppida et pagos pari feritate diripuit. Una obfirmatis spes erat animis aut fortissime resistendo se tueri et longa barbaros obsidione defatigare aut, si aliter acciderit, pulcherrime mori, ut iactura corporum animos a morte redimerent. Dum Atila per Galliam Belgicam et Lugdunensem veluti lupi more inter armenta grassatur, Aetius patricius Romanas copias cum Visigothis per Narbonensem Galliam coniungit in Tolosanumque agrum, ubi Theodoricus residebat, cum exercitu se recepit, ab universis sociis populi Romani auxilia contrahit, ut confidentius cum hoste manus conferat. Quod ubi novit Atila, ancipiti consilio vexabatur, an ultra tenderet et cum hostibus congredieretur, quod Alanorum, Sarmatarum, Saxonum et Visigotharum tropea, quos Unni sepe vicerant stipendiariosque fecerant, plane suadebant, an vero explorata Aetii virtute experientia et fortuna bellica pugnam detrectaret, quod Unni bello nonnunquam antea ab Aetio fusi et fugati fuerant. Spe tandem victorie ductus, qua nimium estuabat, relicta Aurelianorum obsidione, ut hostem audacia vinceret, mox Lugdunum, deinde in Narbonensem Galliam contendit. Alii profecto scriptores rem aliter tradiderunt et sub aliis imperatoribus gestam prodidere. Anianum Aurelianensem episcopum virum profecto omnium iudicio sanctissimum olim habitum liberatorem Aureliane urbis fuisse aiunt. Hic multa antehac sanctitate sua miracula edidit. Nam cum urbem designatus pontifex aditurus esset, Agrippinum magistrum equitum admonuit et oravit, ut sollemnem sui aditus diem damnatorum impunitate et coniectorum in carcerem liberatione celebraret. Quod cum ille abnuere pergeret, demissus e celo lapis in caput decidit; relatus in cubiculum, dum sanguinis profluvio mors immineret, visitantem virum admisit, a quo imposita continuo manu liberatus est sanctoque prodigio correptus omnes miserabiles extremo supplicio multandos impunitate donavit. Anianum igitur artissima urbis obsidio huc adegit, ut pro salute civitatis omnia cogeretur experiri imprimisque divinam opem, qua nullum maius presidium optari potest, quare sollemnes supplicationes celebrari, ipse cum universo sacerdotum collegio urbem lustrare, sacra corpora per alta murorum ambulacra circumferre, sacra carmina concinere, Iesu Christi optimi maximi ac mortalium liberatoris auxilium implorare. Cui dum sacerdos quidam ab hostibus captus per contumeliam illuisset dicens, quod nunc facis, nos quoque incassum id omne fecisse ipsumque deum nunc fidelium immemorem esse factum, presentaria continuo morte correptus interiit. Redintegrato prelio admotis undique urbi tormentis populus ad aras universus confugit, pontifex,

cum deo tantum confidere iubet, mox deum exoraturus menia conscendit, at, ubi dextrum sibi numen adesse sensit, in barbaros exiit. Emissis oris excrementis tam profusi mox imbres continuo defluxerunt, ut quadridui spatium nemo hostium pugnandi causa vestigio pedem movere posset; diluvio castra obrui videbantur, ingenti tempestate et vi ventorum tentoria multa extirpata sunt. Scytharum multi torrentibus tracti, de caelo quoque plerique tacti. Desidente vi nimborum Anianus ex urbe prodit, ut Atila sedaret animum et plebis suae liberationem imploraret, in cuius conspectu ubi se constituit pater tiara et pontificio habitu venerandus,

Cur, Atila, Christianum, inquit, populum tam fera crudelitate persequeris, cur humano sanguine non expleris? Si divino quodam numine flagellum dei factus es, in facinorosorum et profanorum supplicia tuam converte ferociam. Resipiscentibus et vera penitentia ductis ac humillime supplicantibus divino exemplo ignoscendum est, Atila, quando cor contritum et humiliatum deus non aspernit. Collige quandoque te ipsum et sacerdotis huiusce verae predicantis, cum principum limina veritas nunquam adeat, intentius accipe. Memento te natum esse hominem et te ab humanitate destitutum esse non oportere, cum impiis bonum exitum sperare non liceat. Etsi Unnus et Scythia es, Scytharum tamen plerique sunt populi, quibus suapte natura religio est ingenita et iure Basilici veluti reges appellantur. Quam sortitus es potestatem, te a deo potentissimo, a quo omnis, crede mihi, potestas delegatur, accepisse reputa. Impiorum et non fidelium ac innocentium te flagellum et supplicium deus esse iussit. Recognosce potestatem divinitus tibi traditam, qua si abuti perrexeris, haud difficulter amittes. Iustitia et pietas regnorum fundamenta iaciunt, at, ubi haec duo sacra regum numina explosa recesserint, nullum ita munitum est imperium, quod exemplo non corruat. Misericordiam tuam imploraturi, rex maxime, veniam pacemque cum venia postulamus. Si ius divina voluntate et humana culpa in armis situm est, non iniqua petimus. Non conquerimur, quod ab his oppugnamur, quos non modo lesimus, verum etiam nunquam novimus. Neque iniustam oppugnationem, quando ita numina patiuntur, incusamus, sed, ut deditorem et imperata facturos clementer accipias, vehementer oramus. Nil aliud petimus, nisi ut hunc populum regno tuo non indecorem urbe fortunisque suis donare digneris, qui non aliena, sed sua postulat; non tuum detrimentum, sed tui obsequium implorat, incolumitatem liberorum, pudicitiam matronarum et fortunarum conservationem exposcit, pacem ac veniam exclamat, patrie excidium deprecatur et in tuo servitio, si postulata concesseris, se perpetuo victurum et gratissima semper obsequia prestiturum pollicetur. Proinde Aurelianos pace ac venia dona, tutos et incolumes esse iube, solve obsidionem iniustam, anhelatam rapinam inhiibe et castra hinc amoveri continuo impera. Quod per Iesu Christi optimi maximi et liberatoris nostri passionem iterum iterumque supplicamus. Quod nifeceris, hunc sub divina tutela populum esse scito neque divinum

iudicium, quod tibi imminet, te evasurum existimato.

Ad hec Atila crudelitati sue nimis obnoxius, qui sacris preci- 74
bus aures obstruxerat et ad Christi mentionem excanduerat, eum
confestim abire iubet et, ni cito abierit, mortem interminatur. Ani-
anus re infecta in urbem redit, desperatum populum adhuc bene
sperare iubet, ad divinum auxilium hortatur. Ipse clam divina ope 75
fretus urbe egreditur ac nemini visus per media hostiũm castra
ad Aetium iter facit, haud procul hinc cum Thorismundo Theodo-
r. ci filio castra metientem imminentis admonet necessitatis eumque
cum Romano Gothicoque exercitu opem properare obtestatur. Aetius 76
re cognita cum copiis advolat, Unnos incautos et nil sibi timentes
in castris aggreditur; excitato tumultu pars arma capere, fuga sa-
lute[m] plerique querere, munitissimas stationes alii occupare, mi-
sceri et turbari omnia. Interea, qui pro vallo pugnarunt, occubere 77
multi, saucii fuere alii; qui e castris aufugerant, ut in proximis
sylvis delitescerent, omnes fere cesi. Ex his multi in Ligeris fluenta, 78
qui e Cevenis montibus non procul ab Arvernīs oritur et Lugdu-
nensem a Celtica et Aquitania Galliam disternans in Oceanum
longe delabitur, se proiciunt. Oppidani resumtis animis ex urbe 79
prodeunt ac cedem augent, quod ubi rex Atila vidit, collectis co-
piis obsidionem solvit, in proximum montem se recepit cogitans
non cum oppidanis, sed hostibus instructa acie esse confligendum.
In hoc Anianus prelio ex Unnis multos plane servavit, quos co- 80
ram se cedi egre ferebat sacrisque precibus a Romanis et Gothis
redimebat. Aureliani pontificia virtute liberati deo gratias agunt,
apud omnes aras sacra faciunt, modulatos hymnos deo concinunt,
religionem augent, mutatis moribus pietatem colunt, liberatorem
urbis Iesum Christum longe religiosius adorant, hunc unicum et
verum deum exclamant. Eo anno tanta frumenti copia exuberavit, 81
ut non solum periculo hostili, sed fame urbem mire deus liberasse
videtur. Anianum paucis post annis vita defunctum de populo suo
optime meritum inter deos referunt eique anniversale sacrum pie
concelebrant.

Plerique scriptores Atilam idcirco Aurelianam obsidionem di- 82
misisse produnt, ut Aetium, quem pro spectata virtute et gesta-
rum rerum gloria nimium verebatur, in Narbonensem Galliam cum
magno exercitu venisse castraque cum Gothis haud procul a To-
losa coniunxisse noverat. Iordanis ab his longe dissentit Sangi- 83
banim Alanorum regem futurorum metu perterritum Aurelianam
Lugdunensis Gallie civitatem ultro Atilae traditurum fuisse pollicitum,
Aetium et Theodoricum Gothorum regem re intellecta Aurelianam
diruisse ac Sangibanim habuisse suspectum eumque, ne a Romana
societate deficeret neve nocere posset, in medio inter auxiliares co-
pias collocasse, quod ubi ab Atila intellectum est, ex alta eum spe
excidisse; videbat enim, si Alanos a Gothis divellere poterat, se
cum hoste tutius congressurum. Ungarorum annales longe dissentiunt 84
conflictumque Catalaunicum et Aurelianam obsidionem Remensi ante-
ponunt Atilamque ante Gallias ingressum Constantiam, Luxovium, Bi-

zantium, Chalum, Matisconem, Lingonem, Burgundiam et Lugdunum ante Aurelianos et Remenses expugnasse. Utrum potius asseramus, 85 nondum satis compertum habemus. Sed Atilam dimissa Aurelianorum obsidione, dum in Narbonensem Galliam adversus Aetium Theodoricumque contendit, Lugdunum tunc expugnasse credimus vetustam quidem urbem ac intermedie partis Gallie metropolim in eoque colle sitam, ubi Arar amnis Rhodano commiscetur. Florente 86 imperio Romano hec quoque et opibus et viris mirifice claruit, emporium ibi celeberrimum habebatur magno civitatis usui accommodatum, aurea argenteaque moneta ibi cudebatur ducesque a Romanis designabantur. Templum quoque nobilissimum communi Gal- 87 lorum impensa factum Augustoque Cesari dicatum, quod stabat ante urbem, ubi fluenta coeunt, in quo ara est dignitatis eximie sexaginta gentium numero inscriptum titulum habens et earum singularum una statua, subinde ingens ara sita est. Segusiavis omni- 88 bus Lugdunum presidebat. Ad aram poetarum ceterorumque scriptorum certamina agebantur, ubi, quicumque succubisset, aut spongia delere scripta aut in profluentem demergi cogebatur. Clarissi- 89 mam igitur urbem tanta rabie Atila circumvenit bono presidio spoliata, ut intra paucos dies in deditionem acceperit. Mox preter Rhodanum festinatis itineribus Allobroges, Viennenses, Valentinos, Salluvios, Avenionenses Arelatensesque ac ceteros Rhodani accol- 90 las diripit et infestat pacemque plerisque venundedit. Dum per Narbonensem, ut aiunt, Galliam iter facit, e praeceptis montibus heremita quidam inculto habitu demissa barba et squalore multo admirandus adducitur, quem augurem prestantissimum et divine mentis esse conscium rumor erat. Benigno vultu in conspectum regis 91 admissus rogatusque perhumane, ut regia fata retegeret, ubi cogitabundus aliquantisper constitit,

Rudem, inquit, et ignarum ac sylvarum accolam, rex maxime, 92 divinam cogis mentem interpretari et ea quidem futurorum arcana referre, que nemini, nisi cui divina clementia plane retexerit, patere queunt. Qua me sapientia peditum esse putas, quem terre vermiculum vel precipue tacendo videor profiteri? Sed, ut hinc ineffabilem dei mei potestatem, quem ignoras quenque tantopere in perniciem tuam ipse prosequeris, nunc intelligas eiusque gratia futura nonnulla me predicere posse scias, quamvis licentius, quam forte decebat, verba facere videor, divinam tamen sic mentem habeto: Prepotentissime Atila, deus, qui tot gentium regit imperium, 94 iracundie sue gladium tue dextere tribuit, ut per te pariter ac dei flagellum et per diram crudelitatem tuam mortalis impietas iustitie sue numine puniretur. Traditum iracundie gladium, cum voluerit, 95 is auferet, qui tradere potuit, ut imperare aut bello omnia vincere non humane, sed divine potestatis esse intelligas. Tu contra delegato munere abuteris, quando neque eum, qui delegarit, neque munus gerere noveris. Plus, quam equum et fas est, quandoque 96 sevis. Pios potius quam impios rapis ad supplicium, nihil tamen proficis, quandoquidem illorum saluti et exitio tuo consulis. Nunc 97

in expleta rabie Romanos Gothosque insectaris gravissimum cum his prelium conserturus, de quo sic habeto: In eo, mihi crede, Romanis eris inferior; neque tuus delebitur exercitus, sed Unnorum magna cedes agetur, ut quandoque resipiscas et creatorem tuum agnoscas; neque ante prestitutum a deo tempus Christiane persecutionis gladius tua dextera excidet neque tuum hoc bello abrogabitur imperium. Proinde tibi resipisce, deum omnipotentem time, 98 iustitiam et pietatem cole, quod ni feceris, presentaria te morte perituum esse scito.

Ad hec ingenti Atila stupore percitus virum solitudines inco- 99 lentem amoveri et sub custode civiliter teneri iubet, at, ubi heremitam audivit, consulendos pariter suos haruspices censuit, ut, an collata utrorum responsa congruerent, demum experiretur. Eos extemplo acciri iubet, imperat victimas et sacra parari. Dum pecorum 100 exta consulunt fibrasque rimantur et venas abrasibus ossibus intuentur, infaustam Unnorum pugnam hinc fore hariolantur, nil quoque boni exta portendere, nisi primarium hostium ductorem futuro prelio interituum eiusque interituum Romanorum triumphum intercepturum. Respiravit ad hec Atila ratus hinc Aetii mortem, quem nimium for- 101 midabat, omnino monstrari, quam suorum salute cariorem habendam esse arbitrabatur. Sat gentium ad supplementa legionum sibi esse reputabat, si sapienti et fortunato hoste carere posset, nullam victoriam maiorem sibi fore rebatur. Aetii tantum mortem anhelabat, 102 quam si sortiretur, nil ulterius verebatur, cetera e sententia successura putabat. Quare, cum sibi diffusus de vertendo sepe pede co- 103 gitasset, nunc aucto animo hostes, qui in extremam Gallie Narbonensis oram concesserant, ultro insectandos esse decernit. Facto 104 igitur agmine post Rhodanum Araurim amnem, deinde Orobim, Atacem Ruscinonemque traiecit Tectosagesque extremos Narbonensis Gallie populos invadit, ubi campi Catalaunici ad Illiberim fluvium patentissimi sunt. Haud hinc procul hostium castra aberant fossa 105 valloque munitissima, ne a barbaris facile capi possent, a Tolosa urbe non remota, ubi Theodoricum Gothorum regem presidere iam diximus. Potentissimi in campos Catalaunicos pari utrinque 106 spe duces ultro convenere, ut de communi salute imperiove decertarent. Qui quidem campi etiam Mauriaci dicti sunt centum et 107 quinquaginta milibus passuum in longitudinem effusi, in latitudinem vero centum. Innumerabilium area populorum fuit pars illa terrarum. Aetium et Theodoricum postquam Atila cum innumera- 108 bili exercitu et validissimis auxiliis advenisse vidit, haud parum indoluit, quod adversus soltanum Mirmanon appellatum et Mauro- rum regem, qui Lusitaniam in Hispania occuparat, tertiam sui exercitus partem miserat, quam si in hoc formidolosissimo bello habuisset, multo audentius in potentissimo hoste congregari potuisset. Soltanus autem visis Atilae copiis traiecto Gaditano freto in Maure- 109 taniam se recepit; non ignorabat enim decem cum Aetio et Theodorico reges coniurasse, siquidem universi fere Occidentis populi, veluti Burgundiones, Alani, Franci, Saxones, Ripari, Olibriones,

Sarmate, Brittones et Liticiani cum Romanis et Gothis adversus Unnos fedus iniverant maximaque auxilia Aetio attulerant. Quare litteris inducias exposcit simulans, ut tot gentium incolumitati consulatur, se interea de pace commodius acturum. Aetius magister equitum, qui eius artes optime callebat ac expectandi auxilii gratia id fieri noverat, obstinatius abnuit. Ad prelium invitat, ibi se vires Atile periclitaturum interminatur, ubi equis utrinque viribus in patentissima planitie pugnari potest, ibi quoque Martem, an Romani Scythis, ut semper olim, an Scythe Romanis imperare debeant, utrisque plane definiturum. Cum eo ventum esse Atila intelligeret, ut neque terga vertere neque pugnam detrectare liceret, cum spem omnem in futura morte Aetii collocasset, veluti haruspices paulo ante predixerant, sueque gentis cedem non magni faceret, quam facile pre nimia populorum multitudine resarciret, ad futurum prelium animum intendit. Cum utriusque exercitus in campis Catalaunicis sub Tolosa constitissent et tanti quidem, quantos nunquam Europa vidit, acies in hunc Ablabius modum struxisse refert Atilam imprimis mulieres puerosque omnes intra carros, quibus pro vallo fossaque utuntur, ad proximos colles recondidisse seque cum Unnis in media acie statuisset, Ardarichum Gepidarum regem dextro, Valamirem, Thiudemerem et Vidimirem cum Ostrogothis sinistro cornu prefecisse, universum in aciem exercitum extemplo redegisse, ne imparatum hostes adorirentur. Et, cum sibi propter haruspicum responsa timeret, nona diei hora manum conserere decernit, ut, si res aliter eveniret, sub pretextu noctis prelium dirimeret. Contra Aetius patricius et Theodoricus longe cunctatius acies eduxere, quippe qui Sangibanis Alanorum regis perfidiam veriti, quem ab Atila muneribus ita corruptum acceperant, ut, cum pugna conseri cepisset, tunc ad Unnos ex composito transfugeret laborantibusque Romanis et Gothis a tergo instaret, huic periculo prius prospiciendum esse censuerunt. Rem dissimularunt nec acerbius quicquam in Sangibanum statuerunt, ne Alanos iniquo tempore ac loco sibi abalienarent viresque hostium auferant. Sangibanis municipium Tolose finitimum, ne qua prodicione ab Unnis caperetur, clausis extra portis adactis obicibus obstruxerunt, quin et stationes adhibite, ne quis ex hostibus ingredi posset. Sangibanum in media acie inter auxilia collocarunt, ne quid contra moliri posset. Theodoricus cum Thorismundo filio sinistram cornu, ne cum Ostrogothis sui sanguinis congregari viderentur, optarunt, dextrum vero Aetius cum Romanis, Burgundionibus et Meroveo Francorum rege tenuere. Inter infestas acies in medio tumulus erat pari utrinque spatio remotus et utrisque perquam commodus; nam, quicumque tumulum occuparet, cum haud facile inde amoveri posset, victoriam tutius sperare poterat. Atila, qui prius acies instruxit, inter medias legiones ita disseruit:

Venit tandem, quod semper, commilitones, optavimus, ut eo angustiarum Romanas copias redigeremus, ubi aut turpem deditio- nem facere aut, si quid ausi fuerint, vestra manu occumbere co-

gerentur. In extremam Narbonensis Gallie oram se receperunt, dum 124
vos fugiunt et Gallos a vestris armis vindicare nequeunt, unde
se facile expedire non licet: hinc mare Gallicum montesque pro-
hibent, hinc vestra agmina ac flumina circumveniunt pedemque
referre minime patiuntur. Ad extrema res Romane redacte sunt, 125
que si nunc virtute vestra proterentur, neque vos ultra pugnare
opus erit neque ille amplius resurgere poterunt. Nam omnes in 126
hoc prelio vires coegere, quibus absumptis nil reliquum est, quod
orbis imperium nobis impediatur. Ne id quidem spe ancipiti expec-
tandum, quando rerum omnium vicissitudinem esse cuncta numina
iubent; neque in rebus humanis firmum et perpetuum quicquam,
sed momentanea ac fluxa omnia, nisi ea, que vis et arma confir-
mant. Sat populus Romanus imperavit, sat universos orbis popu- 127
los ludibrio habuit, sat humanarum gentium cervicibus insultavit,
quem nisi Scythia fecundissima gentium officina repressisset, adhuc
misellus orbis imperiosa hac tyrannide teneretur. A solis exortu 128
Parthi nostra generosa propago primi eorum furorem et audaciam
coercuerunt, ab Aquilone Daci, Gete Sarmateque et nostri nuper-
rime Gothi, ab occasu Cimbri ac Galli, a meridie olim Carthagi-
nienses et cognati nobis Vandali, Unni nunc et progenitores nostri
maioribus rem viribus adorti. Omnes fere provincias populi Ro- 129
mani Danubii accolae nobis dare ceperunt. Nos autem Pannoniis
Mysias, Thraciam, Macedoniam, Achaïam ac Illyricum adiecimus,
cuncta discursavimus armisque occupavimus. Item Germanos, No- 130
ricos, Vindelicos, Retos et Suevos dicioni nostre coniunximus. Gal-
lias nostris copiis ita pessundatas reddidimus, ut vicatim qui-
dem et oppidatim incendii ac ruine monumenta fecerimus. Soltan- 131
num Hispanias anhelantem in Mauretanium reiecimus. Proinde quid
superest, fortissimi viri, nisi ut novissimum hunc Romanorum
exercitum ad interitum cedamus et Visigothas, qui ab Ostrogotha-
rum nostrorum cognatione perfide defecerunt, non immerito ulci-
scamur. Cum Romanis miserrimi coniurarunt, quorum iam fere im- 132
perium extinxerant, a suo sanguine defecerunt, ut cum dominis
coniurarent eisque demum, ut olim antea, servirent. O deperditam
stultitiam, o servilem perfidiam! Quos si equo Marte vicerimus, ex 133
hac nunc hora Visigotharum imperium in perpetuam Ostrogotha-
rum servitutem cum ipsis asserendos predico, iubeo et addico, ut
demum serviant, qui imperare nescivere. Venit igitur illa dies, que 134
laboribus expeditionibusque vestris finem imponet neque cum libe-
ris et uxoribus amplius peregrinari oportebit. In opulentissima et
mollissima Italia requiescemus et a Capitolina arce universo im-
perio prospiciemus. Mars pater tandem nostri miseratus, in cuius 135
manu cum sint cunctorum iura regnorum, nobis, ut vobis om-
nibus exploratum est, suum ense mirifice tribuit, ut vobiscum
omnibus terrarum populis imperaremus. Dexterrimus tamen ille 136
pater Scythiceque gentis deus prepotens ad novissimum Romanos
cum Gothis cenatum redegit, partim ut uno tantum prelio omnia
vinceremus, partim ut in tanto hostium apparatu Scytharum sese

vires periclitarentur eorumque virtus clarior fieret. Me si solita vir- 137
tute ac fide prosequemini, iam iam victoriam vobis partam existimate. Cum his vobis pugnandum est, quos sepe vicistis. Romanos e Dacia, Germania, Pannoniis, Mysiis, Noricis et Illyrico eie-
cistis, Visigothas sedibus propriis expulistis. Non cum novo hoste, 138
sed cum plagiario servo nobis hodie res est, invictissimi viri, quibus superatis mox inermes Romanum et totius orbis imperium obibitis. Neque vos gregariorum numerus plane deterreat, quando servos, calones, lixas et agreste quodque vilissimum genus hominum in legionum supplementa sumpserunt. Veterani vos estis et laboribus 139
militariibus assueti neque veram dimicandi artem ignoratis. Accedit continuata victoria, que ita hostium animos censternavit, ut ne vultum quidem Scythicum videre, nedum congregi comminus audeant. Hec victis misera est data condicio, ut servili animo 140
affecti facile obversari nequeant. Contra victoribus plus equo semper attollitur animus. Quare, cum sub meridie signum pugne dabitur, Scythica virtute pugnate, commilitones invictissimi, Romanam superbiam contundite, vestris armis e collo gentium servilia iuga recidite. Subactum orbem in libertatem asserite. Incumbite 142
glorie et immortalitati Scythice virtutis non immemores. Inter pugnandum sepe vobiscum reputate uxores liberosque vestris dexteris esse sitos. Quod si qua fati iniquitate animos remiseritis, cogitate, quando nullus fuge relictus est locus, vos cum liberis et uxoribus ad unum omnes esse interituros; proinde forti animo pugnate et, quando in hoc novissimo prelio totius orbis Unnis propositum est imperium, usitata virtute totisque viribus omnino certate ac vincite.

Aetius contra suos hortatur et incendit, ne a Romana dignitate degenerent, antiquorum magnanimitatem et fortitudinem imitentur, imminentem Romane reipublice servitutem, item excidium publicum animo pensitent; Scytharum immanitatem memoria repellant, quibus mos est non solum mortalium cedem non abominari, immo humanum sitire sanguinem, sed ne parentibus quidem parcere, quos senescentes frustillatimque dissectos avidissime devorarent, item hospitali sanguine litare, infantium ora ferro discindere, cadaveribus hostium famem explere; si terga turpissime verterint contra imperii Romani maiestatem, non his modo fata crudelissima imminere cesosque viscerationes Unnorum opiparas esse futuros, verum etiam, quod est longe miserius, liberos, uxores cum fortunis omnibus in feram servitutem raptum iri et, quecunque Scythica libido iusserit, perpessuros; quin etiam firmissima tenendum esse memoria, que et quot mala ab Unnis acceperint, quantum stragem ad Potentialiam urbem decem milibus passuum a Buda remotam per Tetricum et Macrinum subiverint, quot provincias imperii Romani igni ferroque vastarint, Macedoniam terrarum quondam dominam, item Greciam rerum quandoque potitam, ad hec Illyricum, Mysiam, Thraciam, ne quid de Pannoniis dixerim, omnes immanitate diriperint, quot socios populi Romani, quot 144
145
146
147

Romanos cives cum ingenuis matronis in captivitatem abegerint; et nunc hanc gentem immanissimam ad humanorum suppliciorum 148 ministeria natam totius orbis imperium anhelare, quod facile consequentur, si Romanum deleverint, quod Iesus Christus optimus maximus avertat et pro divina benignitate sua urbis Rome imperium tueatur, ubi sacrosancti vicarii sedem elegit; quid tunc dixerint, si qua forte ignavia cesserint, cum non modo se, verum et 149 in conspectu parentum filios palis prefigi aut discindi dissectosque viderint devorari, uxores prostituta pudicitia passim in virorum ludibrium incestari, omnia igni ferroque misceri, ad hec templa credibus fedari, ante Christiana simulacra et ora deorum vim ubique virginibus inferri, que quidem omnia ipsa morte forent longe miseriora? preterea prelium presens non ita magnum, 150 ut animis consternerentur, neque ita parvum, ut aspernentur; se cum Unnis sepe in Mysia Thraciaque Theodosio imperante pugnasse, fudisse ac fugasse semper; de magnis homines sepe maiora 151 referre solitos, gentem esse inermem, vilissimam ac numero tantum confidentem neque Romano more tutissima arma ferre pugnareque; sepe Romanam legionem XX hominum milia non modo fudisse, sed cecidisse ad interitum; proinde Romane virtutis, acceptarum iniuriarum et maiestatis imperii Romani item liberationis gentium ac impendentium malorum et excidii totius orbis, cum signum pugne dabitur, reminisci oportet; Aetii fortune confidere, qui cum Unnis semper gloriose pugnaverit; fortissimo animo omnes congregi hostesque proterere hortantur; victoriam in manu esse, si Romana virtute certarint; exhausta hostium esse castra atque 153 ideo inducias Atilam instantissime petiisse; illum aut perpetue servitutis et excidii aut eterne libertatis et glorie fore diem; nihil adversi reformidandum, quando numero, viribus et causis longe potioribus Romani prestarent, qui pro aris, focus, orthodoxa fide, pro liberatione gentium et maiestate populi Romani manus conserere coguntur; quarum rerum gratia neque mortem expavescendam neque pugnam acerrimam recusandam, cum tot commodorum et glorie premia proponantur; qui his non moveantur, a necessitate animos capere oportere, cum aut pulcherrime omnes vincere aut turpissime mori adiganur; se nusquam legionibus abfuturum, omnia summa prudentia et fortitudine gesturum et ea demum mente 156 pro republica dimicaturum, ut vincat, aut, si iniqua sibi fata fuerint, omnino inter confertissimos hostes oppetiturum nec incruentam barbaris victoriam relicturum.

His verbis Romanorum animi usque adeo succensi, ut nihil 157 victoria et propugnatione reipublice ducerent antiquius, nihil gloriosa morte prestantius reputarent. Multos religio excitabat, indignitas 158 alios, partem maximam necessitudo, ceteros dignitas imperii Romani, quam sic perditum iri egerrime ferebant. Gothi in altero cornu a Theodorico hortabantur neque Gothica lingua minus incendebantur. Ast, ubi duces utrinque constitere, potiores quisque partes in congressu expectabat. Atila sub meridie pugne signum 159

dari iubet, ut, si forte Unni cesserint, imminente nocte tutius fu-
 giant in salutaremque locum se recipiant. Dato signo ita concur-
 ritur et animis usque adeo infestis, ut cornua sepe pariter utrinque
 contigerint. Prelium pro gentium numero et immanitate maximum 160
 atrocissimumque conseritur, preterea sic anceps et varium, ut ne
 a ductoribus quidem posset rite referri. Mox, ubi comminus pū- 161
 gnari ceptum est, tanta cedes utrinque patrat, ut rivi sanguinis
 undique defluerent, mox continuata strage in cruoris torrentes red-
 acti usque adeo rapidos, ut cadavera traherent. Romane legiones 162
 non minus armis quam ordine frete inter inermes barbaros pre
 gravissima iniuriarum memoria tanta ferocia seviebant, ut nullo
 cuorvis profluvio explerentur, contra ne minore quidem sevitia et
 immanitate Scythe, qui Romanum imperium affectabant; pari ali-
 quamdiu spe ac viribus utrinque pugnatum. Tantus in medio e 163
 cadaveribus in longum excrevit acervus in perpetui speciem agger-
 is, ut vix se utrinque obtuerentur miserabilem eos murum dir-
 imere reputantes, quem mox certatim utrinque conscendere nite-
 bantur, ut de altiore loco pugnarent. Sed, cum Aetius et Gothi 164
 obstinatius aliquanto instarent rati de summa reipublice eo die de-
 cerni Gepidasque et Ostrogothas aliquantulum inclinarent, utpote
 qui Romanis nec armis nec numero pares se putabant, Atila labo-
 rantes socios conspicatus accito validissimo Unnorum agmine ex-
 templo succurrit, suos allato subsidio firmat, acerrimum atroxque
 prelium in cornibus redintegratur, multos cedit, quos intelligit terga
 versuros. Dum victoria pariter utrinque speratur, Thorismundus 165
 tumulum in medio stantem cum Romanis cohortibus occupat, quem
 ubi fortissimo Romanorum Gothorumque presidio sane muniverant,
 pugnam mox acriorem instaurat. Romani tuto dimicant, quia loco 166
 edito facile deiici non poterant, Unni contra deiicere desperant,
 quando instanti Aetio et Theodorico in equo solo amplius egre
 resistebant, sub vesperum tandem terga dare coacti palantes effun-
 duntur. Romani cum Gothis a tergo instare, cedere cadentes, fugi- 167
 entes celerius insequi. Theodoricum cum equitatu suo ardentius
 insequentem magis suorum pressura quam hostium ferro occubu-
 isse dicunt. Iordanis equo depulsum, dum milites exhortans usque 168
 quaque discurreret, suorumque pedibus conculcatum vitam matura
 senectute clausisse refert. Aliqui Andagis Ostrogothe telo confos-
 sum haruspicum presagia confirmasse referunt, quamvis Aetium
 moriturum Atila reputabat. Visigothe relictis Alanis Unnos tanto 169
 impetu aggrediuntur, ut parum abfuerit, quin Atilam interficerent,
 sed ille sensim in castra se recipere cogitabat. Prelium cum ingenti 170
 strage ad serum usque continuatum. Victores Gothi cum Romanis
 obscure noctis interventu remorati, cum receptui canerent, pedem
 referunt et ita prelium nocte diremptum. Atila cum magna clade 171
 fusus intra carrorum septa se recepit eaque scutatis in valli muni-
 tissimi speciem circumsepsit, quod tempestate quoque nostra Un-
 gari facitiant, item sagittarios imponit, ut forte circumventus ab
 hostibus, dum instruitur in castris acies et educitur, eos facile pro-

pulsare queat; desperata fere salute, dum veretur, ne vivus in ho- 172
 stium potestatem adducatur aut mortuus sepultura careat, struem in
 rogi speciem in mediis castris e iumentorum clitellis congeri iubet
 familiaribusque mandat, si quid adversi acciderit, eum continuo
 interficiant, impositum clitellarum pyre subiecto mox igni combu-
 rant, ne Romani triumphum regio corpore honestare videantur.
 Plerique scribunt Thorismundum quamvis ceca nocte Atilam tamen 173
 in castra usque secutum ad carrorum septa fortiter dimicasse ac-
 cepto in capite gravi vulnere equo excussum a suisque relatum,
 Aetium nimia noctis obscuritate deleritum, ne inter hostes vaga-
 retur, prelium diremisit in castraque relatum scutatorum circum-
 septu insomnem eam noctem exegisse. Ea nox cum magna trepidatione 174
 ab Unnis acta, nam admodum reformidabant, ne vi castra
 ab hostibus caperentur. Quamvis bellicis diei laboribus cunctorum 175
 corpora confecta fuerant, quisque tamen armatus suis stationibus
 pervigil stare, exploratores circumvagari, ex edicto armis, tympanis
 tubisque sonitare, clausi incursionem interminari, multa ex arte fa-
 cere, quibus deterritos hostes a castrorum obsidione dehortarentur,
 ne pre annone inopia ibi sine armis fame tantum conficerentur.
 Romani cum Gothis comperto Theodorici regis interitu e 176
 summa letitia plausuque ingentis victoriae in gravissimam deieci tristitia
 non tantum gaudii quantum doloris repente conceperant,
 insomnes in castris noctem exigunt, planctu et vociferatu omnia
 complent. In sequenti die Thorismundus cum magno agmine campos 177
 prima diei hora perlustrat, patrem inter confertissimos hostes
 iacentem invenit inventumque redintegrato luctu subcollantibus mili-
 tibus in castra refert; ducem Romanum, legatos Augustales, primi-
 pilos ac omnes legionum auxiliorumque prefectos profusis lacrimis
 obtestatur, secum arma capiant, paternam, ut par est, mortem
 ulciscantur ac reliquias hostium omnino deleant; Theodorici manes 178
 tales sibi inferias postulare neque fas esse Tolosam redire, nisi patri
 pientissimo prius ita parentaverit, ne paterno regno censeatur indignus.
 Aetium plerique ferunt Atilam cum reliquo exercitu, si voluisset, 179
 ad ultimum potuisse interitum redigere, sed veritum, extincto Un-
 norum exercitu ne mutatis animis Visigothe cum Romanis iterum
 pro imperio certare cogerentur; neque immemorem se Unnorum 180
 ope imperatoriam gratiam recuperasse neque inscium enervatas
 Unnorum vires, presertim cum pugnandi peritia careant, sibi ampli-
 us nocere non posse. Ne Gothorum audaciam auget, Scytharum
 reliquas deleri non permisit. Thorismundum paterne mortis vindictam 181
 anhelantem pluribus consolatur et eam preterire nefarium
 arbitratur, sed, cum benivolentia cum patre diu instituta et cum
 filio instaurata ex corde consulere iubeat, iuvenem admonet esse
 ei germanum fratrem regnandi cupidissimum ac etate iam animoque
 prestantem; magnopere verendum, ne, dum primigenius ipse in 182
 ulciscendo patre cunctetur, ille regnum occupet eumque legitima
 dignitate defraudet; proinde sibi videri, sue prius is consulat utili- 183
 tati, regnum sibi debitum accipiat; si id contemnat et pugnare

pergat, haud parum ad dubitandum esse, quando non eundem quotidie servat belli fortuna tenorem, ne ab hoste superetur superatusque aut viribus imminutus usurpatum a fratre imperium recipere nequeat; itaque prepropere festinandum, regnum obeat, ne a fratre preveniatur. Thorismundus Aetii consilium approbat ratus paterna quadam hec omnia caritate locutum; paternum corpus Tolosam refert, cui funus pro dignitate celebratum ludique funebres tribus diebus in honorem editi. Patrem presente Aetio ceterisque populis pro contione laudavit et hec verba fecisse dicitur:

Paterna me fortuna docuit, fortissimi principes, nihil in rebus humanis inveniri posse, quod sit omni ex parte beatum, atque, si altius sentire velimus, nil preter dolorem, sollicitudinem et miseriam in hac laboriosa vita consistere et, quo magis dignitate, statu viribusque pollemus, eo impensiolem in nos fortunam dominatum exercere. Prepostera, mihi credite, nomina fecimus et, dum maiorem anhelando potestatem nobis ipsi sapere videmur, eo magis profecto desipimus. Nam humiles et imbecilli, quos miseros dicimus, nobis certo longe feliciores habendi sunt, ne tot quidem labores obeunt neque tam mordaci sollicitudine et ardenti cupiditate afficiuntur neque tot doloribus excruciantur neque tot et tanta pericula subeunt neque tot mala reformidare coguntur; si mortem imminentem adverterint, non secus ac miseriarum omnium assertricem non metuunt, non expavescunt, sed expectant, invocant et implorant. Contra nos mollius et delicatius educati nil morte miserius ducimus, continuatam letitiam et fortune dexteritatem appetimus, in qua enutriti mala inopinata molestius toleramus et quandoque usque adeo insolescimus, ut nulla nobis incommoda accidere posse arbitremur, veluti peculiare bone fortune filii. O miseram mortalium condicionem ac regum vel precipue longe miseriolem! Sperabam, pater optime, te triumphantem hodie cum Aetio collega Tolosam aditurum catenatosque reges longa pompa ac ordine perducturum. Nunc autem pro triumpho, nescio, qua fati iniquitate, ne qua solita letitia exhilaremur, flebiles tibi cogor exequias comparare tuique milites pro triumphali plausu faustisque acclamationibus miserabiles adiguntur edere ululatus. Nec aliquis defuit doloris impatiens, qui adacto pectori pugione, ne fideliolem tibi in bello societatem quam in morte comitatum afferret, tecum ad inferos descendere recusarit. Aetii prudentia et fortitudine tua, pater optime, vicimus neque ullum tue victoriae fructum legis. Nos cum Aetio et morte et servitute liberati, nos contra te tuo fato liberare nequivimus, omnes legiones, que te nunc miserime lugent et in conspectu tuo gloriari et exultare cupiebant, an te an victoria carere malint, adhuc pientissime hesitant. Victoriā amisso duce sortiti quonam modo victoria potiri sine victore poterimus? Me miserum, cui, veluti in conspectu tuo acerrime pugnare, ita coram te parta victoria gloriari non licet. Ne felicem quidem Aetium verum reipublice assertorem dicere possumus, cui pre innata modestia amisso collega iure triumphare non placuit.

O inquam insidiosamque fortunam, quippe que pientissimo pa- 197
renti tantopere arrisisti et nunc aversa non tantum per tot annos
commodorum attulisti, quantum parvo nobis momento abstulisti,
patrem regio Gothorum genere donasti, extulisti ad imperii fasti-
gium, omnium gerendarum rerum gloria fortunasti, preclaram conciliata tecum natura sobolem prebui- 198
sti; cum Romanis imperare voluisti et in Gallia vel maxime Narbonensi, que ceteris terrarum
regionibus et celi benignitate et civiliū prestantia morum iure debet anteferri, in rebus bellicis et in equissima populorum gubernatione ita fortunatum reddidisti, ut cum prestantissimo quoque Gothorum rege, quando id benigno ab omnibus animo accipi velim, merito conferri possit. Quantam Gothis gloriam, pater, attuleris, nemo ignorat et, quanti momenti fueris, tui societas et amicitia a cunctis potentatibus ambiciosius expetita plane testatur. Immanes te Unni quotidianis litteris et largitionibus vexabant, Vandali, Alani, Burgundiones et Germani impensius exposcebant. Imperii Romani maiestatem quadam animi generositate observasti. Asiatici et orientales populi colebant. Ostrogothas ab Unnis oppressos et in servitutem assertos vindicare voluisti et iam vindicaveras, nisi mors iniqua prohibuisset. Dirum Atilam, qui se dei flagellum appellari edixerat, maiore longe flagello afflixisti; iugum e collo gentium reppulisti. Te una cum Aetio collega tuo humani generis liberatorem omnes iure legiones appellant, te iure Gallie regem, te iure Gothi patrem pientissimum, te iure Alani ac omnes populi patronum fidissimum, te iure milites imperatorem clarissimum indulgentissimumque ingeminant et exclamant. Vos autem, commilitones, quo possum, studio nunc exoro, qua patrem fide, benivolentia et virtute prosequi curastis, eadem uno omnes consensu Thorismundum primigenium complectamini. Hoc patris in vos pietas, hoc ius hereditarium et equitas omnis exposcit. Vos quoque, germani fratres, postquam ita factorum series imperavit, ut patre pientissimo careremus, date operam, ut virtuti ac glorie studeatis, nihil agatis a dignitate regia alienum. Nullas illius manes inferias gratiores expectant, quam suarum virtutum emulationem, a vobisque non modo equari, sed superari quoque equo animo patiuntur neque nos aliud exorant, nisi ut concordēs quiete glorioseque vivamus et vestigia sua usquequaque sectemur. Ego autem, quem leges et geniture iura iubent commilitonesque salutant, si regem esse iusseritis, non ut solus imperem, qui vobiscum regnare desidero, sed ne prepostere vivamus neve meo iure defraudari videar, nunquam a vobis neque officio neque pietate neque studio neque beneficentia aliqua superari facillime patiar. Non mihi, sed vobis et Gothis regnare percupio ceterosque populos dicioni nostre subiectos de me vobiscum bene sperare iubeo. Proinde concordiam imprimis pietatemque colamus, fratres mei, seditiones et iniurias prohibeamus nosque ad utilitatem publicam natos existimemus. Quid regia dignitas postulet, die noctuque meditemur, paterna gesta tanquam archetypa semper ante oculos habeamus neve 210

e vobis aliquem degenerare patiamur. Ego vero de me illud habeo 211
 polliceri nihil impensius dignitate et commodo vestro curaturum
 paternumque officium resarturum, ut, quem natu munereque ma-
 iorem habetis, eum humanitate, re et comitate minorem esse in-
 telligatis neque patrem adhuc vobis defuisse sentiatis.

Demum quasi lacrimarum profluvio obrutus orationi finem 212
 imposuit. Secundum Thorismundi verba collacrimantes milites re-
 gem conclamant, magnificentissima quaque cognominatione ingemi-
 nant. Theodorici corpus in basilica Tolose primaria recondunt, vel- 213
 uti ex testamento mandaverat. Ingens a filio donativum militibus
 datum viritimque terdena argenti sestertia distributa. Regnum ne- 214
 mine refragante init magna spe omnium et expectatione. Aetius
 clam exercitum dimittit, quando auxiliares copie pre nimia multi-
 tudine habita missione recedere festinabant.

In eo prelio centum et LXV utrinque hominum milia plerique 215
 cesa scripsere, nonnulli centum et LXXX milia desiderata prodi-
 dere. Atila, quem maximus iam dudum metus incesserat et de con- 216
 sciscenda sibi morte cogitabat, postquam hostes nescire vincere in-
 tellexit, suum ac militum animos confirmavit, in castris die noctu-
 que tubis ac tympanis intonabat, ut victoriam sibi partam osten-
 deret. In horam castris erupturum se minabatur, varia metum arte 217
 dissimulabat inclusus ac victus victores assiduo territans. Metu
 inde ingenti liberatus in Tungros et Tricasses castra movit, uni-
 versam prius regionem cede, rapina incendioque fedavit, ut ceso-
 rum iniurias ulcisceretur; plus solito sevir visus est. Cum in Pan- 218
 nonias redire statuisset, ut in minutis legionibus supplementum
 faceret, quacunque iter fecerat, perpetua incendii et ruine monu-
 menta reliquit. Maiorem quam antea conceperat animum, quando
 ab hostibus ne minus quidem se victum quam victorem reformidari
 intelligeret. Barbara nimium audacia insolescit, in Italiam incipit 219
 convertere animum veritus, ne a Visigothis, quorum vires iam erat
 emensus, Romanum imperium occuparetur. Per Gallias igitur retro 220
 iter faciens igni ac ferro omnia miscet, non modo sexui nihil con-
 cessit et etati, sed ne ullis quidem aris ipse pepercit. Tertia pars 221
 exercitus, que superatis Pyreneis montibus e Lusitania soltanum
 eiecerat, ad ipsum redire non ausa, cum tanto prelio non affuisset,
 clementiorem hostem quam suum imperatorem invenit, tanquam ab
 eo cum ignominia dimissa ad Aetium et Thorismundum confugit
 sedesque in campis Catalaunicis impetravit. Aetius patricius cum 222
 Romanis copiis in provinciam rediit; Thorismundus rerum potitus
 e paterno instituto regiam Tolose sedem elegit, quando vetustis-
 simam opulentissimamque urbem illam esse noverat et amplifi-
 cando conservandoque imperio nimis idoneam. Nam inter Hispanias 223
 Galliasque posita utrinque facile propagat imperium et mari terra-
 que multa moliri potest. Ad angustissimum nanque terre litem
 sita est, hoc est isthmum, qui tribus stadiorum milibus a Narbo-
 nensi pelago submovet Oceanum. Si Posidonio fidem adhibebimus, 224
 Tectosagum urbs quondam fuit, quos in expeditionis societatem

adversus Delphos venisse memorant. Quin etiam thesauros apud eos a Scipione Tolose repertos ex oraculi donativis esse aiunt. Sed his ex domesticis non parum fortunis adiecisse tradidere, quibus consecratis iratum sibi numen reconciliarent, atque Scipionem eas attigisse ausum multis casibus fuisse iactatum, patria eiectum in exilio parum honeste interiisse perinde ac sacrilegio pollutum, ea quoque bona filiis ex testamento legata inter obscena scorta absumpta fuisse, turpem denique mortem, ut Timagenes auctor est, eos obivisse. Posidonius verisimiliora refert repertas Tolose pecunias XV milium circiter talentum fuisse easque partim in templi penetralibus, partim in consecratis lacubus fuisse reconditas, que nullos apparatus haberent (aurum et argentum inelaboratum et rude fuit), templum Delphicum eo tempore exinanitum fuisse talibus ornamentis a Phocensibus ante spoliatum, quo sacrum bellum commissum est, et, si quid relictum fuerat, in multos fuisse distributum. Ne incolumes quidem domum remeasse credendum est, qui tam miserabiliter digressi fuerant et, postquam a Delphis discessere, in diversa dispersi ac facta seditione discordes abiire, quare, cum regio exuberet auro et industrii homines tenuem vitam agant, e Gallia passim thesauros habuisse in tutisque lacubus aurum et argentum dimisisse, Romanos locorum potitos publice venundasse lacus, emptores plerosque fabrefactas ex argento molas invenisse. Erat etiam quondam Tolose templum sanctitatis eximie, quod finitimi peculiari quadam veneratione colebant, et ex collata quotannis pecunia multis muneribus abundabat, que nemo tangere audebat. Quare Thorismundus urbem vetustate ac religione venerandam nimis amavit regnique sedem ex paterno, ut diximus, instituto constituit.

Sed ad Atilam redeamus, qui, dum Pannonias supplementi gratia repetere contendit, quecunque superfuerant, late populatur et diruit, nullum glorie genus antiquius existimans quam ruine ac incendii monumenta. Sed illud in tam diro principe mirum fuit perquam facile a sanctis sepe viris fuisse victum. Cum Trecacenses peleret et eo quidem animo, ut suo more diriperet, Lupus urbis pontifex maximus vir plane sanctissimus, ubi feros hostes appropinquare novit, accito frequenti collegio sacerdotum pontificio habitu instructus Atilæ obvius occurrit moxque intrepidus, Tunc, inquit, is es, qui urbes eruis gentesque proteris? Ego sum, inquit Atila, rex Unnorum et flagellum dei. Ad hec Lupus: Felix et faustum domini et dei mei flagellum adveniat. Et patefactis mox portis cum magno plausu regem admisit. Cuius Atila humanitate victus per mediam urbem exercitum tanta modestia duxit, ut ne pullum quidem gallinaceum leserit, haud aliter, ac si divino cuncti numine obstricti fuerint; aliqui ante consertum prelium id accidisse memorant. Verum Lupus iste omnium iudicio vir sanctissimus ea etate est habitus; Leucorum familie decus Pigniolam Hilarii Arelatensis episcopi sororem coniugem duxit, septimo coniugii anno utriusque consensu de sancto divortio decreverunt, ut artius se in

divina caritate vincirent. Ab Honorato Lyrinensi antistite sacris 236
 initiatus exacto anno in Trecacensem urbem rediit, universum pa-
 trimonium Christi pauperibus erogavit, pro explorata sanctitate in-
 vitus pontificatu maximo donatus collegia sacerdotum continentis-
 sime gubernavit. Post biennium sancte peregrinationis amore per- 237
 citus cum Germano viro quidem deo gratissimo in Britanniam pro-
 ficiscitur, ubi miracula multa edidit variosque populos ad ortho-
 doxam religionem convertit. Post reditum, ut paulo supra dictum 238
 est, cum universa Gallia Unnorum agminibus diriperetur, civitatem
 suam in patenti planitie sitam neque armis neque menibus muni-
 tam divina ope propugnavit. Paralyticam in divino verbo mulierem 239
 curavit, liberavit puellam a demonio graviter agitatam; multos a
 diversis languoribus asseruit. Inedia et austeritate vite corpus affe- 240
 cit, nunquam in lecto recubuit, supra tabulam subiecto capiti
 saxo dormivit. Unica dumtaxat toga contentus interiore semper tuni- 241
 ca e gravi cilicio utebatur. Ut ab ardentissima concupiscentia
 iuventutis corpus arceret, biduano semper ieiunio id afflixit nullo
 unquam ientaculo refocillatus divinis pro cibo rhythmis vesci soli-
 tus. Somni parcissimus in divina semper oratione versabatur. De- 242
 mum quinquagesimo secundo sui pontificatus anno in domino ob-
 dormivit et inter deos relatus est. Sed de Lupo hactenus.

Ne de Germano quidem sine maximo scelere silendum, quando 243
 Atile temporibus claruit et vite sanctimonia prestantissimus apud
 omnes est habitus; necnon et opere pretium reputamus historiam
 Scythicam sanctorum patrum gestis quandoque condire. Hunc sacri 244
 annales austere usque adeo vite fuisse ferunt, ut, ubi a beato Ama-
 tore sacris invitus initiatus est, mox animo mutato et erogato in
 miseros patrimonio uxorem pro sorore habuerit. Ad novissimum 245
 usque diem frumentarium panem, vinum, oleum, legumen carnes-
 que sibi interdixit, quin etiam et salem, ne quo gulam condimento
 suscitaret. Pransuro mos fuit prelibare cinerem moxque panem 246
 esse hordeaceum excussum quidem et aqua remollitum, item cu-
 cullo simplicique tunica et interiore cilicio uti, hec eadem estate
 et hieme iuxta ferre, supra dolatas trabes superiniecto cinere dor-
 mire, cum acerbissima vitam penitentia ducere, omnibus gratuito
 hospitium exhibuisse, hospitibus in humilitatis exemplum pedes
 lavare solitum. Cum Britanni ad Gallorum episcopos legatos mi- 247
 sissent, qui omnes sensim populos Pelagiana heresi passim infec-
 tum iri significarent, in frequentissima sanctorum virorum synodo
 decretum est, ut Germanus et Lupus veluti potissima Gallorum lu-
 mina extirpande labis mandata susciperent. In peregrinatione illa 248
 Genovepham virginem, quam sanctissimam futuram esse predixe-
 rat, sacris initiavit, multa cum Lupo miracula edidit. Saxones, qui
 Gallos gravissimo bello infestabant, sola divini nominis acclama-
 tione fugavit. Diffusam per Britannos heresim extirpavit, in qua
 expeditione Severum Treverensem episcopum collegam sibi dele-
 git. Cum ad Tornodorum venisset, cuiusdam discipuli, qui e Bri- 249
 tannia eum seculus fuerat, sepulcrum invenit, quem cum e tumulo

evocasset rogassetque, anne ulterius secum militare vellet, respon-
 dit sat sibi esse militatum seque cumulatissimis militie premiis
 perfrui; proinde orare, se missione donaret. Quiesce, Germanus in-
 quit, ac vale. At ille deposito mox capite in domino obdormivit.
 Cum in Britannia publice predicaret, vesaniente frigore cum disci- 250
 pulis in regiam confugit gratum ibi hospitium imploraturus. Quod 251
 cum per interpretem a rege impio denegatum impetrare nequivis-
 set sub divoque in argentissima regione pernoctare cogeret, ecce
 subulcus regius advenit venerabilem virum cum sacra manu con-
 spicatus eorumque miseratus algorem ad tugurium invitat. Quo cum 252
 pater ille divertisset, subulcus uxorem monet ac iubet, ut unicum,
 quem haberet, vitulum saginatum viro sanctissimo apponeret. Quod
 ubi factum est, pro explorata rustici fide Germanus post cenam
 mulierem iubet vituli ossa legere lectaque ac pelle involuta ante
 bovem in presepio recondere. Mulier, postquam imperata fecit, po- 253
 stero die redintegratum vitulum fenum cum matre comperit eden-
 tem. Quod quidem ingens miraculum tantum viro tribuit auctori-
 tatis, ut pro deo adhuc vivens haberetur. Germanus autem ad re- 254
 gem reversus eum regno decedere meliorique id dimittere iubet,
 hesitantem et cunctantem virum neque in sacrosanctum patrem mo-
 liri quicquam audentem manu depulit. Decede, inquit, nec pote-
 state regia posthac amplius abutare. Rex celestem in presule aucto- 255
 ritatem reformidans cum uxore liberisque spectante populo de-
 cessit. At ei Germanus accitum mox subulcum cum coniuge suf-
 fecit et ex ea deinde tempestate e subulca gente sunt ibi creati
 reges. Cum e Britannia rediret per Augustodunumque iter faceret, 256
 ad Cassiani pontificis tumulum Scythia oriundi non sine magna
 turba pervenit, cunctis audientibus e tumulo, quidnam ageret et
 quomodo sese haberet, interrogavit. Dulci quiete, inquit, perfruo 257
 et expecto redemptoris adventum. Ad quem Germanus: Quiesce igitur
 per longum in Christo tempus et pro salute nostra diligentius
 intercede, ut beatissime resurrectionis gaudia assequi mereamur, et
 vale. Relatus in Galliam et iter faciens nudum ecce imminente nocte 258
 viatorem aspicit, miseratus hominis miseriam ne miserum quidem
 comitem aspernatur. Cum simul in diversorio quievissent, asellum, 259
 quo Germanus ferebatur, ille subtraxit. Illucescente die furtum pa-
 tratum inveniunt discipuli, patri condolent, quod pedibus iter fa-
 cere cogeret. Nondum tria milia passuum cum sociis ille con- 260
 fecerat, cum e discipulis unus Germanum quandam e vultu letitiam
 prodere intelligit, patrem hilaritatis causam rogat. At ille, cum pe- 261
 dem omnes aliquantulum sistere imperasset, ecce latro clamitans
 festinato gradu subtractum iumentum refert, patrem ad pedes pro-
 volutus exorat furti veniam et impunitatem; dum facinus profitetur,
 se tota nocte irretitum fuisse asseruit neque quoquam progredi po-
 tuisse, nisi qua ad reddendum iumentum pateret iter. Cui Ger- 262
 manus pater ille sanctissimus, Si hesterna, inquit, die tibi nudo
 togulam dedissem, ne furandi quidem te necessitas incessisset; et
 (exuta mox togula) accipe, quod deest, redde, quo nostrum est.

Tum professorem igitur criminis resipiscentem non modo venia, sed premio quoque et benedictione dignum censuit. Paucis post diebus²⁶³ a pauperibus circumventus, cum eleemosyna impensius exoraretur, diaconum dispensatorem suum, quodcunque pecuniarum est, in eos erogare iubet. At illi nummorum inopiam causanti, Paupes,²⁶⁴ inquit, suos pascit deus, tu vero, quod habes, pauperibus distribuito. Diaconus veluti prudens ex integro mandata non peregit, e tribus aureis duos erogavit, ut future prospiceret necessitati. Paulo²⁶⁵ post quidam equites adventant, ducentos pontifici nummos donant et ad diaconum mox conversus, Accipe, inquit, que traduntur, et recognosce te fraudem fecisse pauperibus, quando, si, quicquid tibi erat, inopibus erogasses, remunerator noster CCC hodie reddidisset. Proinde contremuit ille conspicatus clandestinam sui culpam virum sanctissimum latere nequivisse. Cum in Italiam²⁶⁶ tenderet Alpesque superaret, senem claudum, quem torrentem transire non posse prospexerat, propriis humeris pre nimia humilitate et caritate traiecit. Cum Ravennam venisset, a Placidia, que cum²⁶⁷ Valentiniano filio imperabat, honorifice excipitur et, cum ab ea delicatissimi cibi in argentea patina sine carnis intermixtione mitterentur, cibos inter discipulos distribuit, patinam in pauperum commodum erogavit, pro regio munere panem hordeaceum in patella lignea remisit. At illa utrunque cum maximo plausu accipiens patellam auro exornavit et panem ad varios languorum usus reservavit. Cum Ravenne moram traheret, vita defunctum in lucem revocavit. A Placidia ad convivium invitatus solito iumento vir senio, inedia vigiliisque confectus in regiam delatus est. Inter epulas clandestinus rumor advenit asellum improvisa morte esse correptum; soluto convivio pro asello pulcherrimum et mansuetum equum adduci regina iubet. Germanus equum renuit et asellum suum afferri petit, ut eodem, quo allatus iumento fuerat, referatur. Allatum igitur asellum²⁷⁰ humique iacentem despiciens, Surge, inquit, Muscio, et ad hospitium revertamur. Ad hec verba veluti somno excussus surrexit asellus ac ne minore quidem robore quam ante dominum ad hospitium retulit. Anno salutis CCCCL., episcopatus vero XXX.²⁷¹ diem obiit. Corpus, ut ex testamento legaverat, in patriam relatum, dum in Galliam refertur, Vercellis ab Eusebio episcopo et Aureliani ab Aniano pontifice religiosissime excipitur, quo quidem tempore tris mortuos in vitam revocasse ferunt. Non solum in morte,²⁷² verum etiam in vita inter divos relatus et divini honores exhibiti, quando sanctissimam vitam duxit, hereses extirpavit et miserrimis Unnorum temporibus consilio et precibus Gallis et Britannis mirabili adiumento fuit. Nunc ad Atilam redeamus.

LIBER V.

Ex Aetii malignitate, qui persequendos Unnos ad internecionem usque non censuit, sed Thorismundum ad accipiendum Visigotharum regnum revocavit, tantum animorum Atila concepit, ut

in Pannonias nequaquam prius redire statuerit, quam universam Galliam cedibus, incendio et rapinis afflixerit. Sed in hoc varias 2 scriptorum opiniones admiror, quorum aliqui multarum civitatum excidia ab Unnis tunc accepta ante pugnam Catalaunicam, nonnulli post eam accidisse commemorant. Nos autem eorum ordinem 3 plane sectahimur, qui verisimilius et elegantius ista scripsere, quoniam a prestantioribus ac verioribus hec ipsa accepisse videntur. Quin etiam in temporibus quandoque tanta dissensio, ut falsa sepe 4 historia, quam verissimam bellorum monumenta testantur, prorsus esse videatur. Dira igitur Unnorum tempora, cum Servatius Tun- 5 grorum episcopus divino quodam spiritu providisset, ne Atile immanitatem cum populo subire cogeretur, quando Tungrensem urbem, que inter Thiliam et Mosam amnes in Gallia Belgica sita est, Scythico furore vertendam sane prospexerat, episcopatum in Traiectum, quod ad Rheni ostia situm erat, transferre constituit. Quin 6 etiam hoc inevitabile fatum se Rome a divo Petro in somniis didicisse affirmabat, quod cum fecisset, barbaram rabiem evasit.

Eodem fere tempore, cum universa Gallia Ariana heresi labo- 7 raret, qua inequales sanctissime trinitatis personas esse credebat, filium enim patre, spiritum vero sanctum et patre et filio longe minorem esse dicebat, divino quodam miraculo plane declaratum est deum in tribus personis unius et equalis esse substantie. Na- 8 satensi nanque urbe divina ope ab Unnorum obsidione liberata, cum pontifex maximus pro agendis gratiis sacra faceret, equales ecce guttas tris super aram cecidisse videt crystallo clariores, que cum una congruissent in unionem unicum redacte, quem cum in gemmata cruce collocassent, alie mox gemme decidere. Imaginem 9 sancte crucis preferebat, adorantibus et egris validitudinem reddebat, quin et fidelium ex hoc religionem augebat, quia piis clarus, impiis contra obscurus esse videbatur. Atile igitur furorem Nasatens- 10 ses idcirco evasisse feruntur, quia de individua trinitate recte senserunt.

Iisdem quoque temporibus undecim milium virginum peregrinationem sanctissimam duce Ursula accidisse perhibent, quarum expeditio quanto cruentior, tanto felicior fuisse creditur, ne tam noxiis dei flagellum, quam insontibus martyrium dirus Atila fuisse videatur. Sed res memoratu dignissima rite referetur. Ursulam 12 unicam Dionoti nobilissimi Britannie principis filiam fuisse aiunt forma, moribus, venustate sanctimoniaque prestantem; eodem tem- 13 pore Britannorum regem ab orthodoxa fide alienum regno divitiisque pollentem unico tantum filio peditum ac virginis probitate et fama succensum pro gnato instantissime postulasse; Ursule pa- 14 trem gravissima hinc sollicitudine cepisse angi, quod filiam deo dicatam invito numine profano iuveni desponsare cogeretur, simul etiam et vereri, ne ex repulsa tyranni crudelitatem omnino subiret. Dum in diversa distrahitur animus, veluti consilii impos filiam 15 tandem consulit; hec patri suadet, regi respondeat hac se conditione affinitatem esse facturum, si decem virgines forma et etate

delectas rex filie comites daret ac Ursule singulisque comitibus, que dene sint, singillatim mille virgines subditaret, item undenas his frireres compararet, quibus triennii spatio, donec sponsus Christiana religione initiaretur ac fidei dogmate institueretur, pro virginitatis dedicatione uti possent. Quod haud temere a diva virgine suasum, partim ut difficultate propositae condicionis a se animum regis averteret, partim ut occasione ista coevas comites una secum deo dicaret. Rex condicionem accepit; quecunque virgo mandavit, rite fieri iubet. Filius eius sanctitate succensus baptismum accelerat, puella se cum puellari exercitu Romam omnino profecturam patri nunciat, ut a Christi vicario delictorum veniam tutelamque virginitatis assequatur, et, quando virorum ductu et propugnatione in longa peregrinatione carere non potest, viros a patre sanctissimos petit. Ubi virgineas Ursule copias propediem peregre profecturas esse rumor effunditur, multi ad sacrum inusitatumque spectaculum undique confluxere imprimisque nonnulli Britannorum episcopi, qui virginum expeditionem sequi cupiebant. Horum princeps Pantalus Basileensis episcopus, qui eas Romam usque perduxit et cum his pariter occumbere voluit. Quin etiam Gerasina Sicilie regina ac Darie matris Ursule et Maurisii episcopi soror eius litteris admonita ad sacram pariter expeditionem convenit, que virum nacta crudelissimum ac regno perniciosum ad incredibilem mansuetudinem redegit. Hec cum Babilla, Iuliana, Victoria et Aurea, que sue filie fuerant, advenit. Quin et Adrianum filium duxit, qui sororum amore sacra simul stipendia fecit et regnum hec filio alteri delegavit; huius consilio virginum sunt agmina instructa. Comparatam igitur classem ille ductu auspiciisque Ursule conscendunt omnes sacrique viri pariter sequuntur ac per Oceanum vecte, dum Gallica litora legunt, in Rheni tandem ostia deferuntur et adverso amne ad Coloniam Agrippinam primo, deinde Basileam urbem perveniunt. Hinc Galli, illinc Germani sacram classem admirantur; e pagis et oppidis ad spectandas sacras virgines homines advolabant, que modulato cantu divinos hymnos concinebant. Hos choros facile dixeris angelorum. Sacra carmina utrinque Rheni ripe resonabant. Religioso ubique hospitio excipiebantur. Basilee classem relinquunt pedestre mox iter initure. Curatis ibi triduo corporibus a Rheno in Helvetios Leucosque divertunt, ut in Italiam recta contendant. Superato Iurasso monte ad Ararim fluvium veniunt, qui Rhodanum influit, deinde ad Budem festinantes trajecto amne ad Rhodanum contendunt, ubi a cunctis Allobrogum oppidis honorifice excipiuntur. Cum Vesontio appropinquassent, ex universa fere Narbonensi Gallia homines ad spectanda virginum agmina confluxere; pars plausibus excipiunt, faustis multi acclamationibus extollunt, alii hoc exemplo ad religiosam peregrinationem incendebantur et profane mentis conscii gravi penitentia corripiebantur, plerique in lacrimas vertebantur sanctissima virginum studia conspicati, quibus neque labor neque languor ullus ex itinere inferri videbatur. Nam incense sacre peregrinationis amore ferri potius quam progredi putabantur,

sacrorum concentibus rhythmorum cuncta complebantur; angelus domini ducebat eas. Cum Alpibus editissimis, que Galliam ab Italia dividunt, appropinquassent, ne defuere quidem, qui admodum dubitarunt, ne arduum insuperabilemque clivum facile superarent, quando Herculem, ut aiunt, et Hannibalem defatigasse ferunt. Virginee tamen acies ita hilari fortique animo acclive iter adoriuntur, ut sine labore avium more sublimia iuga conscenderint nullaque unquam in tanta difficultate neque ingemuisse neque retulisse pedem videretur. Nihil est ita arduum et difficile, quod divinus amor facile tolerare non possit. Validissimi queque militis prestabat officium, quia nulla militia facilius habetur, quam ea, que sponte subitur. Divino spiritu munitus animus adamantinum corpus plane sortitur. Vexillum crucis Ursula ferebat, quam antesignane puelle precedebant et non modo ducis optimi, sed strenui militis prestabat officium. O beatissimum puellarum exercitum in perpetuum virorum ruborem confusionemque repertum. O egregium delectum necubi gentium unquam habitum et non solum ad suam, sed omnium quoque salutem adinventum. At, ubi e iugis Alpium Italiam despectarunt, magno plausu Romam conclamarunt. Obstupuere Insubres ceterique Itali, ubi formosissimas easdemque sanctissimas cohortes aspexere, quod antehac in Italia nunquam spectare licuit. Quod ubi Cyriaco pontifici maximo significatum est, cum universo collegio sacerdotum ex urbe Roma prodiens mirifice exultavit et, quam honestissimo potuit, apparatu adventantes virgines excepit; quod ut faceret, cum patrius, quia Britannus, tum divinus amor, quia et ipse castissimus erat, effecit. Multe quoque virgines in eam expeditionem venerant, que pontifici neptes proneptesque fuerant aut quovis alio sanguinis vinculo coniuncte, quin etiam eadem nocte divinitus sibi significatum est se cum illis omnino martyrii gratia occumbere oportere. In sequenti die, cum multe advenissent, nondum sacro baptismate expiate eas ex more baptizandas curavit, deinde cuncta templa lustrare et apud omnes basilicas sollempnia celebrare voluit. Quicquid deo ibi ex more debebant, eas rite ac pie persolvere docuit. Cum abeundi tempus instaret, pontifex divino iussus numine advocato sacerdotum collegio, quid facere vellet, aperuit seque pontificatu, cum post Pontianum pontificem anno uno ac mensibus circiter duobus Romane ecclesie prefuisset, sponte cunctis reclamantibus abdicavit. Cardinales eum delirare putabant, quod in senio mulierculas non sine sui ridiculo sequeretur. Neque celesti eum interprete admonitum intelligebant, qui eum una cum virginibus in Gallia martyrium subiturum esse nunciarat. Contempta tandem omnium refragatione sancti propositi tenacissimus Anterum mira sanctimonia preditum sibi suffecit. Ipse autem, quia invito collegio se pontificatu abdicavit, e Romanorum catalogo pontificum abrogatus est, quin et sacre virgines huius causa auctoritatem et gratiam amiserunt. Sacer igitur exercitus lustrata urbe sacris apud omnia pulvinaria rite peractis ac votis denique persolutis duce pontifice maximo abeunt. Quod cum ceteri vidissent, multi pari cari-

tatis ardore succensi in eandem expeditionem ire contenderant imprimisque Vincentius cardinalis Iacobusque Britanno genere natus metropolita Antiochenus, item Maurisius episcopus Babilie et Iuliane avunculus, preterea Foilanus Lucensis et Sulpitius Ravennensis antistes. Quin etiam Etherius Ursule sponsus, qui defuncto patre regno successerat, divino in somnis admonitus internuncio, ut Demetriam matrem ad ineundam fidem hortaretur, mandata peregit patremque Agrippinum primo sponsalium anno amisit. Et, ne sponsa ignobilior esse videretur, divinis monitis edoctus una cum sorore Florentina, cum ipse triennio in fide mansisset, sponse sanctoque exercitui Coloniā usque obviam occurrit, ut pari palma depugnaret; item Clementem episcopum e Britannia secum abduxit. Quin etiam Marcus Grecorum episcopus, cum Romam venisset nepotemque Constantiam Dorothei regis filiam duxisset, eadem castra sequi voluit. Sed, cum Maximus et Africanus profani Romanorum duces vererentur, ne Christiana fides, quam admodum abominabantur, tam magna incrementa susciperet, quibus falsa religio antiquorum e medio tolleretur, ad Iulium quendam Unnorum prefectum, quem illi Giulat appellant, ad Rheni ripas agentem, dum Atila ceteras Galliarum oras late diriperet, scripsere, si Romanam amicitiam cuperet, operam daret, ut bacchantium mulierum exercitus, que a deliris quibusdam sacerdotibus ducerentur, armis omnino deleret, quo nil gratius Romanis Scythicis numinibus addictis et presertim Marti ac Herculi, quos communes cum gente Scythica progenitores ac deos habent, fieri posset; et patrandi facinoris tunc tempus fore nimis idoneum, cum ad Coloniā Agrippinā rediissent. Iulius, ut Romanis ducibus gratificaretur et Christianum sanguinem, quo Unni satiari non poterant, hauriret, se diligentissime mandata facturum pollicetur. Cum eas ad classem in Rheno relictam rediisse cognovit, Maximi et Africani litteris edoctus ad Coloniā tendit insidias, quod nec Ursulam nec pontificem Romanum latebat, quando celesti rerum futurarum internuncio monebantur. Cum secundo anne devecte Colonie appropinquassent, presidente e puppi Cyriaco pontifice Ursula in media classe inter sacras virgines ita profatur:

Nemo, sorores integerrime, legitima premia consequi potest, nisi prius bene certarit, neque cuiquam in celis animam reperire licet, nisi qui eam hic pro deo contempserit et amiserit. Iniquum est enim cum salvatore nostro celestium regnorum fieri coheredes, nisi pro eo vitam deposuerimus. Pre nimio caritatis ardore, qui propria morte sponte nos ab omni perpetua mortalitate redemit, nos Iesu Christi optimi maximi signa secute sacra hucusque stipendia fecimus, divina ope maxima queque bella gessimus, opima spolia sepe retulimus, rugientem hostem sepissime vicimus, intestinas seditiones, que perniciosissime ac formidolose esse solent, bene repressimus et ducis nostri sapientia omnia prospere ac feliciter evenere. Quenam maior quam sui ipsius potest esse victoria? Quis etiam triumphus potest esse prestantior quam captivam carnem

ducere, vincere se ipsam et de concupiscentia carnis gloriosissime triumphare? Quod ut facilius assequeremur, in salutem hanc expeditionem pedibus profecte sumus, in qua nulla vis illata, quamvis per Atile incendia adhuc fumantia intrepide iter deo duce faceremus. Nullus labor sane perceptus, quamvis editissimas Alpes superare cogere-
mur, nullus denique morbus ac languor ingruit nec metus incessit, quamvis femelle in longissima peregrinatione diu versaremur. Quare iam experientia docuit, quam suavis sit divina servitus et quam salvatoris nostri leve iugum, in cuius servitio, cui-
cunque mori datum est, certam veramque felicitatem illi sperare licet. Sed quis hoc non facile fecerit, qui ad tanti regis obsequia non modo se natum, sed divina clementia ab eterno delectum et predestinatum esse reputaret? Ubinam gentium unquam auditum tot milium virginum habitum esse delectum, que tam salutarem ac opimam militiam militarent? O beatas animas, quas ad eterna premia deus ipse servavit. O ineffabilem clementiam redemptoris, si quas ad sacra castra evocaverit, expeditione triennii reddet emeritas et maiora tironibus quam veteranis stipendia persolventur. Ni fallor, sanctissime socie, iam felicitatis nostre tempus instat et, ut divinitus hesterna nocte sum edocta, caritatem constantiamque nostram sacrosancto martyrio veluti obryzum igni approbare vult dux noster. Quin etiam et de calice suo divina benignitate nos compotionare dignatur, ut virtutem nostram periclitetur, quam ipse sua gratia roboravit, ut in ruborem virorum profanarumque gentium confusionem in femineo sexu orthodoxe fidei vires ostendat. Dum sevus Atila per Gallias cedibus usquequaque grassatur, magnam Unnorum partem ad Rheni ripas plane reliquit, que Coloniensem agrum passim diriperet. Coloni-
am Unni obsident nosque preter Coloni-
am transire opus est, si classe vehi decernimus; si vero pedibus iter facere malimus, per media efferatissimarum gentium castra ire cogemur. Quod a clementissimo salvatore nostro idcirco ita statutum est et permissum, ut, cum ad peregrinationis finem pervenerimus, ab Unnis corporibus exute tot virginum acies demum ovantes in celestia regna inter divos referamur. O immensam salvatoris nostri benignitatem incontemplabilemque misericordiam, quippe qui, ne diuturniore nos militia conficiat, brevissima momentaneaue morte ex his erumnis nos eripere dignatur. Quin etiam suo mihi significavit internuncio Etherium sponsum meum Demetriad matrem a falsa religione vendicasse et cum sorore Florentina et magna Britannorum manu cras nobis occurrurum, ut divinitus admonitus pari nobiscum mortis felicitate fruatur. Neque patitur deus meus me sine sponso fieri beatam. Proinde scitote ac vos ita salvatoris nostri nomine certiores efficio Unnos fera rabie nos omnes cras ad Coloni-
am circumventuros et in nos usque adeo sevituros, ut ad unam omnes contrucident, ut ereptis corporum exuviis in celum, unde demisse fuimus, suffundant fugentque neve inter profanos amplius versemur. Quare, cum Scythici lupi inter sacras oves irruent, forti animo iugula porrigite, contemnite mortem, presentis vite miseriam reco-

gnoscite et future beatitudinem exoptate citoque dissolvi percipite, ut salvatore nostro, cuius beatissimum conspectum tantopere anhelamus, extemplo perfruamur. Nolite expavescere, quia salvator 64 noster nusquam aberit et, ut tutius martyrium obeamus, nobis vicarium suum delegavit, qui mentes nostras pro demandata potestate lustraret ipseque nobiscum paria stipendia meritis in astra reduceretur. Quare, cum hora mortis advenerit, hilares ac lete tanquam 65 omni miseria cariture forti animo occumbite. Vestra ultro corpora deo in holocaustum suavissimum offerite, inter amplexus angelorum animas effundite in manusque domini spiritum commendate.

Magnanime virginis oratione sic omnium animi confirmati, 66 ut nil hoc felici mortis genere ducerent antiquius, sic eam immo-dice anhelabant, ut nunquam moriendi horam affore reputarent. Conclamant omnes sponte morituras. Ad hec pontifex maximus 67 pre gaudio in lacrimas conversus, quod divini tantum ardoris ac roboris in virgineis tenellisque pectoribus intueretur et quod viri a mulierculis et a tironibus veterani turpiter superari viderentur. Quare ab eo omnibus est divino nomine benedictum simul et 68 edictum, quando postero die moriendum esset, quo in manus hostium erant perventure, insomnem eam in sancta oratione noctem ducerent et Iesum clementissimum exorarent, ne in truci prelio virginea corda, que sibi delegerat, sane desereret. Illud fuit admira- 69 ratione dignissimum ad hec nullam et tot milibus ingemuisse nullam expavisse et fatum instans reformidasse neque detrectasse mortem. Curatis aliquantisper corporibus per universam classem nocturnum 70 silentium indictum; queque pro se instantissime modo deum orare, ne deserat, modo gratias agere, quod immature ac nondum emerite eternis militie premiis donarentur; divinam in se pietatem assiduo contemplari ac ea contemplatione refici et beari. Nihil minus succurrere, quam aut perhorrere aut deprecari fatum. 71 Ast, ubi noctem tranquillam transegere, prima hora diei sacra rite peragunt et a decimo lapide solvunt. Etherius ecce sponsus occurrit 72 et pontificem preveneratus Ursulam salutat, ad quem, Salve, inquit illa, Etheri mi in Christo salvatore nostro suavissime. Faustus et felix sit iste tuus adventus, quando tanto creatoris et sponse ardore flagrasti, ut nobis occurreris dexterrimum fatum pro Christi fide subiturus. Et, quia vocatio nostra non patitur, ut terreno hic con- 73 nubio incestemur, ne frustra huc contendisse videare, hodie in celo, mihi crede, sollemnes nuptias celebrabimus. Proinde, quando iam iam hostes aderunt, mecum deum exora, ut quamprimum apud superos perpetua in salvatore nostro coniugia consummemus. Ursulam 74 divina verba resonantem Etherius admiratus eo magis in domino sponsam amavit. Respondet se hactenus propter Ursulam deum amasse, contra nunc Ursulam amare propter deum; illius gratia esse felicem eiusdemque precibus adiutum nihil reformidatum nihilque vehementius expetiturum, quam si cum ea pro Christo mori liceat, et, quando eius intercessione in veram lucem assertus

est, se omnia pollicetur pro vero domino et deo suo equissimo
animo subiturum; Pontifex in strenuissimi sponsi amorem exardens 75
repente iuvenem amplexus gravissimis in fide verbis confirmat,
amplexantur ceteri patres plausuque ingenti a virginum choris ex-
cipitur. Sponse dexteram perreverenter apprehendit et pudicissimo 76
eam uno dumtaxat osculo prelibavit, quod et pontificis permissu
factum est, ut, quod virgineum in terris coniugium iniverint, iam
dudum apud divos in Christo consummarent. Et, cum iam ad ter- 77
tium classis lapidem appropinquasset, pontificio mox omnes ad-
monentur edicto, quo sibi hostes propius imminerent, eo impen-
siam divinis precibus incumberent, pre nimia apud divinam cle-
mentiam penitentia delictorum impunitatem implorarent, demum ex-
orarent, cum sibi placitum fuerit, erumnis humanis eriperet. Iusse 78
imperata faciunt; gemitibus et lacrimis omnia complentur. At, ubi
Colonie est applicitum, hostes, qui utranque Rheni ripam occupa-
rant, continuo sacra agmina circumveniunt in ripamque descendere
patiuntur. Ursula crucis vexilla ferens in terram prima desilivit, 79
mox cum sponso pontifex, deinde ceterae naves ripe proras admo-
vent certatimque puella desiliunt, non ut ad martyrium, sed con-
vivium invitatae. Quas omnes cum pontifex plane spectasset, Evo- 80
late, inquit, felices anime, et fragilia hec deponite corpora. Tu autem,
Iesu Christe optime maxime, quando tuo ductu huc appulimus,
fideles tuos propius respice et plebis tue animas in tua regna, quon-
iam semper in te speravimus, clementer admitte. Vix hec intonu- 81
erat, cum Iulius Unnorum prefectus vexilla crucis abominatus in-
festo in virgines agmine ex composito irruit, ne minore quidem
in mulierculas ac in viros ferocia sevit. Nulla reluctatur; flexis pars 82
magna genibus iugula porrigere, manus deo ad celum efferre,
piis numinibus commendare animas; nonnullae, quae subsidebant, 83
clausis fatum oculis expectare, convitiis plerumque irritare sicarios
aut in diversa furentibus sese offerre, invidere quandoque pre mor-
tuis, tanquam vices preriperint; discurrere aliae, ne cedi superes- 84
sent, pro expirantibus orare aliae, quae primo iclu non ceciderint,
sacrum quoque fatum admodum sperare. Cyriacus aliquantisper a 85
Iulio spectatus sub pontificio habitu oppetiit, in ceteros patres mox
sevitum est. In medio agmine Ursula erecto crucis vexillo animo-
sius stare, orare pro suis impensius interfectoremque suum expec-
tare. Quattuor circiter horis virgineae legiones undique fere cecide- 86
rant, sola Ursula tanquam in presidio ad triarios redacta cum
paucis vicem suam deum exorat. Ecce Iulius tanquam longa cede 87
satiatus, quem Unni Giulat appellabant, ceso in conspectu sponse
Etherio, qui pre martyrii gratia omnem ferociam plane remiserat,
puellam procul exclamans bene sperare iubet, eius venusta maie-
state commotus suam fore sponsam pollicetur. At hec neque pro- 88
fanum canem quenquam neque dirum hostem castitatem suam,
quam Iesu Christo voverat, incestare posse respondet. Convitiis irri-
tatus hostis et ab ea viliter aspernatus virgineum illius pectus sa-
gitta transfigit. At illa cum vexillo crucis procidens, quod adhuc 89

mortua pertinaciter retinebat, in angelorum amplexus animam efflavit. Sola ex undecim milibus Cordula virgo remansit, que illa nocte metu correpta sub navis carina delituit, postero die prodians, ne martyrium detrectaret, a feriente tyranno letalem ictum exegit. Hec inter divas una cum ceteris relata non est, quia cum reliquis eo die cesa non fuerit, sed multo post tempore sacre cuiusdam virgini in somnis apparuit mandavitque, collegio sacerdotum suo nomine nunciaret, postridie eius diei, quo undecies mille virginum festa fierent, sua sollempnia celebrarent. Sedente Antero pontifice maximo et imperante Maximo quamvis hec gesta fuisse annales quidam referunt, ratio tamen temporum nullo modo constare potest. Multo rectius sensere illi, qui, cum diu post Constantinum Unni Gothique sevierint, hec imperante Marciano et anno salutis CCC quinquagesimo secundo accidisse tradiderunt. Harum corpora Colonie in commune sacellum relata. Unde cum sacerdos quidam his devotissimus corpus unius virginis impetrasset, quod in edem suam religionis causa subinde transferret, dum matutina sacra fierent, illa virgo resumpto corpore spectante universo collegio sacerdotum magnam aram prevenerata recessit. Antistes mox tumulum adiens reconditam virginem non invenit. Ad harum aras innumera fidelium vota nuncupantur mireque tabelle templi valvis affixe sunt. Quendam Germanum harum religioni addictum, cum morbo admodum laboraret, ex his una dormientem adit edocetque, si undecies mille dominicam orationem dixerit, totidem virginum ope ac patrocinio in hora mortis non carebit, cuius exitus promissa probavit.

Atila igitur, cum flagellum dei fuerit, multis ad salutem, quam plurimis ad supplicium, sibi denique ad perniciem natus est. Universas Gallias et maximam Germanie partem ipse vastavit, solum Traiectum, quod inter ostia Rheni situm est, divino Servatii episcopi patrocinio liberatum, quippe qui desertis Tungris, quos ex Unnorum manibus eripere nequiverat, basilice sue facultates Traiectum sane transtulerat. De viro sanctissimo prodigia miranda feruntur. Illis nanque temporibus, dum ei sacra fierent, patefacta desuper ede columna ignis altissima e celo ad tumulum usque suum a prima vigilia noctis ad auroram usque pependit, quod non oppidani solum, sed finitimi quoque ac alienigene plurimi aperte viderunt, quare tanta religionis facta est occasio, ut hunc potissimum colerent inter divosque referrent; sepulcrum eius in media ede situm nunquam tecto cooperire valuerunt. Et, quamvis ibi sub divo rem divinam faciunt vota que suscipiunt, nunquam tamen sacris neque imber et grando neque nix et tempestas ulla obfuit.

Unnorum quoque temporibus Genovepha virgo claruit ne parum quidem sanctitatis exemplum. Hanc enim beatus Germanus cum Lupo, de quibus supra dictum est, in Britanniam profectus, cum ad Nemetodorensem edem orandi gratia divertisset, occurrente sibi magna civium manu, ubi conspicatus est, ad parentes exclamat, quodnam virgini nomen esset. Cum Genovepham illi nomen esse retulissent,

O beatam, inquit, virginem, cuius gratia multi quoque eterne felicitatis premia consequentur. Quam ubi propius admoveri iussit, subinde rogat, anne Iesu Christo dicari ac intemerata permanere cupiat. Continuo puella respondit nil se vehementius affectare. In eius rei memoriam illi nummum Germanus aeneum cruce decussum e collo suspendit, ut se deo addictam hec bulla quotidie admoneret; quin et aurum, argentum, lapillos et uniones collo ac digitis interdixit. Profecto Germano Lupoque cum paucis post mensibus mater ad rem sacram proditura eam domi remanere preciperet, illa continuo illacrimans exclamavit: Egone datam Germano fidem in Christo non servabo et salvatoris mei non frequentabo edem? Moriar potius ac materna imperia detrectabo, quam sacri salutarisque promissi ream. Ad hec irata parens gravi gnatam colapho collisit, quare luminibus statim capta est. Novem fere menses orbitatis penas exolvit. Quecunque Germanus ante predixerat, memoria repetens mira se penitentia cruciavit. Ecce post hec uno die filiam orat, ut ad diluendos oculos putei aquam sibi afferat. Obsequentissima virgo ad puteum profecta, dum hauriende incumbit aque, materno miserie memor, cuius se auctorem incusabat, in amarissimas lacrimas effunditur, deum exorat, ne se materno orbitatis statuatur auctorem, lucem reddat, ut prepotentissimi eiusdemque clementissimi numinis pietatem intelligat. Mox haustam signo crucis aquam lustrat, quam oblatam parens devotissime accepit admotaque oculis continuo revidit. Paucis post diebus oblata cum duabus forte pontifici, ut sacris initiaretur, cum tertia sequeretur, Anteferte, inquit ille, novissimam, quia celitus hec prima sanctificationem est adeptam. Defunctis parentibus Parisium in Lugdunensem Galliam transmigravit, ubi eius sepe corpus paralysi usque adeo seva laboravit, ut triduo iam examine rubentibus tantum genis observaretur, que, ubi ab adversa valitudine respiravit, se ad inferos deductam beatorum campos et supplicia impiorum lustrasse affirmavit. Cum Atila Parisiorum finitimos diro passim bello vastaret, cives pro se quisque urbis excidium reformidantes fortunas in tutiora vicinorum oppida transferre studebant. Genovepha matronas convenit, eas orat, viros adeant ac, ne fortunas exportent, admoneant; quando finitime regiones omnes ab Unnis late diripientur, dicere Parisiorum predas et incendia vigiliis et orationibus eas deprecari posse; proinde ab eo consilio viros dehortentur, ad divinam opem confugiant omnes, quia Parisium sub Iesu Christi optimi maximi tutela situm esset, qua nil tutius excogitari potest. Talia dicenti oblatrare multi et pseudo-prophetam conclamare, blatterare alii ac dicere aut lapidibus competendam aut Sequane gurgite demergendam. At illa, ne publice saluti deesset, eo acrius instare ac ingeminare urbem sacris precibus esse protegendam, placatis numinibus rempublicam fore tutissimam. Quidam interea sacerdos ab Autissiodoro missus adventat testimonium divi Germani in medio foro referens Genovepham a matris utero a deo delectam exclamat. Germani elogia publice recitata; his igitur maligna multitudo confusa abiit. Acerrimam Atilam

obsidionem, quam Unni propediem moliebantur, sanctissimis pre-
 cibus virgo sacra dissolvit, Parisiorum agrum intacta tantum urbe
 populantur. Ex quibus conici potest, in calamitosis temporibus sancte 119
 lingue quanti sit habenda deprecatio. Nam, cum ex ira divina mala
 proveniant, placatis numinibus cuncta mitescunt. Sed huius vite
 austeritatem et miracula prosequamur. A quintodecimo hec anno 120
 ad quinquagesimum usque hordeaceo tantum pane et faba contenta
 bis in hebdomade cibum sumere, talia celebrare ieiunia, nunquam
 aliquod libidinis fomentum edere, inedia corpus macerare. Quin- 121
 quagenaria episcoporum iussu hordeaceo pani lac et piscem ad-
 iicere, ne ad mortem fere conscitam festinare videretur. Catholiciacen- 122
 sem vicum, ubi divus Dionysius morte multatus est, prererenter
 frequentavit, cui basilicam quoque devoverat. Sacerdotum collegia
 supplex adiit, ut ex collata pecunia edem illi facerent, at illi modo
 paupertatem, modo calicis inopiam causari. Contra illa divinitus effata, 123
 Egredimini, inquit, queso, ad pontem urbis et, quecunque audieritis,
 nunciate mihi. Egressi dum in foro stant attenti, si quid acciperent,
 ecce subulci duo adventantes inter se verba faciunt. Alter, Dum suis, 124
 ait, vestigium vagantis oppertus legerem, maximam fornacem calcis
 inveni. Ego quoque itidem in sylva, inquit alter. Hec, que audi-
 erant, stupidi sacerdotes virgini referunt, ast illa pre gaudio in la-
 crimas effunditur. Que ubi civibus significata sunt, magnifica e col- 125
 lata pecunia edes erecta Dionysioque dicata. Ne sacra quidem pro-
 digia in edificanda basilica defuere. Nam, cum potus fabris ligna- 126
 riis forte deficeret, cadum accepit, quem, ubi exorato numine signo
 crucis expiavit, mox operariis plenum propinavit parique exuber-
 rantia semper redintegratus divinitus eorum sitim ad consummatum
 usque opus explevit. Cum in sabbato sub gallicinio ad divi Dio- 127
 nysii basilicam egrederetur, ecce funale prelatum extinguitur, tur-
 bantur virgines comitesque eius, ne quid per noctem turpitudinis
 horrorisve paterentur. At illa funale sibi dari iubet, quod, ubi in sacra 128
 manu constitit, protinus incensum eluxit admonitumque languentibus
 plerosque curavit. Mulier, que eius calciamenta subtraxit, luminibus
 repente caruit petitaque venia lucem recuperavit. Hildericum Fran- 129
 corum regem virgini deditissimum, cum de magna noxiorum manu
 supplicium sumere statuisset accepissetque Genovepham pro his
 oraturam adventare, portas arcis continuo claudi imperasse ferunt,
 quibus aditus inhiaberetur. At illa intellectu regis consilio nihilominus 130
 remorata ad eum contendit, cui tacte manu continuo fores patuere;
 ante regem constituta pre rei miraculo cunctorum capitalium im-
 punitatem facile impetravit. In Dionysii ede huius opera energumeni 131
 complures curati Beatum Simeonem ferunt profusa veneratione eam
 salutasse impensiusque postulasse, ut inter orandum Simeonis quando-
 que reminisceretur. Ab epiphania ad cenam usque domini in cella 132
 recludebatur, ut exorando et contemplando deo expeditius incum-
 beret, ad cuius ostium cum puella venisset, ut quidnam illa faceret,
 per rimas exploraretur, e vestigio lumen amisit, sed exacto quadra-
 gesimali ieiunio eiusdem opera lucem recepit. Cum in templo divi 133

Martini e Pannonia oriundi ad Turonensem urbem oraret, correptum a demonio quendam e psallentibus continuo liberavit. In agro Meldensi imminente tempestate percussisque messoribus vastata cetera regione sola sua messis intacta permansit. Annos vixit octoginta ac tanta prepolluit sanctitate, ut futura divinitus inspirata prediceret, omnia morborum genera curaret. Tertio Nonas Ianuarias inter divos relata. Haud parum equidem letor me hanc nactum occasionem, cum a procella Unnica multos eius numen exemerit, divi Martini Pannonici non vitam, sed titulos potius esse scripturum, ne in Pannonica historia potissimum Pannonicorum decus videar subticere.

Martinum Severus ait Sabaria Pannonie oppido oriundum, altum Ticini, ne infimis quidem parentibus ortum, quamvis orthodoxa fide carerent. Pater tribunus militum fuit; ipse a pueritia primum sub Constantino, deinde sub Iuliano Cesare meruit quamvis invidus, quando a teneris annis sub Christo optimo maximo stipendium facere voluit. Sed, cum ex edicto imperatorum filii veteranorum nomina dare cogerentur, vi adactus militari sacramento obstrictus est. In commilitones sibi fuit mira benignitas, inaudita caritas, patientia cum humilitate singularis. Ante baptismum triennium militavit, quo quidem tempore omnia sic pietatis officia complevit, ut e stipendio nihil preter quotidiano victui necessaria reservavit. In Ambianensium porta vesaniente hieme destitutum pauperem dissecta ense chlamyde contexit. In sequenti nocte Christum salvatorem vidit in somnis ea parte tectum, qua horridulum rogatorem pie donarat, et dicentem: Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. Natus annos duodecim baptismate initiatur. Barbaris Gallias invadentibus, cum Iulianus coacto exercitu ad Vangionum oppidum pecuniam cum donativo militibus erogaret, stipendium cum donativo recusavit, ut integrum sibi foret longe meliorem militare militiam, quod ne faceret, nullis imperatoris minis adigi potuit. Militia exauctoratus humana Hilarium Pictaviae episcopum continuo petiit spectate sanctitatis virum, a quo exorcista factus est; per soporem admonitus parentes revisit; in itinere latronem ad fidem sanctamque vitam revocavit. Cum preter Mediolanum iter faceret, apparentem sub humana specie sibi demonem sacro verbo reppulit. Matrem ad veram fidem revocavit, indocilem ferumque patrem dimisit. Cum Ariana heresis totum fere Illyricum infecisset, dum in coinquinata sacerdotum collegia contionarentur, publice virgis cesus est variisque contumeliis affectus. In Italiam relatus, cum Hilarium hereticorum vi in exilium exactum accepisset, Mediolani substulit ibique monasterium sibi statuit. Unde Auxentii Arianorum principis factione eiectus in Gallinariam secessit insulam, ubi radicibus herbarum et gramine victum traxit; helleborum inscius sepe comedit omneque veneni nocumentum in nutrimentum piece convertit. Facta Hilario redeundi copia Rome occurrere conatus, cum non invenisset, vestigia secutus adhibuit, ab eo gratissime susceptus non longe ab oppido sibi monasterium collocavit. Catechumenum ad se venientem, ut suis discipulis institueretur, ac mox vita

se absente defunctum reversus revocavit in lucem. Lupicini Honorati servum, qui laqueo sibi vitam consciverat, a morte suscitavit. Turonicum tandem episcopatum invitus accepit. In episcopatu 149
 hominum frequentia infestatus ad tertium lapidem secessum petiit hinc montis rupibus, illinc Ligeri amne circumseptum, qui unica tantum via eademque arta adiri poterat. Octoginta sacerdotum ibi 150
 secum collegium instituit, quibus esus carniū ac vinum erat interdictum. Mollis habitus pro crimine iudicatus; cilicium ex camelorum pilo ferre mos erat. Locum non procul a monasterio suo 151
 falsa hominum opinione pro religiosissimo habitum sua visitatione expiavit profanumque declaravit. Sordidam ac trucem latronis umbram palam loqui imperavit. Vetus altare demolitus populum ab illo superstitionis errore vendicavit. Diruit in vico quodam templum antiquissimum, mox pinum templo proximam aggreditur excidere adversante antistite turbaque infidelium; inclinatum in se pinum intrepidus, dum excideretur, expectavit ruentemque cum magno fragore arborem solo salutis signo reppulit tantoque miraculo ad veram fidem eos convertit. Cum pauci admodum immo nulli 153
 in Aquitania Christi nomen audissent, maximam Gallie partem orthodoxa religione illustravit, antiqua profana diruit, sacra templa ubique fundavit. Incendia occurrens sepe coercuit. In vico, cui Libroso nomen erat, templum profanum adorsus demoliri a magna paganorum manu cum ignominia reiectus est. Mox implorata divina ope cum duobus angelis reversus antiquam edem diruit, idola cunctis spectantibus plane diffregit, quo quidem spectaculo ad veram fidem universa turba conversa est. In pago Heduorum, cum 155
 antiqua fana adversante paganorum turba dirueret, ut a falsa eos religione vendicaret, multos in se stricto gladio furentes miraculose reppulit divinaque virtute convicit. In Treveris puellam dira 156
 paralyti correptam liberavit. Tetradii proconsularis viri servum ab incluso demonio asseruit. In eadem urbe demones e coquo quodam eiecit. Parisios ingressus obviam ad portam leprosum uno dumtaxat osculo spectante turba mundavit. Quartanariam Arborii 157
 puellam sola curavit epistola. Cilicii fimbrie devotione subtracte variis morbis medebantur. Paulino oculum panniculi contactu sublato dolore restituit. Martino e scalarum casu multis vulneribus 158
 affecto in sequenti mox nocte angelus contusi corporis ita livores salubri unguento delinivit, ut postero die nil sentiret incommodi. Cum ad Maximum imperatorem ferocis ingenii virum et bellorum 159
 civilium victoria elatum plures episcopi convenissent et servilis eorum adulatio circa principem notaretur, in solo Martino apostolica permansit auctoritas, quippe qui, quotiens pro aliquo regi supplicare cogere-
 tur, imperavit potius, quam oravit. Principis convivium 160
 sane recusavit dicens se eius mense non posse esse participem, qui duos imperatores unum regno vita alterum eiecisset. Excusanti 161
 se Maximo imperium non sponte sumpsisse, impositam sibi a militibus necessitatem regni armis defendisse et non alienam ab eo dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili eventu victoria fuis-

set, nullumque ex adversariis nisi in acie occubuisse reconciliatus facile cessit. Ad prandium principis invitatus accessit, in quo Eudodius consul et prefectus vir iustissimus affuit; oblatam Maximi nutu a ministro pateram, ut ab illius dextera poculum sumeret, Martinus, ubi ebibit, mox presbytero suo propinavit, veluti nullum digniorem existimaret, qui post se subinde biberet; convivae omnes factum non temere admirati sunt. Maximo ante predixerat, si ad Italiam pergeret, quo ire cupiebat, cum Valentiniano congressurus, primo se impetu victorem futurum, sed parvo post tempore periturum, quod quidem rei exitus approbavit, nam Valentinianus primo adventu in fugam versus est, post annum resumptis viribus cap- tum intra Aquileie muros Maximum interfecit. Martinum angelo- rum colloquio esse visum constat, contra cum demonibus sepe congressum, quippe qui eius oculos latere non poterant, eosque convitiis Martinum frequenter ursisse, quia fallere non possent insidiis. Omnia diabolorum prestigia solvit. Iuvenem nomine Anatholium re vero subornatum diabolum sub professione monachi humilitatem ac innocentiam ementitum ac monachis interminatam, ne Martino crederent, seque a deo per angelos candida stola donatum esse affirmantem viri sanctitas plane detexit. Diabolus quadam nocte Martino Christi formam ementitus apparuit ab eoque delusus ut fumus evanuit. Summa viro in sermone gravitas et dignitas inaudita, in absolvendis questionibus scripturarum perquam acer, efficax, promptus et facilis; divina in viro reluxit humilitas. Quo die Severum excepit virum profecto doctissimum, ipse aquam manibus obtulit ad vesperumque pedes lavit. Animus celo semper intentus, temperantia inaudita, incredibilis perseverantia, rara abstinentia nullumque vacuum ab opere dei tempus. Nulla unquam hora momentumque preterit, quin aut orationi insisteret aut lectioni. Neminem iudicavit, damnavit contra neminem. Nullius vindicte memor, immo perquam immemor iniuriarum divina humanaque caritate semper estuavit. Neque iratus neque commotus neque merens neque ridens inventus est. Unum eundemque vultum celesti quadam equanimitate suffusum preferebat. Nihil in eius ore preter Christum, nihil in corde preter pietatem, pacem, misericordiam et caritatem inventum est. Quare, qui sanctissimum ac inter divos iure relatum non crediderit, non alius quam profanus et sacrilegus iure haberi potest. In secretario sedens nunquam cathedra uti voluit rudi tantum tripode contentus. Argenti pauperi et intra amphibalum irrupenti tunicam latenter obduxit. Cum in sollemnibus ante aram constitutus rem divinam faceret, repente flamma caput circumlambere visa est. Euantium languore, puerum quoque letali serpentis morsu liberavit. Cum precedens iter faceret, inusitato habitu mulas, que currum traherent, forte deerruit, quare ab essedariis graviter cesus est. Mule pro tali facinore cum loco moveri non possent, essedarii penitentia ducti et ad Martini pedes constrati veniam et abundi copiam implorarunt. Ante episcopatum duos mortuos, unum in episcopatu suscitavit, nam in Carnoto vico

mortuum matri filium ac e morte revocatum plane restituit. Cum
 adituro Valentinianus postes iussisset occludi, angeli continuo motu
 patuere. A Maximo nimium veneratus et pro deo cultus ab uxore, 174
 quorum familiaritatem minime recusavit, quo facilius miseris opitu-
 lari posset. In confinio Biturigum et Turonorum Claudiomagus vi- 175
 cus est, celebris quoque ibi ecclesia, in cuius secretario Martinus
 quandoque peregrinando permansit et in stramento requievit. Eo 176
 abeunte sacerdotes ac virgines stramentum ex devotione partiuntur,
 quod cum ad energumeni cervicem suspendissent, qui demonio
 agitabatur, citius dicto convaluit. Inter duas flammis positus non
 sensit incendium. Inter ambulandum petiit leporem miseratus 177
 unica tantum voce canes inhibuit. Venerandam virginem pre fama
 visurus repulsam habuit, quia cum nullo unquam viro se locutam
 fatebatur, quare illam miris laudibus commendavit ac missum a
 virgine xenium libenter accepit. In cubiculo a Petro et Paulo, item 178
 ab Agnete, Thecla et Maria se sepius visitatum non negavit. Con-
 sultus finem seculi discipulis respondit Neronem et Antichristum
 prius esse venturos, ad Occidentem alterum, alterum ad Orientem late
 dominaturum; Neronem ad Occasum decem reges subacturum, ut 179
 colant idola, Antichristum Hierosolymis imperaturum, urbem cum
 templo restitutum, Christianos insectaturum, ut a Christi fide
 deficiant seque Christum et dei filium credant; Neronem totumque
 orbem huic sane cessurum ac eo usque regnaturum, donec a Christo
 adveniente proteratur. Turonenses Aviciani comitis crudelitate libe- 180
 ravit. Mutam a nativitate puellam colloqui compotem effecit. Bricchi-
 onis presbyteri crimina sola dumtaxat patientia diluit suisque pre-
 cibus ad meliorem frugem revocavit. Pagum in Senonico cum 181
 quotannis cum vineis seva grando vastaret, Martini oratione omnis
 tempestas diu longe repulsa. Asseruit Avicianum a demone, qui
 tyrannum ad barbaram semper feritatem irritabat. In vico Amba- 182
 ciensi supra ingentem molem simulacrum quoddam forte conse-
 derat insano sumptu factum; Marcello sepe presbytero mandaratum,
 ut idolum dirueret, ne hac amplius religione falsa populi elude-
 rentur, quod, cum ille difficultatem causaretur, Martinus sola ora-
 tione orta tempestate subvertit. Simile quoque idolum ingenti co- 183
 lumne impositum demissa e celo parili columna diffregit. Mulier,
 que sanguinis profluvio diu laborarat, tacla vestimenti fimbria re-
 pente curata. Nonnulli, qui in naufragio exclamarunt: Martini deus, 184
 miserere nostri!, continuo desidente procella liberati. Lycontii
 familia eius tantum epistola pestilentiam evasit. Cum obitum suum 185
 multo ante presciret, instare sibi propediem corporis dissolutionem
 discipulis significavit, sed, antequam obiret, ad componendam sa-
 cerdotum discordiam in Condatensem diocesim contendit ratus haud
 ab re in id tempus suam mortem incidere, quo pacem ecclesie
 sue prelitam delegasset. Arcadio igitur et Honorio imperantibus 186
 divus Martinus Turonorum episcopus vir omni sanctitate precellens
 octogesimo primo etatis sue anno, episcopatus vero vigesimo sexto
 apud Condatensem diocesis sue vicum hac vita excessit. Ab uni- 187

versa passim Gallia deploratus et inter divos cum magna angelorum pompa relatus est, quod patres plerique sanctissimi veluti Severinus Coloniensis episcopus plane sensere. Nunc ad historiam redeamus.

Dum Iulius Unnorum prefectus ad Coloniā Agrippinā tanta 188
 in virgines feritate grassatur, Atila cum reliqua parte exercitus, quicquid inter Rhenum et Sequanam populorum effunditur, id omne diripit et incendit. Batavos, Menapios, Ambianos, Morinos, Bellovacos, 189
 Suessiones et Lexovios pariter expugnat; neque traiecta Sequana Cenomanis, Venellis, Aulercis, Diablintibus ac Venetis percipit. Quin et Osismios, Andegavos, Tricasses et Senones Ligeris fluminis accolae, qui Aquitaniam a Lugdunensi Gallia separat, gravissimis incursionibus infestat. Et, quos nunc Normannos dicimus, 190
 qui inter Ligerim et Sequanam effunduntur, omnes diro bello sollicitat. Populata demum Gallia Rhenum traiecit, Sicambros et Bructeros aggreditur, qui intra Rhenum Vidrumque amnem protenduntur. Asciburgum et Novesium graviter oppugnantur. E Lacobardis et Nertereanis preda ingens affertur. Mox transmissio Vidro et Amasia Phrisii minoresque Chauci interiacentes spoliuntur. Neque 191
 traiecto Visurgi Albique fluvio Chaucis maioribus, Teutonoaris et Virunis ignotum est. Sed ad Drusi tropea usquequaque discursum. Quin et ultra Albim Saxones universaque Cimbrica Cherronesus gravi bello sollicitata Sarmaticique sinus litora passim spoliata. Vix 192
 populi, qui cum Unnis militaverunt, detrimento et rapinis carere poterunt. Solum Traiectum ad Rheni ostia situm divina ope servatum. Deinde in Turingiam cum universis copiis se recepit et apud Isenacum urbem non ignobilem diebus aliquot requievit, ut defessa longo bello corpora reficerentur et animi populatis tot regionibus et ingeni preda exhilarati aliquanto commodius recrearentur. Atque, ut ulla e Catalaunica strage detrimenta se passum indicaret, 194
 ad ludos variaque spectacula animum convertit, munus edidit gladiatorium et varia victoriarum simulacra agenda curavit, quin et illud plane succurrit haud indignum fore sollempnia aliqua festa celebrare, ut de domita Gallia, de Romanis et Gothis triumphare videretur. Neque sibi visum est, quem in bello, eundem in pace 195
 servare animum. Ad mansuetudinem comitatemque conversus se liberalissimum benignissimumque exhibuit, finitimos principes ac populos tuti data fide itineris ad spectacula invitavit. Epulum populis exercituique dedit, sepe in spectaculis missilia sparsit. Amicis sepe in convivio congiarium elargitum, militibus ingens donativum erogatum. Primipili, legionum prefecti et centuriones ac chiliarchi oppidis agrisque donati. Invitados principes ne immunes quidem ipse dimisit. Sed, qui de Atila nonnulla scripsere, inter se nimia 197
 dissensione delirant; nam sunt, qui Atilam pro comminutis Catalaunica strage copiis, ut supplemento et auxiliis instauraret, Pannoniam vastata Gallia repetiisse tradunt instauratoque exercitu non amplius in Galliam, sed Italiam erupisse; alii reparatis legionibus Galliam repetiisse commemorant, qui admodum aberrant. Nam 198

que commodi honorisque ratio ad eas regem oras revocare potuit,
 quas vastatas incensasque reliquerit? In Italiam rectius intende-
 batur animus, qua perdomita universi orbis sperare poterat impe-
 rium. Absurdum est callidissimum principem et imperandi avidissi- 199
 mum populatas regiones bello repetere, e quibus non modo quicquam
 eripere, sed ne vivere quidem ob rerum omnium inopiam sane liceat.
 Quam quidem coniecturam ad confutandos eos satis esse nove- 200
 rimus, nisi fortasse Iordanem gravem quidem historicum sequamur,
 qui Atilam e bello Italico redeuntem in Galliam iterum
 Narbonensem contra Visigothas castra movisse refert, ut in sequen-
 tibus referemus. Et in secundo bello Gallico Ursulam cum com- 201
 mitibus cesam fuisse plerique non temere voluerunt, quia Maximus
 post Aetium imperium occupavit Valentiniani iussu interfectum.
 Atila igitur, antequam Sicambriam se receperit, Prutenos Venedici 202
 sinus accolas cum Litvanis per prefectos dicioni sue subigendos
 curavit. Per magnam demum Germaniam Scythicas gentes in infe-
 riorem Pannoniam revocavit Sicambrieque Marti deo patrio victi-
 mas mactavit, dicavit exuvias et spectacula multa edidit. Et eo 203
 tempore Ungarorum annales ob usurpati imperii suspicionem
 Budam fratrem contra ceterorum scriptorum opinionem ab Atila
 interfectum tradunt, quibus nos quoque minus adstipulamur. In 204
 patriam relatus incipere veluti longo labore defatigatus ad lenocinia
 voluptatum revocare animum, eis sponte se dedere, a natura
 propensum celebrare convivia, ludos scenicos et choreas spectare,
 mollescere inter mulierculas. Vir non tam audacis animi quam 205
 indomite libidinis crapulas cum amicis agere, cenas tota nocte
 continuare. Quinque annos in omnem lasciviam effusus intempe-
 ratam vitam duxit inglorio deditus otio. Plerique non temere id ab 206
 astutissimo principe factum opinantur, utpote qui non modo animos
 et conatus hostium, sed sociorum ac subditorum fidem ces-
 sando tentaret, quid ceteri in dei flagellum molirentur, cautius ex-
 periretur ac evidentius intelligeret. Quare ad quattuor fere imperii 207
 sui limites exploratores tanquam in specula collocasse ferunt, item
 e speculatoribus quenque continuatos cursores habuisse, qui celer-
 rime ad eum cuncta nova perferrent, alterum in Colonia Agrippina,
 qui Occidentis, ad Tanaim alterum, qui Orientis, ceteros partim ad
 Litvaniam, partim ladre statuisset, qui septentrionis ac meridiei 208
 res novas explorarent. Illud in eo rege mirabile neque laborem
 bellicum a libidine ac voluptatibus vendicasse neque otium a bello
 neque feritatem a clementia Scythicum asseruisse hominem. Paca- 209
 tas interea provincias per legatos et presides administrare, finiti-
 mos undique creberrimis eruptionibus per prefectos legionum
 acerrime sollicitate, ad tutandos regni fines copias disponere,
 quare in otio sollicitus et in sollicitudine otiosus plerunque videri;
 equata in eo vitiorum et virtutum semina. Pannonius iugo et la- 210
 bore usque adeo gravi vexare solitus, ut, si Ungarice credamus
 historie, relictis pastoribus et armentis impetrata a rege missione
 quamplurimi in Apuliam emigraverint. Neque tamen interea desiit 211

legionis cuiusque supplementum curare, pecunias cogere, quecunque bello sunt usui, impensius curare, disponere commeatum opportunam, delectum sensim habere, oppidatim auxilia contrahere, donare largius emeritos et veteranis iam effetis dare missionem. Item otii quinquennio tirones deligere delectosque disciplina militari diligentius instruere, adolescentes et pueros ex oppidis et vicis passim cogere, educare in castris et scholas tironum provinciatim disponere. Novissimo quinquennii anno instauratis viribus Italiam, cuius imperium tantopere affectarat, invadere statuit. Augebat animum, quod quiescenti nemo bellum inferre audebat. Iam bella cessante Scythia ubique desierant, omnes ubique potentatus veluti longo defatigati bello quieverant. Marcianus Constantinopoli otium servavit, Greciam, minorem Asiam, Illyricum, Thraciam et Mysiam pacatam habuit. Pari otio Geisericum in Africa, in Lugdunensi Gallia Meroveum, in Belgica Burgundiones, Thorismundum, Suevos et Alanos in Hispaniis, Aquitania Vasconiaque fuisse legimus. Quid eodem quinquennio Valentinianus Rome gesserit, nondum satis compertum habemus.

LIBER VI.

Italiam adoriturus Atila, quam diu anhelaverat et eo vel maxime, quia domitis Romanorum viribus se facile totius orbis imperio potiturum esse sperabat atque admodum verebatur, ne Visigothe Romanum imperium occuparent, communem orbis pacem ac otium interceptit. Maritimam Adriatici sinus oram prius expugnare decrevit, ne ingressus Italiam a tergo ab hoste Greco graviter adurgeretur et a fronte Romanum haberet infestum et, si quid adversi pedem referre cogeret, reditus inhiaberetur. Quare coactum undique exercitum priore nequaquam inferiorem e Pannonia per Illyricum ad Adriaticum mare perduxit imprimisque Tragurium aggreditur ab Isseis conditum Scardonamque Liburnicam pariter infestat. Quanquam oppidani acrius instarent, quia nulla deditione ferum hostem sedare posse confidunt, acerrima tamen oppugnatione vincuntur. Nulla maritime ore presidia Marcianus imposuerat nullaque munitione firmarat; viri ad unum cesi omnes, fortune direpte, mulieres cum pueris in servitulem asserte, planctu et vociferatione completa omnia. Ne id quidem Scythe satis visum est, vetustissima oppida diruit, domos incendio delevit. Diruitur Tragurium civium Romanorum marmore notum. Scardona ad Dalmatie initium hostili manu subvertitur. Mox ad Belgradum et Sicum, quod Sibinicum nunc appellant, castra movit; haud ignobile oppidum, in quem locum divus Claudius veteranos misit, obsessum paucis diebus expugnat, in oppidanos pari crudelitate sevitur; vicos latius incendit universamque Dalmatiam ad Sardonium usque montem igni ferroque devastat, cedibus omnia complet. Caronam deinde coloniam obsidet ad Diomedis promontorium collocatam, quam facta deditione hominibus iuxta ac fortunis spoliavit.

Nondum hinc pedem moverat, cum Salonam nobilissimam 9
 populi Romani coloniam gravi obsidione imperat obduci, cuius
 vestigia ea supersunt, ut, quanti momenti urbs illa fuerit, haud
 difficulter ostendant. Vix tribus milibus passuum a mari remota in 10
 planitie sita interfluente flumine dividebatur, opulenta nimis et
 fecunda, quando Dalmatarum celeberrimum semper hec fuit em-
 porium. Munitam urbem forti animo Unni aggrediuntur, varia 11
 menibus tormenta admovent, turres ac vineas pars adhibent, multi
 allatis scalis circumveniunt, arietibus plerique menia quaterere, portis
 alii admovere testudines, ceteri muros diversis artibus oppugnare.
 Contra oppidani instare fortius, dicere nullam deditionem sperari 12
 oportere, se a Romanis oriundos adversus barbaros Romana
 virtute certaturos, ad hec satis comteatum habere neque inedia
 neque siti defuturos. Contra his verbis Atila ita irritari, ut aut ibi 13
 totum exercitum perdere aut urbe potiri statuerit. Quare tertio die
 iterum pugne signum dat, fossam compleri iubet, aggerem quoque
 proteri, ut sine impedimento menia cuique adire liceat, mox turres,
 arietes ceterasque machinas propius admoveri, ad urbis portas sin-
 gillatim castella erigi, quibus oppidanos a menibus repellant, que
 ad octavam usque contignationem extulerat. Que omnia ubi facta 14
 sunt, urbem undique invadunt, pars menia conscendunt reiiciunturque
 instantius ab oppidanis. Pars adacta testudine muros suffodiunt,
 admotis multis machinis menia quassa diruunt aditumque urbi
 patefaciunt, alii sese ingerere student in menibusque ceduntur.
 Contra oppidani resistere fortius et obstinatius in ruinis urbis ca- 15
 dere, alii reclinato hoste fimo et egesta terra obstruere aditus,
 obicere vasa vinaria completa saxis. Ubique clades miserrima 16
 oritur, utrinque cadunt homines; hinc multi a menibus deturbati
 aut saxorum ruina collisi, illinc supra menia sagittis iaculisque
 confossi, quin et urbem multi ingressi continuo obruncati sunt.
 Nam in media urbe presidium collocarant, unde laborantibus dato 17
 signo e vestigio succurrebant. Item mulieres saxa, conflata picem
 ac sulphur cum aqua ferventissima circumferre, adiuvere viros,
 preterea hortari, ut pro patria ac liberis, pro aris et focus obnixius
 dimicent, nil pluris estiment, quam pro patria mori. Preterea ille 18
 plerunque virorum supplementum esse et in demortuorum loco se
 ultro sufficere: pars earum securi, nonnulle saxis deturbare sub-
 euntes. Harum opera subsidioque oppidani ita confirmati sunt, ut
 hostem undique deiecerint. Atila militem ab oppugnatione revocat, 19
 ne suorum stragem augeat. In quo prelio Unnorum duo circiter
 milia desiderata, ex urbanis vix cecidere centum. Multi utrinque 20
 saucii, cives curatis aliquantisper corporibus vigilias ubique dispo-
 nunt, stationem quisque suam repetit, diruta menia aggere alto
 resarciunt alii, alii, ut tutius urbem protegant, interiore fossa vallo-
 que urbem circumveniunt crassoque intus aggere muniunt, ut, si
 forte menia deseruerint, intro sese referant, quibus certum erat aut
 obstinatissime patriam tueri aut, si qua fati iniquitate cogantur,
 cruentissimam hosti victoriam relinquere. Atila reficiendi spatium 21

oppidanis sibi calamitosissimum fore ratus, quandoquidem hinc
 victoriam differri ac suorum cedem augeri intelligebat, iam consi-
 lium init assidua urbem oppugnatione sollicitare et modo eludere,
 modo acrius infestare; decernit, ut negata quiete laboribus pariter et
 vigiliis conficiantur. Quin etiam pro virili parte sumendi cibi spa- 22
 tium abnegare studet, quod pre nimia gentium multitudinē facile
 poterat, quare in sequenti die perpetuum urbi prelium indicit. Clam 23
 prefectos cohortium admonet, ut datis vicibus prelium ineant, die
 oppidanos eludant, ne respirent, noctu vero gravius adurgeant. E 24
 composito pugnam ineunt, a principio, quacunq̄ue possunt, arte
 vehementer infestant, post quintam horam alii succedunt, pugnam
 redintegrant, pari arte ad vesperum usque dimicant. Ingruente
 nocte alii continuant, acerrime quidem oppugnant, per tenebras
 eludebantur ictus et quandoque ex insperato inferebantur. Sub me- 25
 dia nocte prelium instauratur, ingenti utrinque clamore pugna con-
 seritur. Oppidani saxa trabesque devolvunt, cum pinnis murorum
 hostes appropinquare ceperint, alios securibus e muro deturbant;
 strages instauratur. Oppidani continuata pugna inedia defessi alic- 26
 ubi cedere ceperant, contra isti menia conscendere, quod ubi in
 tribus quattuorve locis factum est, cessere sensim illi et intra se-
 cundam munitionem se recipiunt. Contra illi a tergo instare et, 27
 dum eos prosequi student, in cecam fossam cadere, unde se red-
 imere non facile poterant. Innumerabilis multitudo interiorē fos- 28
 sam sane compleverat, quam oppidani saxis telisque confodere
 aggrediuntur, quod ubi a succedentibus intellectum est, ad lucem
 usque e muris pugnatum, quando isti spe potiunde urbis perciti
 acrius instare, contra illi desperata salute obstinatius resistere.
 Illucescente die rex menia conscendit, quod ubi ab universo spec- 29
 tatum est exercitu, innumera undique multitudo confluit, cuius
 agmine non modo completa fossa, sed equatus agger; alius super
 alium urbem ingredi contendit. His igitur agminibus obruta civi- 30
 tas utriusque sexus cede completur, passim diripitur et nobilia
 civium Romanorum edificia diruuntur; neque templis quicquam
 concessum et aris. Civium fortune aut prede abacte aut igni sunt 31
 absumpte. Decuriones omnes ex edicto ante conspectum Atile in
 foro cesi. Nemo ex urbe vita donatus est. Non in Salonenses, 32
 sed in Romanos ibi tunc seuire Atila videbatur eoque magis exul-
 tabat Unnus, quo superiora Romane gentis edificia subverteret.
 Prestantissima demum populi Romani colonia tunc solo equata 33
 nunquam posthac resurgere potuit, nisi quod ex quibusdam Salo-
 nensium reliquiis Spalatum non ignobile oppidum ad tertium
 lapidem remotum plerique factum esse credidere. Nostra autem 34
 tempestate vix Salone vestigia recognosceremus, nisi situs ipse no-
 bilissimus ultro profiteretur. Tali victoria ita regis intumuit animus,
 ut hinc occupandi Romani imperii auguria captaret.

Post hec non modo mediterraneam regionem ad Adriam 35
 usque montem populatur, qui Dalmatiam mediam dividit, verum
 etiam Absyrtim Pharumque quibusdam Salonensium navibus ag-

greditur. Vetustissima quidem loca, quando alterum ab Absyrto Me- 36
 dee fratre, dum a suis petitur, ibi discerpto nominatum, alterum
 edificatum a Paris, unde Pharium Demetrium oriundum fuisse
 predicant. (Verum Paris quondam Romani, cum atrociniis cuncta 37
 vastarent, in penitiorum terre partem reiecerunt et, ut colendis
 agris incumbere, adegerunt. Item Priamonem, Niniam et Sinotium 38
 novum et vetustum oppidum Cesar Augustus, cum multis aliis,
 cum pluris annos in Romanos arma gesserit, ferro ignique vastavit.)
 Quin et Melenam, quam Corcyram appellant, cum oppido a Cnidiis 39
 edificato populatur. Mox, ut Italiae appropinquaret, ad Titium am-
 nem, qui a Bebiis montibus demissus Liburnos a Dalmatis diri-
 mens inter Salonam Iadramque in Adriaticum mare devolvitur, castra
 revocat. Iadram coloniam Romanam ceteris in eo tractu minime 40
 cedentem obsidet. Decuriones finitimorum exemplo deterriti consilium
 deditiois ineunt. Urbs est in peninsula speciem redacta a tergo et utro-
 que latere mari circumdata, a fronte adiuncta continenti. Ante civita- 41
 tem ad montes usque planities tribus fere milibus passuum effusa, loci
 amenitate ac feracibus insulis circumventa, quam aliqui Adrie maris
 filiam aut violam interpretantur. Per legatos quinque dierum spa- 42
 tium sibi dari petunt, donec de pacis condicionibus decernant. Nil
 abnuat Atila, partim quia loci benignitate delectabatur, partim quia
 munitissima queque loca non sine maxima suorum clade capere
 poterat et superiore cede furor magis aliquanto desederat. Interea 43
 Meseos, Dindaros et Derriopes ceteraque mediterraneae regionis oppida
 pagosque diripit. Enonam, Corinium, Argyruntum et Vegiam mari-
 timas urbiculas in deditioem accepit. Quinto die legati ab urbe
 redeunt, deditioem ultro deferunt grataque obsequia pollicentur,
 si homines cum fortunis incolumes fore promiserit; quod ut facilius
 assequantur, bis decies mille aurum offerunt. Accepit condicionem 44
 Atila; compositis utrinque rebus adeundi sibi copiam fieri mandat;
 cum paucis contra illi supplicant urbem ingredi oportere, ne quid
 militum intemperantia detrimenti committatur. Res in diem posterum 45
 prorogatur; deditioem urbis sibi fieri mandat. Decuriones et metu
 et promissis confusi, quamvis non deessent, qui eam fieri prohi-
 berent, tandem portas tyranno patefaciunt. Is, ubi urbem ingressus
 traditam sponte arcem accepit, omnes civilius se gerere mox edicit.
 At, ubi Scythica multitudo opulentam civitatem circumspexit, ne fa- 46
 cile quidem contineri potuit, quin barbaro more licentius viveret.
 Vi nonnulli uti cepere, plerique rapinas primo furtim, mox passim 47
 agere, malo exemplo sic alienam audaciam augere, dicere plerique
 invitum hanc condicionem Atilam accepisse, exercitum in sterili dif-
 ficilique regione versatum licentius vivere oportere. Contra oppidani 48
 vim et rapinas a principio iniquo animo ferre, rogare et obstetari,
 se mitius agerent; iura pacis non sine maximo scelere ledi posse.
 Intemperatum et petulantem hostem cum plerique in edibus tole- 49
 rare non possent, primo clam mutuo sese interficere, deinde, ubi
 palam id fieri ceptum est, summa in media nocte seditio suscitatur,
 tumultuaria in urbe pugna conseritur; utrinque multi cadunt, multi

quoque cecis ictibus suos interimunt. Experrectus Atila, cum tu- 50
multum sedare non posset, cives ab Unnis obruncari, cuncta mi-
sceri ac diripi permisit. E decurionibus magna manus, cum in par-
vam classem fortunas, liberos et uxores redegissent, multis cesis
ab urbis tergo solvere in Italiamque traicere. Qui inconsideratius 51
se gessere, partim in eo tumultu cesi sunt, partim letali vulnere
saucii, nonnulli in latebris delituere. Illucescente die civitas Unno
militi in predam concessa rapinis incendioque vastatur. Hec ubi e 52
sententia evenere, in lapydiam Atile castra mota saxosam quidem
regionem gregibus tantum vinoque pollentem, ubi Senia imprimis
obsidetur a Senonibus Gallis dicta ac condita, e cuius conspectu
in Italia quoque Senogallia ac Sena in Etruria eodem nomine pre-
dita. Nam ex Gallis etiam Boi in Noricis et Scordisci in Mysia 53
extitere, in funesta nanque illa peregrinatione sua multa oppida
condidere. Similiter ex Illyriis Autariate, Ardiei et Dardanii et e Thra-
cibus Triballi fuere, si qua Straboni danda est auctoritas. Seniam 54
nulla munitione presidioque preditam statim occupant et diripiunt,
pari calamitate Ortopliniam, Vegium, Lopsicam et Tarsaticam affi-
ciunt. Vicos inter arduos montes olim reconditos usquequaque di- 55
ripiunt, incendio omnia absumunt, viri agrestes aut cesi aut in ser-
vitutem asserti, nulla senibus, cum inutiles forent, habita miseratio.
Ad Flanonam demum et Alvonam perventum est, que Istrie sint fini- 56
timitime, et iste quoque direpte pariter et incense. Nulla tunc fuit tam
seva ab Unnis exercitata crudelitas, que illorum rabiem explere potu-
erit. Corruit igitur Illyrice Liburniceque gentis elata superbia, que 57
sepe antea florente imperio Romano graviter est attrita. Nam in-
ter Arsiam Titiumque amnem per totum maris Adriatici litus ef-
fusa regnante Teutana muliere populationibus et rapinis non con-
tenta ius adhuc gentium maiore facinore violare non erubuit. Quippe 58
legatos populi Romani, qui ad coercenda eorum latrocinia ve-
nerant et de his, qui deliquerant, iure agebant, non gladio, sed
victimarum more securi percussit, combussit prefectos navium
et in contemptum populi Romani mulieris ultro subivit impe-
rium. Quare continuo senatus consulto in Dalmaticam expeditio- 59
nem Gn. Fulvius Centimalus mittitur, qui tractum universum
perdomuit et, ut cumulatissimis legatorum manes inferiis placaret,
in principum Dalmatarum colla secures strinxit. Iterum, cum in bello 60
Macedonico Perseus rex Illyricos pecunia conduxisset, ut Romanos
a tergo distringerent, quia a fide populi Romani defecerant, ab
Anicio pretore sine mora subacti sunt deletaque Scodra, que
caput gentis erat, statim a ceteris facta deditio. Tale bellum ante 61
finitum, quam geri Rome nunciatum. Tertio imperante Augusto,
cum sylvarum occasione latrocinia Dalmate frequentius agerent,
hos incensa urbe Delminio fere detruncaverat, post hec Asinius
Pollio gregibus, armis agrisque multaverat. Deinde Vibio perdo- 62
mandos Augustus mandavit, qui ferum genus hominum terram et
aurum fodere coegit Romano erario obnoxium, ut gens avara in
alienos usus aurum parans cumulatam avaritie penas lueret.

Populata incensaque Dalmatia universoque Liburnico tractu 63
 Unni mox Istriam peninsule more in longitudinem excurrentem in-
 vadunt atque ne inferiore quidem urbium hominumque prestantia
 pollentem. Late in agros excurrunt, vicos populantur, castella multa 64
 diripiunt, ingentem predam abigunt, innumeram agrestium multitu-
 dinem captivam abducunt, inutilem etatem cedunt. Istria maritimis 65
 exornata urbibus tota miscetur, quam ab Istro flumine in Adriam
 effluente contra Padi ostia et a Danubio in Italiam divertente pleri-
 que falso cognominarunt et presertim Cornelius Nepos etiam Padi
 accola, cum nullus e Danubio fluvius in mare Adriaticum fluere
 videatur. Hac dumtaxat ratione decepti, quia non procul a Ter- 66
 geste navis Argo secundo flumine in mare descendit, constat enim
 navim humeris Alpina iuga traiectam, quo amne defluerit. Argo 67
 naute nanque Istro, deinde Savo, deinde Nauporto, cui ex ea causa
 nomen est inditum, inter Emonam Alpesque exorienti liquido sub-
 iere. Polam imprimis clarissimam populi Romani coloniam a Col- 68
 chis olim conditam, deinde Pietatem Iuliam appellatam obsident.
 Indicto prelio postero die oppugnare adoriuntur, pugna acerba
 committitur, qua perterriti oppidani deditionem faciunt subituri,
 quecunque hosti placuerit, condicionem. Decuriones in foro ob-
 truncati, ceteris data venia. Urbs demum antiquissima ab his Col- 69
 chis condita, qui adversus Medeam missi votique impotes ac fuge
 desperatione solliciti Grecorum lingua exulum, Colchorum vero
 Polam edificatam civitatem, ut Callimachus ait, appellaverunt, Un-
 norum furore corrui. Ne Parentium quidem cum Emona immune 70
 relictum est, quando pari incendio absumptum est id oppidum a
 Romanis conditum. Omnes quoque vici, qui Flanaticum sinum a 71
 vesaniente tempestate dictum accolunt nunc Carnarium a Carnis
 montibus nuncupatum, eodem tempore populati; mediterranea regio
 pariter incensa est. Quin et Stridonis oppidum a Gothis prius ever- 72
 sum, quod in Dalmatie quondam Pannonieque confiniis situm erat,
 divi Hieronymi reverentia instauratum ab Unnis iterum incensum
 est. Deinde ad Tergestam urbem festinatum claram quidem colo- 73
 niam Romanorum C et LXXX stadiis ab Aquileia remotam, quam
 paucis diebus expugnavit, diripuitque Pucinum vino nobile castel-
 lum. Traiecto Formione, cui nunc Risano nomen est, et Arsia flu- 74
 mine ad Natisonem usque discurrit et pagos oppidaque passim
 ferro ignique devastat.

Mox ad Aquileiam animis tali successu adauctis ab Unnis 75
 properatum est, cum facile se urbem capturos esse sperarent, quia
 ceterarum more presidii carere opinabantur. Neque noverant illam 76
 Transpadanarum urbium quondam fuisse primariam a Romanis
 olim conditam haud secus ac incumbentibus barbaris impositam,
 XV milibus passuum a mari remotam, quam Alsæ, Natiso Turrus-
 que preterfluunt. Ad eam olim adverso flumine onerariis navibus 77
 obnavigare solebant per Natisonem amnem plus stadiis LX gentes
 ad Istrum Illyrice, ad hoc subvehebantur emporium, quibus mos
 erat maritimas merces, vinum et oleum convectare, illis contra man-

cipia, pecora, pelles. Extra Venetie fines in planitie sita est et ab 78
 ea flumine ab Alpibus defluente disternatur, per quod ad urbem
 usque Noreiam stadiis circiter mille et CC subnavigari solet, ubi
 Gn. Carbo collatis adversus Cimbro signis re infecta discessit.
 Locus est, ut ait Strabo, ad purgandum aurum suapta natura ni- 79
 mis idoneus, ne minus quidem ad ferri fabricas. In ipso quoque 80
 sinu templum Diomedis fuisse memorant prestantissimum cum
 amenissimo luco edificium. Diomedis in Adriatico mari potentatum 81
 non modo Diomedee testantur insule, et que de Daunia gente et
 que ad equestre Argos memorie prodita sunt, sed insignes, qui
 apud Venetos olim exhibebantur, honores, quibus candidum illi
 equum immolare mos erat. Duo preterea quondam luci monstra- 82
 bantur, alter lunoni Argive, Diane Etolie alter dicatus, in quibus
 feras referunt ita solitas mansuescere, ut passim cervi cum lupis
 pascerentur; canes hic damis et leporibus dicto citius reconciliari
 confabulantur. Preterea fama est quendam in faciendis vadimoniis 83
 fuisse studiosissimum eoque officio celebrem effectum iocis ho-
 minum carpi admodum consuevisse; eundem incidisse in venato-
 res, qui irretitum lupum haberent; ab his per iocum fuisse roga- 84
 tum, an pro lupo sponte se vadem statuere vellet, ut illata ab
 eo damna persolveret; quod si faceret, eos recipere se continuo
 irrelitam bestiam dimissuros; hunc pro lupo fideiussisse, emissum 85
 deinde lupum ac maximum equarum armentum agitantem nulla
 inustum nota ad fideiussoris stabulum adduxisse; eum recepta
 gratia equabus lupi notam inussisse et ex hoc lupiferas appellasse
 velocitate magis quam pulchritudine excellentes; nomen et notam 86
 equarum successores generi servasse, ex his nullam alienasse fe-
 mellam, ut eis tantum stirps ipsa perduraret; equinam hinc sob-
 olem pernecitatis mire promanasse. Verum, ut ad veriora pervenia- 87
 mus, imminente bello Macedonico bellum cum Istris initum, quippe
 qui coloniam Aquileiam deduci prohibebant. Et eodem anno in
 agro Gallorum Latina colonia deducta. Tunc florere Aquileia cepit,
 cum Romani cum populis Danubii accolis bellum iniere. Ne illud 88
 quidem, ut Capitolinus ait, pretereundum est tanta contra Maximinos
 fide Aquileienses pro senatu extitisse, ut, cum ad sagittas arcuum
 nervi emittendas deficerent, e mulierum crinibus eos instaurarent.
 Quin et in marmoreo lapide id legitur incisum imperatorem Ce- 89
 sarem Augustum Aquileiensem restitutorem et conditorem. Viam
 quoque geminam a porta usque ad pontem per tirones iuventutis
 nove Italie sue delectus posterioris longi temporis labe corruptam
 munivit atque restituit. Sed ad diverticulum revocetur oratio.

Atila Aquileiam circummensus et magnitudinem urbis et mu- 90
 nitionem admiratus non modo tumultuaria oppugnatione, sed ne
 diutina quidem obsidione facile capi posse conspicatur. Nam, ubi 91
 in Italian ventum est, Valentinianus maritimis suis urbibus valida
 presidia imposuerat Scythici furoris non ignarus. Aquileienses quo- 92
 que cives, ut expeditius ac tutius cum barbaro hoste pugnarent, li-
 beros, fortunas, uxores et inutilem etiam etatem in proximas in-

sulas exegerant. Acerrima tandem obsidione metropolis ipsa vexatur, 93
 contra vero nec quenquam facile patitur appropinquare. Sepe
 interdiu, quandoque noctu ex urbe in castra fiebat eruptio cesis-
 que complurimis clandestina receptui signa dabantur; ars arte se-
 pius utrinque eludebatur. Neque equo animo suos temere mori pa- 94
 tiebatur Atila, patentem feracemque prius agrum populatur, vicos
 et montana castella succendit, in Foroiulienses cognomine Trans-
 padanos late ac solita immanitate grassatur; ne temere quidem id
 ab Unno factum, ut presenti crudelitate oppidanorum animos con-
 sternaret et ad deditionem adigeret. Contra illi liberis, uxoribus 95
 fortunisque levati neque facile commeatibus et presidii carituri
 suis freti viribus bene sperare, hostem animosius expectare, irri-
 tare sepius et dimicandi ultro facere potestatem, tumultuario sepe
 prelio lacessere, vigiles sopitosque ex improvviso aggredi et ne me-
 diocre quidem hosti quandoque inferre detrimentum. Neque tamen 96
 ad hec Atila quiescere, vereri sepe ac idcirco graviter angi, ne in
 primo Italie propugnaculo universa eius opera eluderetur. Quare 97
 ad artem astutiamque suam se quotidie revocare, excogitare, que-
 cunque expugnationi sunt usui, turres ligneas circumerigere, munire
 pluteis, materiam undique ad complendam fossam cogere, sepe ad-
 motis circum machinis menia tentare neque unquam sine magna
 suorum cede redire. Neque vi neque adactis undique cuniculis ne- 98
 que quavis arte urbem capi posse ratus fame dumtaxat expugnare
 sperabat. Ne quid adverso Natisone a Romana classe subvheretur, 99
 aut a Carnis Noricisque deferretur, animum intendit; montium
 claustra occupantur, custodiuntur ostia fluviorum et omnes aditus
 obstruuntur. Contra nihilo secius Unno providendum fuit, ne innu- 100
 mera multitudo interceptis commeatibus fame periret. Quare latis-
 sime evagari cogebatur et loca presidio carentia longe diripere, ne
 qua cibariorum inopia laboraret. Item, ne, dum Aquileie obsidione 101
 remoratur, otio torpeat exercitus aut facta seditione solvatur, fini-
 tima interea oppida expugnat. Partem equitatus et expeditos mi-
 lites Tiliaventum amnem traicere iubet. Concordiam perbrevis occupa- 102
 pat diruitque ne contemnendam quidem populi Romani coloniam.
 Item Altinum more Ravenne in palude situm et Opitergium vetusti
 nominis oppidum evertit. Que, quamvis postea instaurata fuerint, 103
 eodem tamen anno, quo Forum Popilii, a Longobardis deleta
 fuisse legimus. Ex Altini ruinis Torcellum edificatur. Tarvisiani, 104
 Quarqueni, Foretani, Togienses, Varvari pariter affliguntur. Tarvisium
 Silus annis dividit a Venetorum paludibus XX milibus passuum
 sane remotum, Altinum vero tribus milibus. Sensim artius tamen 105
 Aquileia obsidebatur, nam, ubi castella multa ante portas ac cir-
 cum erecta sunt, nemo ex urbe prodire neque inferre quicquam
 aut efferre poterat; fossa egesta terra completur. Iam sub menibus
 constiterat hostis et a menibus oppidani repellebantur. Secundus 106
 tunc annus agebatur, cum Carnis, Foroiuliensibus ceterisque finiti-
 mis late subactis deletisque adhuc Aquileia obnixie restiterat. Illud-
 que omnibus certum erat aut urbem tueri aut cum ea pulcherrime

cedere, quoniam nihil Unnorum servitute miserius reputabant. De- 107
 cem circiter hominum milia sub urbe ceciderant et nihil adhuc
 obesse potuere. Spem dumtaxat in eo collocarant ad extremum ita
 defatigare hostem, ut obsidionem deserere cogeretur. Neque ab 108
 Atila promissis ullis adduci potuere, ut sese dederent, quibus non
 modo personarum fortunarumque incolumitas et immunitas vecti-
 galium offerebatur, sed unicum tantum obsequii signum postula-
 batur. Obstinatius ad hec obstare oppidani, qui vanam Scythicam
 fidem et clementiam aliorum exemplo didicerant. Imposterum cum 109
 his Atila se benignus agere, captum, qui forte prodierit, ultro reddere,
 muneribus quandoque sollicitare decuriones et hortari, ut aliquam
 patrie ac suorum rationem haberent; dicere preterea nullum sibi
 subsidium preterquam ab hoste sperandum. Ad hec illi aures ob- 110
 struere, nihil pretermittere, que ad propugnandam patriam pertine-
 rent, cibaria viritim distribuere et ea quidem quam parcissime,
 vitam pro salute patrie pro nihilo ducere et eo maxime, quando
 uxores, liberos et fortunas in Gradensi insula collocarant.

Cum iam tertius elaberetur annus, diversus admodum Atila 111
 trahebatur, presertim cum rursus milites intelligeret et sedi-
 tionem inter varias gentes facile orituram nimium formidaret. Quin
 et plerique proceres de solvenda ad eum obsidione retulerunt, de
 qua adhuc nihil decernere voluerat. Demum, cum urbis menia lu- 112
 straret, prospexit ciconias, que per domorum fastigia nidos dispo-
 nere solent, ex urbe pullos educere, per pagorum culmina instaurare
 nidos, omnes certatim fugam capere. Captato exemplo augurio 113
 suos principes acciri iubet. Conspicite, inquit, proceres, quam dex-
 tra nobis auspicia dii dederint, qui, ne magna cepta temere dese-
 ramus, per auspicalissimas aves e celo nos admonet. Urbem diu 114
 obsessam dudum interituram ciconie ecce relinquunt. In quanta re-
 rum omnium inopia versentur hostes, evidentius ostendunt, casuras
 arces periculo imminente deserunt nobisque imminentem victoriam
 portendunt. Proinde estote bono animo, commilitones, quoniam 115
 hec una dies, quod triennium in gravi obsidione prestare non po-
 tuit, cumulate pendet. Tuque, Mars pater et invictissime Hercu- 116
 les ceterique dii, presentia confirmate auspicia, propius respicite
 gentem vestram, quam in flagellum populorum emigrare iussistis
 a facinorosisque nationibus penas exigere voluistis. Ego autem, si 117
 ope vestra in Romanos victoriam continuabo, pro referenda gratia
 tertiam exuviarum partem vobis ipse voveo Martique patri ex hos-
 tili sanguine opimam hecatomben me facturum esse recipio. His 118
 Atila verbis sic omnium animi passim succensi sunt, qui victoriam
 dudum desperarant, ut extremas cuique vires se ostensurum certum
 esset. Dato subinde signo machinas urbi admovent, comparatis 119
 omnibus, que huic rei usui forent, ita obstinatis pugnam animis
 ineunt, ut, priusquam in suam potestatem urbem redegerint, nun-
 quam prelium deserant. Facto itaque agmine ita concursus est, 120
 ut temeritate potius quam prudentia freti cunctationem nullam fe-
 cerint, donec menia conscenderint. Oppidani indomita hostium auda-

cia consternati ne tot quidem e propugnaculis deturbare poterant,
 quot certatim pro se quisque subibant. Completa corruentium cada- 121
 veribus fossa et equato iam aggere plus hinc animo et obstinatione
 quam viribus arteque pugnatum, contra illinc melu et desperatione
 certatum. Instat hic et illic Atila, suos hortatur, initam iam victo- 122
 riam transigant, munera coronasque murales et eterna stipendia
 pollicetur. Predam omnem militibus offert; opulentissimam eam
 esse alteramque Romam exclamat. Nunc se cunctatius corripit agen- 123
 tes, nunc strenuos et animosos extollit et modo imperatoris modo
 militis pro tempore ac loco gerit officium. Nihil eo die pretermisit,
 quod fortissimi ducis esse videretur. Dum oppidanos iam laborare 124
 conspicatur, captam ubique urbem exclamat. Ipse sumpto clypeo
 adiectis muro scalis conscendere nititur, quod ubi a ceteris spec-
 tatum est, tantus in urbem undique factus est impetus, ut ultra
 defendi nequiverit. Rex a menibus predam, cedem, incendium et 125
 ruinam exclamat. In urbe et publico et privato prelio res agitur,
 frementes hinc voces, miserabiles illinc intonant u'ulatus. Aquile-
 ienses ad unum cesi omnes. Hos pulcherrime mori, vilius alios 126
 cernere erat; mortem plerique lacessendo carpebant, occurrebant
 fortius aliqui. Multi prede dulcedine allecti, dum per latebras incau-
 tius evagantur, miserrime ceduntur. Mulieres, que superfuerant, 127
 rapte omnes et prostitute sunt; nulla honestatis, pudicitie, etatis et
 clementie habita ratio. Ne sexui quidem aliquid indultum; distra-
 hebantur passim virgines ingenueque matrone et pro hostis libidine
 vis cuique illata. Tempa, vie, fora item publice privatimque cedibus, 128
 furtis et rapinis omnia fedari, pre virorum oculis uxores incestari,
 cedi ante ora parentum immanissime filii, infantes matribus erepti pa-
 rietibus illidi; vastari omnia ferro et igni, cruoris rivi passim agi; ex-
 tincta misericordia ac cedibus omnia misceri. At una prestantis pudici- 129
 tie matrona commemoratur, que a fedo hoste petita, dum in tecta fugit,
 ut eam tueretur, postquam non alia via nisi morte impollutum cor-
 pus servare posse cognovit, e summis edibus in subiectum Natisonem
 fluvium ultro se precipitem dedit. Inter divas non immerito refe- 130
 renda, quando tam preclarum servande pudicitie universe posteritati
 legavit exemplum. Urbem denique non prius reliquit, quam
 anno salutis CCCC quinquagesimo quarto; humi equatam ferus
 Scythia prospexit. Rem aliter gestam plerique tradiderunt rebus 131
 Italis assentari potius, quam scribere vera conati, utinam his arti-
 bus immanitas barbara fuisset elusa. Dicunt enim Aquileienses 132
 fame seva laborantes ex triennii obsidione hoc commento salutem
 sibi invenisse armatas per menia statuas, que custodum ordinem
 mentirentur, rite disposuisse, incautum hostem prospecta urbis
 munitione se ignavius egisse sepe stationes excubiasque deseru-
 isse fastiditum, cives cum liberis, uxoribus et fortunis ex urbe
 clam abiisse et in proximam insulam, quam Gradum dicunt, confu-
 gisse. Unnum spe sua frustratum et illum ex ciconiis, que statuas 133
 insederant, cognovisse, occupatam mox urbem desertam invenisse
 fabulantur. Utinam id verius quam calamitosius asserere liceret.

Eversa Aquileia ita omnium Itatorum animi consternati sunt, 134
 ut pro menibus hostem instare reputarent ac maxime Romani, qui
 non multo ante tempore direptam a Gothis urbem acceperant et
 nunc immanitatem plus quam Gothicam reformidabant. Cum Aquileiense
 excidium in senatu relatum est, omnes usque adeo exanimavit, 135
 ut vita defunctis invideretur, qui ex his malis divina quadam
 commiseratione prerepti viderentur, vivorum condicionem ultro com-
 miserarentur, qui ad tam misera tempora reservati forent. Silen- 136
 tium cum gemitu singultuque aliquamdiu celebratum. Valentini-
 anus imperator dissimulato parum metu, ne ceterorum exemplo
 suo animos consternaret, patres rogare sententias cepit. Pauci cen-
 suere, quando nemo pre dolore verbum facere poterat. E senatus 137
 tandem consulto res divina apud omnia pulvinaria, item iustitium,
 supplicationes ac lustrum indicitur. Et, cum superiore anno terre-
 motus assidui et comete fuerint, item multa loca de celo tacta
 variaque portenta, expiendam urbem decrevere, preterea delectum
 per Italiam passim habendum et ingentes copiarum apparatus. Di- 138
 misso senatu matrone in forum prodeunt, patrie, liberis, foci et
 aris prospiciendum esse vociferantur, suam et Aquileiensem cala-
 mitatem deplorant, ornamenta offerunt et barbaris occurrendum ex-
 clamant. In urbe ubique fluctuatur et discurritur; tumultus ingens 139
 et planctus exoritur. Ex patribus multi, qui de religione bene sen-
 serant, Leonem pontificem maximum adeunt, quem sanctissimum
 virum esse norant, ei Romanam salutem profusis lacrimis com-
 mendant ac simul obtestantur, ut imminens Italii exitium deprecetur
 neve nuntianti ecclesie imperioque Romano desit. In profana Ita- 140
 lorum facinora presentium malorum causas reiiciebat pontife.; di-
 vinam iram purgatis mentibus et orthodoxa fide placandam, Iesum
 Christum optimum maximum piis animis nunquam defuturum as-
 severabat. Universa pariter fluctuabat Italia et multi non modo 141
 Romani, sed varii Italie populi, si quo potuissent, ultro emigras-
 sent; at hinc ab Unnis, a Vandalis illinc, isthinc a Gothis inhibe-
 bantur. Senatus tamen consultum omnes prestare conantur.

Dum Aquileiensi obsidione remoratus est hostis, Foroiulienses 142
 et Carni et universa fere Venetia Patavium usque ac Vicentiam
 populata passim et incensa est. Venetici sinus accole, ut in tanta 143
 trepidatione proprie saluti consulerent, in proximas paludum in-
 sulas, quas confluentia flumina complent, emigrarunt et presertim
 Patavini quidam proceres in insulam, cui postea Rivo Alto nomen
 est inditum. Quin et maxima Patavini agri multitudo in fossam 144
 Claudiam, Meduacum Albiolamque confluit. Quod finitimorum
 exemplo factum est, quippe ex Aquileia ad Gradatas aquas non
 procul a continenti remotas e Concordia Caprulas, ex Altino in
 sex propinquas inter se insulas ea tempestate emigratum est. Quas 145
 a portarum amisse civitatis nominibus Torcellum, Maiorbium, Bu-
 rianum, Murianum, Constantiacum et Amianum appellavere. Tuta
 nanque confugia palustres insule ex congesto influentium amnium
 limo confecte alternoque maris estu confirmate neque multum in-

ter se distantes convenis prebuere. Unnici ad hec incendii reliquie¹⁴⁶
 confugere, que circumfremetem adhuc hostem perhorrebant. A
 principio e palustri materia, profugorum multitudo casas facere, vic-
 tum piscatura queritare, ichthyophagum ritu vivere, queque tumultu-
 osius agere, terram perinde ac perniciosissimam novercam dete-
 stari. Post Gothorum eruptionem Unnos perpeti, instare subinde¹⁴⁷
 alias barbarorum eruptiones. Quare ex hac profuga miseraque gente
 Venetorum conflata civitas e parvo principio tanta sumpsit incre-
 menta, ut nunc mole sua laboret. Ab anno salutis quadringentesimo¹⁴⁸
 quinquagesimo quarto urbs prepotens et opulentissima sumpsit in-
 itium, que, nisi Atilam circumstantium urbium eversorem habuisset,
 nullum adhuc ortum invenisset; e multarum nanque civitatum exci-
 dio mutato fato nimis effloruit. Ex Aquileie, Concordie, Altini,¹⁴⁹
 Padue, Opitergii, Montis Silicis, Heraclie, Aceli, Gradus, Capru-
 larum et Laureti reliquiis plane constat et, cum non parva ex parte
 e Romano sanguine constet, tantum e prisca Romanorum nobili-
 tate refert, ut citra invidiam ceteris iure possit anteferri. Cui nul-¹⁵⁰
 lum reformidare fas est excidium, nisi aut intestinis factionibus
 ceterave Italie coniuratione vexetur aut Unnorum bello, quo quon-
 dam sumpsit initium, eodem sane sibi querat excidium. Quibus¹⁵¹
 quidem malis si recte prospicere poterit, nemini profecto addubi-
 tandum est, quin eorum imperium ad orbis usque finem sit omni-
 nino perduraturum. Sed de his hactenus.¹⁵²

Ad Paduam ferus hostis castra movit urbis nomine percitus,
 quam, etsi munitissimam esse nosset, tamen commeatum inopia
 laboraturam, quando eius agrum triennio diripuerat, diu resistere
 non posse sperabat. Neque etiam ignorabat relicta tantum validis-¹⁵³
 sima iuventute ceteros imbelles cum sacris et fortunis palustres
 insulas occupasse, ut hoc tantum effugio ab Unnica se feritate
 redimerent. Urbs tandem celebris et vetusta obsidetur a Troianis et¹⁵⁴
 Henetis Antenore duce condita, populo quondam Romano fidissima
 semper habita, nam in difficillimis reipublice temporibus pecunia
 semper et armis iuvat. Et, cum novi populi in colonias deducerentur,¹⁵⁵
 non eo, quo ceteri, modo Paduam est deducta colonia. Si
 quidem Paduanis ius Latii datum est, quo in comitiis Rome suf-
 fragia reddere licebat. Tiberii tempore quingenti equestris ordinis
 viri in ea censi sunt, antiquis vero annis centum et XX militum
 milia misisse constat. Quanta virorum probitate et artium bonitate¹⁵⁶
 floruerit, magnitudo cum aliarum rerum maximo apparatu Romam
 missarum, tum vero pannorum et vestimentorum varia mercatura
 declarat. Vetustissima quoque Iovis ede celebrata, cui spolia de Cleo-¹⁵⁷
 menis Lacedemonii victoria Patavium relata affixa fuere, quam ibi
 fuisse putant, ubi nunc superbissimum dive Iustine templum, ut
 lithostrata quotidie ibi inventa testantur, intuemur. Ne minus qui-¹⁵⁸
 dem hec viris fortunata censetur, quando Titum Livium Romane
 historie parentem, item Volusium, Stellam et Flaccum poetam pre-
 stantissimum genuit. Agro predita feracissimo, quam montes vinetis¹⁵⁹
 olivetisque consiti et presertim Euganei, que prestantia vina pro-

ferunt, circumspectant. Et, quando Romanorum colonia fuit, tantum 160
Romane nobilitatis et glorie relulit, ut cum florentissima quaque
Italiae civitate conferri posset. Quod eo magis Atile animum irritabat,
ut tanta urbe potiretur, quoniam alteram Romam sibi expugnare
videbatur. Cum paucis acri obsidione diebus eam vexasset, oppidani 161
fame adacti, ut salutem consulerent, sese Unno dedidere. At is urbe
potitus, quando se dei flagellum esse reputabat, nullam federis rati-
onem habuit. Urbem cum exercitu ingressus cuncta hostili more 162
populatur et incendit, curiam et theatra diruit, atria queque cum
templis superbissima subvertit, in viros reliquasque feminas pari-
feritate sevitur, preda quoque ingens exportata. Eversa tunc Padua 163
scriptores ceteri, qui multo elegantius ista scripsere, Vicentiam, Ve-
ronam, Mediolanum et Ticinum, quam Papiam dicimus, Scythica
castra mota esse et per Transpadanam semper regionem iter fac-
tum. Post hec ad Mincium amnem stativa habita, ut, inter amicos 164
anne recta Romam contenderet, sane decerneret. Contra Ungarici 165
annales referunt, qui, ut maiorem sibi gloriam vendicent, dum
Atilam sui regni auctorem extollunt, Ravennam, Ferrariam nondum
existentem cum plerisque Cisalpine Gallie oppidis Patavino exitio
adiecere. Ad gloriam Atile nobilitatem urbis nimium pertinere re- 166
putabant, quippe quam a Thessalis Grecis conditam fuisse perhi-
bent. Qui, cum Tuscorum iniurias tolerare non possent, ex Umbris
quosdam ultro populos assumpsere, qui edificatam urbem incole-
rent, ipsi vero in sedes patrias redire. Ex nostris aliqui Sabinorum 167
oppidum e Livii dicto fuisse coniciunt. Hanc Tiberius imperator,
ut in porta aurea sculptum est, muro cinxit. Ferunt ergo Ungari 168
ea tempestate Ioannem urbis antistitem fuisse Ariana perfidia in-
fectum et apostolice sedis hostem pronunciatum, cui aqua et igni
fuerat interdictum, qui se pontificem cum XII cardinalibus Romano
more statuerat et ad sustentandam dignitatem multum sibi auri
forte congregasset; hunc etiam infulatum, pontificio habitu cultum 169
cum universo collegio sacerdotum adventanti Atile occurrisset, pro-
cidisse ad pedes hostis et patrie ruinam fuisse deprecatum, gra-
tum detulisse obsequium et populum eius imperata facturum pro-
misisse; deinde monuisse regem, ut opinionem in fide suam ultro 170
sectaretur et in ceteros Christianos irrueret, quod si faceret, se ta-
lem operam daturum, ut sine ullo periculo Italiam pariter et Afri-
cam subiugaret; ad hec Atilam magis imperii spe quam fidei gra- 171
tia exoratum respondisse nefas esse humillime supplicantibus non
ignoscere neque dedecere potentem virum humanitatis, ut res po-
sulat, habere rationem, quando ab homine nil humani foret ali-
enum; at in tempore humanitatis et dignitatis simul habendam esse rati- 172
onem, quia altera sine altera pro servando decore considerari non pot-
est; proinde, ut utriusque et rei et dignitati consulatur, se oblata dedi- 173
tione ita contentum, ut calcanda portarum ostia in limine deponan-
tur, honorificus ac tutus sibi suoque exercitui aditus pateat, aliter
nunquam deditioem admissurum; Ravennates, quancunque condi- 174
tionem ille detulisset, nedum istam, ne omnes perditum irent, lu-

bentissime accepisse, crate factos continuo ferreosque postes humi ac in limine deposuisse, liberum cum maxima humilitatis ac fidei ostentatione fecisse aditum; exercitum per mediam urbem sine aliquius detrimento traiecisse, ipsum pro arbitrato suo in urbe permansisse, mox Flaminie partem et Ferrariam cum Liguria invasisse. Quod apud ceteros invenire non potui. De Ravenna nihil dixerim; quando Ioannem nominat heresiarcham, ex nomine aliquid oritur coniecture. De Ferraria et Liguria nihil affirmarim, quia Ferraria non modo non erat oppidum, sed ne pagus quidem, et Unnos in Liguria nil legerim fuisse demolitos. Ticinum et Mediolanum usque furor ille grassatus est. Ceteri vero scriptores post captam Paduam non Ravennam, sed Vicentiam et Veronam Atilam obsedisseribunt, quibus auctoritate magis credere cogimur. Vicentia nanque ad Meduacum amnem sita a Gallis una cum Mediolano, Brixia et Verona condita, qui urbem Romam ceperunt, Palemone grammatico insignis. Meduacum nunc Bachilionem appellamus. Trans Meduacum Unni posuere castra, quibus perterriti Vicentini deditionem post triduum fecere, quam etsi fecerunt, nihil tamen ea profecisse visi sunt; hostili nanque more non modo spoliati, verum etiam immaniter cesi; pulcherrima queque edificia subversa.

Mox ad Atesim usque discursum obsessaque Verona urbs clarissima et Gallorum quoque edificium nobilissimo adhuc theatro illustris, quod preterquam Romano nullis aliis cedere audet; item viris fortunata doctissimis Emilio Macro, Catullo et utroque Plinio, cui tantum debet Latina posteritas. Hec civitas, ubi neque profuturam deditionem esse neque alio tutius confugere posse, quam se urbe tueri arbitratur, barbaricum tandem furorem experiri et in patrie defensione fortiter cadere maluit, quam desertis focis et aris palantes fugere inter fugiendumque per agrum et pagos pecorum more trucidari. Urbem pro virili parte iam diu muniverant, quod eo studiosius fecere Veronenses, quo perniciosissimum magis appropinquabat exitium. Commeatus undique convexerant, ut ingentem hostium multitudinem mora ac fame conficerent; sed, postquam ter quaterve oppugnari cepere et pugna quidem perpetua, facti mox penitentia subit. Nam murorum laxitate et multorum fuga, qui in tanto tumultu urbi se subtraxerant, maximis Unnorum viribus obstare non poterant. At, quando imminentem mortem sibi proposuerant, nil novi accidere poterat, quod consterneret incautos; inter obsidendum de excursionibus nihil remissum. Longe lateque populatur ager, incenduntur pagi, preda ingens ex Alpibus Reticisque montibus agitur. Mantuanus et Cremonensis ager passim diripitur, ad menia usque discursatur. Mantuani paludibus se tuentur, Cremonenses miserius agunt. Traiecto Mincio Cremonenses et Cenomannos pari modo sollicitant. Brixiani munitionem urbis studiosius curant, hostem quotidie portis insultantem et inter Padum Alpesque diffusum prospiciunt et perhorrent. A Veronensibus pendent omnes, qui si restiterint, pari se fortitudine propugnare non diffidunt. At illi, postquam se frustra ob rerum inopiam obsidio-

nem solvendam sperare considerant, de facienda deditione decernunt. Fit senatus consultum, ut per legatos ab Atila pacem cum venia petant, quacunque, pacem, dederit condicione, mercentur et accipiant. Postero die oratores missi redeunt nihil preter civium incolumitatem ab Atila impetrare potuisse. Tertiam prede partem eum referunt Marti ac Herculi parenti optimo vovisse, reliquam promississe militibus neque tantam gentium multitudinem sine preda posse vivere, urbem cum civibus intactam prestiturum. Dedunt se cives, patefactis portis Unnum cum exercitu excipiunt, qui, ubi in medio foro constitit, predam preter eam, quam voverat, omnem militi concessit. Ad rapinas pro se quisque se convertit, cum fortunis virgines ingenueque matrone rapiuntur, frustra promissorum observantia postulatur. Dum viri uxores cum liberis a raptu vindicare conantur, Scythicam in se feritatem irritare occipere; at, ubi in eos arma conversa sunt, tot in eo furore trucidati sunt, ut mediocris pars evaserit. Argentea et aurea gemmataque deorum simulacra, vasa et ornamenta cetera passim direpta, multa edificia incensa sunt. Theatro pepercere operis nobilitate placati. Cum fumantem Veronam Mantua Cremonaque prospiceret, quarum altera ab Etruscis condita, altera vetus Romanorum colonia fuerat, ingenti utraque trepidatione qualiebatur. Brixiam tamen castra sunt et Cenomanni longe lateque populati; abacta cum hominibus pecora promiscue cedebantur. Iam ingenti preda oneratus erat Unnus tot nobilium urbium exuviis ditatus, dum ea oppugnatur. Bergomensium ager infestatur, diripitur et incenditur. Bergomum cum Brixia a Gallis conditum est, ut vult Trogus, cum Romam occuparunt. Aliter sensisse visus est Cato, quippe qui ex Orumboviorum stirpe Bergomum et Comum promanasse tradidit. Cornelius Alexander eam gentem coniectura nominis Grecam fuisse affirmat, utpote cui a montium accolatu nomen est inditum. Cecilius quoque poeta Comensis fuit. Deinde Comum colonia fuit mediocris, sed Pompeius Strabo Gn. Pompei pater in eam colonos restituit, quam incumbentes Reti late vastaverant. Gn. Scipio tria hominum milia insuper adiecit, divus denique Cesar quinque inquilinorum milia ad inhabitandum deduxit. Ex his quingenti illustrissimi fuere Greci, quos civitate donatos in habitatorum numero descripsit; neque ibidem domicilium habuere, sed relicto nomine oppido novo Comenses oppidanos vocavere. Huic cum finitimus sit Larius lacus ab Ada fluvio auctus, miram piscium ubertatem oppido affert. Omnes igitur Comenses et Bergomates uno tempore ab Unnis infestati, sed Brixia cum Bergamo in deditionem accepta uno eodemque tempore populatur et incenditur.

Post hec Mediolanum urbs populosissima non minus opulentia et vetustate, quam omnium artium varietate conspicua Unnos allexit. Hec, ut Greci memorant, quamvis non modo quondam Insubrium, verum etiam adauctis deinde rebus totius Gallie metropolis est habita, vicum tamen a principio fuisse aiunt. Multi nanque populi, qui priscis temporibus ex ulteriore Gallia emigrarunt,

nobilissimarum urbium feruntur auctores, si Catonis auctoritatem iure observaverimus. E Gallis enim Transalpinis profecti quondam Vertacomacori Vocontiorum Novariam condidere, Levi ac Marici Ticinum Laudemque Pompei, Cenomanni Comum, Bergomum et Licinii 200 Forum. Iisdem quoque temporibus Boi Padi ac Rheni fuere accole. Sed multo post tempore a Romanis eieci circumiacentes Istro locos cum Tauriscis habitarunt bellumque adversus Dacos ad interitum usque gessere. Insubres denique Mediolanum edificarunt et optimis 201 usque adeo auspiciis, ut in hodiernum usque diem totius Gallie principum regia et metropolis esse videatur, quam aliqui parum docte, quia in medio amnium Padi, Ade, Ticini et Lambri sita sit, nomen hoc sortitam fuisse reputarunt; Insubres nanque a principio, cum e Gallia Transalpina prodierint, patrium secum adduxere nomen. Multe hoc urbes in Gallia nomine dicte sunt. Unum 202 in Gallia Lugdunensi Mediolanum est, in Aquitania ad Oceani litus alterum, tertium ultra Rhenum a Gallis quoque conditum Phrisisque finitimum, quartum in Asia nulli fluvio proximum. Et, ne 203 per alia evagemur, hoc ceterorum prestantissimum in Transpadana regione situm, quod primo ab Insubribus conditum, deinde a Gallis, qui duce Brenno in Italiam euiperunt urbemque Romam cepere, mirifice adauctum vel ex pagis in urbem redactum est. Universam a primo regionem Insubres incolebant, qui e Transalpinis prodire et, cum Alpium accole forent, animorum ferocia et statura plus quam humana prestabant. In primo congressu vehementissimi, mox, ubi prelio incaluerant, nivium more laxabantur et abibant in sudorem. In Romanos arma sumere ausi Britomaro 205 duce se non prius baltea soluturos, quam Capitolium ascendissent, sponte iuraverant. Quos ubi Emilius superavit, ut iuramenta prestarent, captivos Romam duxit ductosque in Capitolium subinde discinxit. Redintegrato cum Romanis bello Ariovisto duce ex hostium 206 exuviis suo Marti torquem aureum vovere, sed Capitolinum Iuppiter eorum votum interceptit, quandoquidem Flaminius de torquibus eorum aureum Iovi tropeum erexit. Viridomaro rege Vulcano quoque 207 Romana arma voverant, sed frustrata eos vota alio cecidere, ceso nanque rege Marcellus tertius post Romulum Feretrio Iovi opima spolia retulit; Insubres igitur anno ab urbe condita quadringentesimo LX. in dicionem populi Romani pervenere. In eorum 208 agro Mago frater Hannibalis vulneratus est et in Corsica obiit, dum in Africam per legatos revocatus navigare contendit. L. Furius pretor Romanus Insubres rebellantes et Hamilcarem Penum in ea parte bellum molientem acie vicit cesoque Hamilcare XXXVI hominum milia in eo prelio desiderata. Cornelius Cethegus consul 209 Gallos Insubres fudit fugavitque. Paulo post L. Furius Purpureo et Claudius Marcellus Boios et Insubres superarunt Marcellusque clarum de his triumphum egit. Deinde Mediolanum per annos circiter 210 quingentos pacatissimum fuisse ferunt et usque adeo floruisse, ut eam urbem Romani sepe principes, quoad per occupationes licebat, inhabitarent. Staium Cecilium clarissimum comediarum 211

scriptorem et contubernalem Ennii Insubrem fuisse auctor est Eusebius.

Cum igitur per tot secula Mediolanenses illustres essent ha-
 212 biti, eo magis Unnorum animos incendebant, quo nobilitate ac opi-
 bus prestantiores essent. Existimabat nanque Atila expugnato Me-
 213 diolano, quod Gallice gentis caput erat, cetera se facile consecu-
 turum atque non minus inde laudis relaturum, quam si Romam
 urbem occupasset Gothorum manibus exinanitam. Motis repente
 214 castris Insubres invadit amplissimamque urbem acerrima obsidione
 circumvenit. Lustrato urbis ambitu ac tractu et laxitate suburbi-
 orum se continuo eam civitatem invenisse cognovit, que universum
 ad obsidendum facile Scytharum lassaret exercitum. Rei magnitudi-
 215 nem admiratus remissius cum Mediolanensibus agere cepit. Nam
 munitissimam frequentissimamque urbem viribus facile capere non
 posse intelligebat et fame eam sine communi malo conficere non
 poterat. Populata nanque regione Transpadana seva annone cari-
 216 tate tota Gallia laborare ceperat, quare ibi non diutius esse, sed
 castra sepe regionatim mutare cogeatur hostis, ne ingruente fame
 absumeretur exercitus. Quin et ab invadenda Liguria non tam lo-
 217 corum asperitas, quam inopia com meatuum remorabatur. Itaque Me-
 diolanenses per preconem alloquitur et hortatur, sponte se dedant,
 quod si fecerint, perhumanum eos dominum inventuros pollicetur.
 Mediolanenses, quid agerent, haud facile decernebant, aliorum exem-
 218 pla ab omni condicione deterrebant; nulla ab hoste federa servari
 rumor erat. Et longa populum frequentissimum obsidione ad diram
 219 famem redigi posse non ignorabant, aliqua tamen in deditioe vite
 spes inerat, que ad patres relata senatus repente consulto affirma-
 tur. Postero die ad Atilam legatos mittunt, qui senatus populique
 220 auctoritate deditioem, ut clementiorem hostem inveniant, honorifi-
 centissimis verbis faciunt:

Quam postulasti, urbem obsequiumque nostrum, rex Atila, ecce
 221 sponte deferimus, quando te amplissimum terrarum dominatorem et
 terrorem gentium divino numine creatum intelleximus. Repugnancia
 cuncta proteris, superbos deprimis et difficillima queque superas.
 Cedunt Atilae omnia et eo redacti sunt potentatus humani, ut beatus
 222 hac tempestate is dici queat, qui a tanto hoste ad faciendam de-
 ditionem exhortetur. Si tibi omnia iubente fato cedunt, cedent quo-
 que Mediolanenses et sponte se dedent. Quod non modo necessi-
 223 tate imperante, sed impellente studio faciunt, ne destinatam e celo
 tibi gloriam remorentur neve iustum mox exitium subeant pertina-
 tieque debitas penas expendant. Extreme nanque temeritatis et stul-
 224 titie est divino nutui reluctari fataque intercipere et presertim tua,
 que vel inconsideratissimo cuique nota esse debent. Illyricum, Mys-
 225 sias, Thraciam, Macedoniam et Achaiam diripuisti, Retos et Noricos
 spoliasti, Germaniam cum universa Gallia igni ferroque vastasti,
 munitissimas Adriatici maris urbes evertisti, Istria, Venetia et universa
 fere Transpadana Gallia populata fumat adhuc. Ceteri Itali pre tre-
 226 pidatione ceterorum exemplo deterriti de relinquenda Italia decre-
 vissent, nisi supero inferoque mari ac montium circumseptu oc-

cluderentur. Proinde, ne victoriae tue desse videamur, senatus populi-²²⁷
 que Mediolanensis nomine urbem, homines et fortunas ultro dedimus
 et admodum erubescimus, quod veluti dominus pietissimus iam
 futurus nos officio prevenisti et uti amicos, ne severitatem tuam
 experiremur, monuisti, ut deditionem continuo faceremus. Quare²²⁸
 gratias maiestati tue semper habebimus supplicantes, quanto possumus,
 affectu, quando de voluntate tua non veremur, ut edicto milites
 cedibus, rapinis ceteraque vi inhi-beantur, focis et aris parcant
 inviolatamque matronarum ac virginum pudicitiam servent. Quod,²²⁹
 si maiestatem tuam exorabimus, nunquam officio meritisque vincemur.
 Non modo presentis, verum etiam absentis tui imperium summo studio
 viribusque tuebimur et in utraque fortuna tam gratum tibi semper
 obsequium prestabimus, ut pro peculiaribus sociis nos habendos
 ipse censueris. Neque plus fidei in Unnis, quam Mediolanensibus
 plane reperies. Ne maiestatem quidem tuam dedecit²³⁰
 Mediolani regiam statuere, quam fecundissimam omnium artium
 officinam omnes iure nuncuparint. Atque fidem nostram expertus non
 minus hanc quam Sicambriam amabis et excolendam esse reputabis.
 Quam ob rem urbem tibi deditissimam maiestati tue non indecorem
 futuram cum optimis auspiciis exoptatus adi. Accipe bono²³²
 animo Cisalpine Gallie regnum metropolimque dextro pede ingredi
 dere non plus divino quam nostro iudicio nunc oblatam, quam ut
 tanquam regiam patriamque sedem tractes, quando in tua manu
 omnia collocamus, iterum iterumque devotissime supplicamus.

Perorantibus legatis diversus Atila trahebatur, utrum potius faceret,
 an suavissimis verbis placatus cum civibus benignius ageret an verba
 daret urbem mox aditam populaturus. Cum rerum opulentia ab omni
 regem humanitate diverferet, perfidia pudorem suscitabat, studiosa
 liberaque deditio ab omni fraude vindicare conatur. Tandem dum
 pudori ac utilitati sue consulit, libenti animo hilarique vultu
 deditionem factam se accipere ostendit, civitatem cum fortunis
 incolumem prestiturum pollicetur nil preter ius imperii a Mediolanensibus
 unquam petiturum. Expeditionem suam imperandi et non populandi gratia
 fieri seque glorie et non prede causa militare significat, quorum
 alterum latronis, imperatoris contra gloriosi est alterum; rapinas,
 cedes et incendia in obstinatos et rebelles iure quandoque permitti.
 Proinde omnes bono animo esse iubet, spe simul et promissis onerat
 indulgentissimum eis dominum futurum asseverans. Legati cum letitia
 dimittuntur, omnia urbi tuta ac integra fore nunciant. In sequenti
 die portas aperiunt grato Unnos animo excepturi. Princeps singulari
 pompa ingreditur urbem, exercitus longissimo agmine per urbem
 transiit in castris noctem ex edicto acturus, ne qua primo impetu
 vis cuiquam inferretur. Centuriones tantum et prefecti cum veteranis
 et cohortibus pretorianis pre tutela principis in urbe permitti;
 totus ille dies in pompa transvectionis actus est. Postero vero cum
 decurionibus Atila urbem lustrat, pulchritudinem ac edificia admiratur.
 Templum Iovis longa religione celeberrimum perreverenter adit
 ibique Iovi Marti-

que rite litavit, omnia artium genera circumspicit et obstupescit
 atque ex his facultatum magnitudinem coniicit. Reversus in arcem 241
 avaritia nimia estuare cepit secum cogitans non ad exornandam,
 sed delendam Italiam venisse, imperium sibi in Pannonia statuisset,
 hac tantum urbe totum exercitum ditari posse; immo Mediolanen-
 sium vires sibi formidolose videbantur. Quare, dum se in sequenti 242
 die exercitum recensere velle dissimulat, clam per prefectos legi-
 onum et qui in urbe pernoctaverant, agit, ut dispositis per urbem
 stationibus futura nocte incendia moliantur, cives invadant et om-
 nia populentur. Quod ubi fieri ceptum est, acerrime tota nocte pu- 243
 gnatum est; primores urbis impositis e domo presidii se tuebantur;
 atria multa fuerant nobilissime cuiusquam instar arcis. Ast, ubi dies 244
 illuxit, cum plebei passim direpti cederentur et in multis locis in-
 cendia sevirerent, tandem decuriones omnes capti, partim cesi, par-
 tim benigniorem hostem nacti magna se pecunia redemerunt. Rapte 245
 cum matronis virgines. Et, quamvis in fortunas et decuriones se-
 vitum est, illucescente die aliquanto remissius actum est; cedibus
 et incendiis ex edicto finis illatus. Multe ingenue mulieres viris red- 246
 dite, populus advectis commeatibus aliquantulum ex illatis calami-
 tatibus respiravit. Urbs, quamvis graviter esset afflicta, non extremo 247
 tamen absumpta est incendio. Atila se per edictum excusavit id se
 invito ac inscio factum, libidinem tante multitudinis et cupiditatem
 haudquaquam facile contineri posse.

Dum hec Mediolani aguntur, Ticinum mandat obsideri, agrum 248
 diripi et finitima queque vastari. Eam nanque urbem haud parvi
 momenti esse noverat, quam nunc Papiam dicimus, a prefluente
 amne nominatam. Quanquam Plinius a Levis et Maricis, ut paulo 249
 supra scripsimus, conditam esse tradidit, qui Transalpini quoque
 populi fuere, nonnulli tamen, quo tempore Hannibal in Italiam ven-
 nit, eam nondum fuisse ex Livii scriptis plane coniiciunt. Nam, cum 250
 Scipio Padum traiecit et ad Ticinum amnem castra movit et cum
 utrinque accensi militum animi forent Romanique ponte Ticinum
 iunxissent, tunc, si Papia Ticinumve fuisset, aliquam de urbe Livius
 mentionem fecisset neque Romani pontem fecissent neque facto
 castellum imposuissent. Nunc sub Sphortiadum imperio florentis- 251
 simam esse conspicimus eamque pre ceteris arx nobilissima, Car-
 thusiensium basilica insano sumptu facta litterarumque gymnasium
 mirifice nunc excolit. Atila Mediolanensium preda onustus Ticinum 252
 cum reliqua parte equitatus subinde concessit ad Padi prefluenta
 situm, XII milibus passuum a Mediolanensi urbe remotum. Tici-
 nienses parem fortunam subituri in tanta rerum omnium pertur-
 batione, quid potissimum agerent, nesciebant. Urbem pusillanimi- 253
 tatis infamia deserere noluerant, facultates cum uxoribus ac liberis,
 quo potissimum mitterent, ignorantes honestius ac tutius in urbe
 manere et tueri patriam reputarunt. Neque ullus eis locus succur- 254
 rebat, qui propria sede tutior esse videretur, cum agrum ac pagos
 crudeliter ab Unnis circum diripi, incendio predisque vastari pro-
 spiciunt; indignatione simul et desperatione obdurati postulatam ab

hoste deditioem abnegant. Rati admodum esse indignum, priusquam de deditioe agatur, suburbana cum agro universo immaniter diripi, homines cum pecoribus omnes abigi, alios ad servitutem, ad mortem alios pro Scythica feritate peti. Proinde generosi optimatum animi, si res ipsa tulerit, cum patria simul interire magna ex parte decernunt. Contra plebs nobilitatis invida et cupida novitatis, cui cum exiguis fortunis exigua quoque ratio inest honestatis, cum in plebeios Mediolani haudquaquam sevitum cognovisset, aperta seditione adversatur, populi commodo et saluti consulere clamat oportere; in tanta tempestate satis esse servare vitam, si necessitas coegerit; nullam fortunarum rationem esse habendam. Si quid patres obstinatius egerint, se facta secessione a menibus deditioem facturam interminatur. Ad hec Atila omnes urbem circumvenire ac magno impetu invadere ex edicto iubet, testudines et arietes menibus admoventur, adiectis menia scalis subeunt. Tumultus in urbe ingens excitatur; aliqui dedendam urbem, propugnandam contra aliqui exclamabant. Qui in propugnaculis dispositi erant, partim remissius agere et facere deditioem, contra aliqui acerrime obstare et deturbare a menibus hostes. Quare extemplo Unni ingressi urbe potiuntur; apertis portis rex equo invecus cum magno plausu a plebe excipitur. Optimates partim latebras, partim apertam fugam petunt, principis edicto intellecta re maxima ex parte ceduntur, rapte cum virginibus matrone ac bona omnia populata. In plebem benignius actum; templa donativis, pretiosis simulacris gemmatisque scyphis pari feritate spoliata.

Liguriam, qui tempora ista scripserunt, Transpadana regione potitos Unnos invasisse non referunt, quando regionem illam et comneatum inopia et asperitate locorum plurimum laborare cognoverant. Et nulla re magis quam potiunde utilitatis spe bellum ininitur ininitumque servatur. A Ligustico igitur tractu Alpibusque difficillimis se abstinuere Scythe, ubi parum commodi et difficultatis plurimum inesse ab exploratoribus intelligebant. Ad Mincium amnem castra revocata, ad cuius ostia, quibus Padum influit, stativa rex aliquamdiu habuit. Dum de invadenda dudum Italia mature decernit, optimum fortune successum prosequendum censet Atila et fatorum dexteritatem nullo modo deserendam, quam, quicumque contempserit, frustra repetet. Transmittendum continuo Padum decernit, ne in tanto rerum successu ipse sibi defuisse videatur. Multi in principis sententiam pedibus eunt, secessere alii, quos consilii ac sapientie compotes esse rumor erat et explore fidei ac prudentie antehac semper habitos. Hi ab urbis Rome obsidione impensius dehortari divino potius quam humano consilio ducti ac dicere Romam divinis auspiciis fundatam invitis quoque numinibus deleri non posse; deos non solum humani, sed divini etiam imperii sedem in Capitolio statuisset, urbem quandoque captam nunquam deleri posse; illius loci genium tantum sibi numinis vendicasse, ut aliquo imperio carere non possit, quin etiam imperium sine fine a Iove Martequae

parente Romane genti datum; Gallos urbe potitos preter Capitolium 268
 gravissimas pro tali facinore penas exolvisse, ingentem stragem erro-
 resque longissimos diu perpessos, multas peregrinas sedes occu-
 passe et ad brevissima tempora ibi interiisse, paucos demum in pa-
 triam reversos; Porsennam urbem obsidere ausum obsidionem turpi-
 ter deinde solvisse; Hannibalem idem facinus adorsum vitam mi- 269
 serrime finivisse; Gothos paulo ante duce Alarico captam urbem
 incendisse, Alaricum diro fato pressum victoria nequaquam frui po-
 tuisse; Romam, quando deorum est domicilium, sub Iovis optimi
 maximi tutela esse. Proinde Atilam orare, quando sat factum erat, 270
 ut opulentissima comparata victoria victorem exercitum predis onu-
 sum et multis exuviis et tropeis insignem in patriam revocaret aut,
 si latius imperium propagare certum erat, alio Scythica arma ver-
 teret, ne in profanam expeditionem duceret, qua deorum urbem in-
 cendere pergeret, quia extreme temeritatis et stultitie foret diis bel-
 lum indicere et unicum in terris deorum domicilium evertere. Ad 271
 hec diversus adhuc Atila trahebatur difficillimam Itale partem non
 modo victam ratus, sed ad interitum usque deletam, ceteram nimio
 terrore percussam ultro cessuram. Hec procerum consilia a defati- 272
 gatis potius assiduo bello animis, quam e sano iudicio promanare
 arbitrabatur, quare pusillanimitatis et ignavie acerbiuscule increpuit.
 Quandoque sese colligens ne delira quidem eorum consilia reputa-
 bat eaque pensitans fortunam variam et insidiosam considerabat. Ne- 273
 que ignorabat barbarus illam rerum dominam eundem semper te-
 norem nunquam servaturam, nemini unquam usquequaque fuisse
 fidam, pro libidine sua rotare status hominum et hoc ludo nimium
 delectari. Neque tamen nimiam imperandi cupiditatem coercere pot- 274
 erat; castra preter Padi ripam longe lateque disposuit, ubi, quando
 nihil exercitui deesse poterat, eo usque permanere constituit, quo
 usque a re et tempore consilium mendicatum oblatumve asse-
 queretur.

LIBER VII.

Dum ad Mincium amnem Unni stativa habent, universa tu- 1
 multu ac ingenti trepidatione miscetur et fluctuat Italia. Leo ponti-
 fex maximus Christiane reipublice calamitatem miseratus atque non
 a Valentiniano, verum etiam a senatu populoque Romano exoratus
 ultro ad Atilam legationem pro publica salute suscepit. Continuatis 2
 in Galliam itineribus cum venerando sacerdotum collegio sine cunc-
 tatione contendit; Atila, qui adhuc anceps ducebatur, ad Mincium
 flumen occurrit. Romanum pontificem cum universe Italie summam 3
 deditionemque sibi hostis afferre speraret ac ita sibi suaderet, ela-
 tus animo ac vultu hilaris coacta contione pro viri dignitate eum
 excepit; data dicendi copia patrem sanctissimum mitibus intentisque
 auribus exaudivit.

Non tam humano quam divino, is inquit, mihi crede, consi- 4
 lio, rex mortalium facinorum censor acerrime, ad te cum aposto-

lico ordine venimus neque ignoramus, quando in divino cultu et
 animorum salute versamur, te flagellum dei et terrorem gentium
 populis divina fuisse voluntate tributum. Te ex immitissima gente 5
 editum ad tantum fastigium a deo non sine maxima ratione evec-
 tum intelligimus. Quando Christiane gentis iniquitas et perfidia us- 6
 que adeo redundarat, ut sine divino flagello coerceri non posset,
 potestatem exigendarum ab hominibus penarum tibi deus delegavit.
 Et, si veritatem tolerantius audiveris, te ire sue idcirco carnificem 7
 effecit, ut debitis homines penis afficeret et eo usque tua sevitia
 fureres, quo usque divine iustitiae factum satis reputaveris. Mysias,
 Thraciam, Pannonias, Illyricum, Macedoniam et Achaïam ferro in-
 cenditque vastasti, quia he populi Romani provincie non modo
 Ariana, sed varia quoque heresi contemperate perniciosissime labo-
 rarunt. Huius etiam criminis citerior ulteriorque Gallia rea fuit. Quare 8
 te cedibus ac incendio longe lateque grassantem hucusque passa
 est divina severitas mortalem perfidiam et ingratitude abomi-
 nata. Nos, qui dei omnipotentis vicem gerimus in terris ac Petri 9
 et Pauli tutela et auctoritate potimur, aut in Illyrico aut in Pan-
 nonia Macedoniave aut in Gallia tibi occurrissemus teque divine
 voluntatis admonuissemus, si divine iustitiae putassemus cumulatissi-
 me satisfactum. Nondum tunc divina ira desierat; nobilissimum 10
 maris Adriaci tractum tot colonis populi Romani antiquissimisque
 urbibus excultum te invadentem ab urbe tanquam e specula pro-
 spectavimus collacrimantes. Tamen neque tibi occurrimus, immo ne 11
 minimis quidem litteris inhibuimus, quia irata adhuc numina et
 inexorabilia senseramus. Istriam et Transpadanam regionem te flam-
 mis et ferro miscentem vidimus, ne minimo quidem nuncio adhuc
 inhibuimus, quod ideo fecimus, ut hac flamma gentes quandoque
 respicerent suumque sine labe colerent salvatorem. Nunc autem 12
 prepotentis dei voluntatem, Atila, sic habeto: Te Iesus Christus op-
 timus maximus nunc pedem referre iubet neque patitur traiecto Pado
 te cedibus, spoliis et incendiis ultra sevir. Intra Padum gens pia 13
 viget ceteraque Italia ab omni labe exempta in orthodoxa fide con-
 sistit, propugnatorem habet optimum ac celi terreque regem om-
 niumque rerum creatorem. Si traiecto Pado ultra contenderis, non 14
 cum hominibus, sed diis immortalibus bellum tibi esse senties.
 Cave tibi, Atila, et exuta temeritate et sevitia coerce furorem. Quid
 enim magis temerarium esse potest, quam adversus deum arma
 gerere? Quid magis ingratum, quam in eum, a quo vitam, dignita- 15
 tem, imperium ceteraque innumera bona acceperis, instruere aciem?
 Extreme quidem id foret amentie. Anianus et Nicasius, item pleri-
 que viri deo deditissimi magnas a furore tuo urbes divina ope ven-
 dicarunt. Quid faciet deus, cuius vel minimo nutu, cum omnia di-
 vine maiestati pareant, e summo fastigio facillime deturbari potes 16
 et ita deturbari, ut nulla tui tuorumque Scytharum monumenta su-
 persint? Time deum, divino nului perreverenter obsequere et servo 17
 internuncioque dei lubenter ausculta. Quandoquidem minimus ser-
 vorum dei in nomine Iesu, quod est super omne nomen et in signo

salutis, uno dumtaxat digito te tuasque copias proteret universas. Ne audeas, te queso, Atila, Romane urbis sedem, quam sibi deus 18
optavit, invito numine anhelare, in qua non modo barbaras gentes, sed ne prolem quidem Romuleam deus patitur imperare. Divini est, mihi crede, illa sedes imperii, ubi deus per vicarios pontificesque 19
suos humana vota ac preces exaudit. Ibi humanam culpam et delicta remittit; ibi deus ius quotidie dicit, ibi humana crimina iudicat ac expendit, ibi Petrus pontifex maximus Christi legatus cum 20
collega Paulo dominatur; ibi ceteri pontifices eius loco rite suffecti ac divina potestate donati presunt humanamque salutem studiosissime curant. Ne audeas igitur urbem invadere, reginam gentium, sepulturam martyrum, parentem orbis, officinam triumphorum et divini 21
potius quam humani imperii sedem. Parce apostolice sedi sub Petri et Pauli prepotenti numine tute; parce pontificie arci, que ex 22
ossibus sanctorum et calce martyrum cruore suffusa constructa est; parce magne are Petri petra suffulte. Quicumque Romam olim, que divini imperii sedes futura erat, invadere ausi sunt, e tanto sibi facinore exitium invenerunt. Senones Galli pari impetu ac viribus Italia 23
adorti urbem invasere, preter Capitolium omnia diripuere, tot deinde cladibus et erroribus affecti ac tam sinistro denique fato vexati sunt, quod urbem Romam nunquam vidisse quam cepisse maluissent. Porsenna potentissimus Etruscorum rex non sine vite 24
periculo eam obsedit atque non sine ignominia et detrimento re infecta recessit; Romanam potius amicitiam quam arma cupivit. Hannibal afflictis, ne deletas dixerim, populi Romani viribus ad obsidendam urbem profectus non modo non expugnare, sed ne videre quidem dirus hostis potuit; mox inde consciscende sibi mortis necessitatem comparavit. Et, ne per historias evagemur, Alaricus nuper 25
Gothorum rex idemque Scythia oriundus Rome manus iniicere ausus post fedatam urbis maiestatem commissumque piaculum intercepta mox vita miserrime obiit. Mitius deinde cum imperio Romano se gessere Gothi neque viribus neque feritate Unnis inferiores. Proinde divini imperii sede, Atila, nunc abstine, Romam deorum 26
domicilium dimitte, reginam terrarum, matrem gentium, patriam populorum, antiquitatis sacrarium, monumenta triumphorum agnosce et venerare, potentissimam a divi Petri solio coerce manum, ensiferi Pauli numen reformida. Quod ni feceris, divino simul et humano supplicio tu cum tuis cumulate multaberis et mox 27
sera penitentia ductus temeritatem tuam frustra deplorabis. Quare omnipotentis dei ore, sub cuius tutela degimus, et principum sacrosancti apostolici ordinis mandato te copiasque tuas pedem referre iubemus. Itaque hinc prope castra amoveto, feras barbarasque gentes abigito, patrias sedes repetito, Padum caveto superare, furori ac cedibus finem imponito, humano sanguini posthac, quando 28
divine satis ire factum est, parcito, Italia ac urbe Roma abstineto. Extra Italiam, prout lubet, etiam in Scythia dominator, quod ni feceris, letale tibi iudicium e celo imminere intelligito neque illud 29
ignorato irata numina ex inimicis per inimicos suos cumulatissimas 30
31

esse penas exigere solita. Quod ne tibi accidat, iterum iterumque 32
prospicito et huic Christi vicario credito et audito.

Hec Leo pontifex minaci ac divino fere ore locutus ita regem 33
exterruit, ut non multa verba referre potuerit. Alarici casum mente
agitans eo magis Leoni credere cogebatur. Tandem pauca refert se 34
credere ex viri gravitate ac reverentia vultus divina hec mandata fu-
isse, idcirco ad Mincium amnem substitisse, ut divinam voluntatem
e cunctatione ipsa dignosceret; Alarici se exemplo deterritum ali- 35
quamdiu ibi stativa habuisse, invitis Padum numinibus nunquam
superaturum neque acturum quicquam; proinde asseveranter polli-
ceri se non ulterius castra moturum, moderaturum furori, quem ex
divina mente conceperat, et sanctissimo viro Christique legato, uti
mandarat, e vestigio auscultaturum. Dimisso Leone votique compote 36
antistitis aspectu verbisque continuo victum Atilam admirantur om-
nes multique proceres subinde percunctantur, cur pontifici Christi-
ano tam facile cesserit effeminatumque pre timore animum osten-
derit. Ne parva quidem, inquit, sacerdotum manus nec pontifex ipse 37
me deterruit, sed duos senes, qui demissa barba ac venerando hor-
ribilique vultu supra illius viri caput destrictis ensibus adstabant,
reformidare coactus sum, qui, nisi legato suo paruissem, presentem
infestis gladiis mihi mortem minabantur. Petrum et Paulum suo 38
tunc vicario presto affuisse creditum. Unni regis edicto in Noricum
et Pannoniam stativa movere et sedato furore cedibus et incendiis
abstinuere iubenter, Leo impetrata totius Italie salute immorta-
les deo gratias egit Romamque reversus publicam ecclesie libe-
rationem retulit.

Post hec pater ille optimus omnes ingenii nervos ad asseren- 39
dam orthodoxam fidem, que ab Eutylianis potissimum et Nesto-
rianis ea tempestate admodum vexabatur, sane convertit. Nestorius 40
enim Constantinopolitanus antistes virginem non dei, sed hominis
tantum matrem fuisse asserebat, ut unam carnis, divinitatis alteram
personam faceret ac seiunctum alterum dei filium, hominis alterum
esse asseveraret. Eutyches, ne huic adstipulari videretur, divinam 41
cum humana natura in idem compositum recidisse tradidit unumque
factum nulla ratione oportere distingui. Flavianus metropolita By-
zantinus utranque damnat heresim. Synodus Theodosii iussu
Ephesi habetur, in qua presidente Dioscoro Eutyches absolvitur et
damnatur Flavius. Contra Leo post Theodosii excessum Calchedo- 42
nense concilium Marciani auctoritate ac imperio habendum curavit,
quod frequentissimum profecto fuisse ferunt, quando ex sexcentis
et XXX sacris patribus constitisse dicitur, ubi sacri conventus con-
sulto asseveratur duplicem in Christo fuisse naturam, unum eun-
demque Christum deum et hominem esse credendum. Deinde aucto- 43
tores Manichee labis omnium patrum consensu extemplo damnati,
libri eorum publice concremati; fastus Dioscori conculcatus heresis-
que abrogata.

Sub idem tempus Aelius patricius vir bello clarissimus non 44
modo Atile, sed imperatori quoque Romano formidolosus variis

invidorum criminibus postulatus Valentiniani iussu a Maximo patricio obtruncatur. Transistila deinde Aetii commilito, ut amici mortem ulcisceretur, favente quoque Maximo Rome Valentinianum interfecit. Hic, cum annis XXX imperasset maioremque vite partem Ravenne duxisset, ad amplificandam urbis dignitatem Ravennati metropolitae XII subiecit episcopos, utpote Arimini, Cesene, Forilivii, Foripompilii, Faventie, Foricornelii, Brincii, Bononie, Mutine, Regii, Parme, Placentie, unde exarchatus nomen huic inditum. Ravenne preterea menia amplificavit, Ioannem episcopum imperiali habitu, qui ex candida lana constabat, uti iussit, quare cum Romanis pontificibus sese conferre ausi sunt Ravennates. Maximus post Valentinianum usurpato imperio Eudoxiam Valentiniani uxorem vi raptam sibi coniugavit. Hec facinoris indignitate commota Geisericum Vandalorum regem Africe debellatorem ad invadendam Italiam et ad ulciscendum scelus suscitavit, qui comparato ex Afris, Mauris ac Vandalis exercitu hominum circiter CCC milium cum maxima classe traiecit in Latium, destitutam a civibus urbem cepit. In quorum fuga Maximus tyrannus ab Urso Romano centurione cesus. Geisericus urbem intranti Leo quoque pontifex occurrit et oravit, ut abacta preda contentus urbis et templorum incendio parceret. Quod impetrare non potuit, quando inexorabiliorem quam Atilam Geisericum invenit. Urbs tota igni ferroque a Vandalis Afrisque vastata. Abeuntes Vandali, qui per Campaniam iter faciunt, Eudoxiam cum filia secum ducunt, Capuam cum nonnullis Campanie oppidis expugnant. Romani post quartum ac decimum diem desertum urbem repetunt, Avitum senatorem in demortui imperatoris locum sufficient, quocum Marcianus pro reipublice salute haud invitus tunc fedus inivit. Leo pontifex ad instauranda templa cum urbe animum convertit. Demetrie religiosissime mulieri ac ditissime persuasit, ut divo Stephano ad tertium lapidem in suo fundo basilicam edificaret. Ipse in via Appia beato Cornelio aliam erexit, diruta templa et sacra vasa instauravit. Tris cameras in Petri, Pauli Ioannisque basilica fecit. Sepulcris apostolorum excubitores adiecit, quos cubicularios appellavit. Monasterium in Vaticano haud procul a Petri basilica mulieribus statuit. Acephalorum heresim, qui in Christo substantias negarunt, suis epistolis acerrime confutavit.

Sanctissimum igitur pontificem, ut ad Unnorum historiam redeamus, Atila perreverenter coluit, dimisit honorifice ipseque cum universo exercitu Italicis opibus et exuviis onustus in Noricos e vestigio se recepit. Sed, antequam ex Italia pedem educeret, illud interminatus est longe graviora se Italis bella illaturum, nisi Honoriam Valentiniani sororem Placidieque Auguste filiam cum legitima principalis gaze portione uxoris loco darent. Nam, hec dum Atila ageret in Italia et ipsa honestatis gratia inter sacras virgines asservaretur, clam ad Atilam cum epistola misit eunuchum, qua Unnum in fratrem irritabat. Hortabatur, ut adversus eum arma caperet ipsamque copiis ac pecuniis adjuvaret, quod ut honestius fa-

cere videretur, admonebat, ut suas nuptias haud tali viro indignas postularet. Eunuchum Atila grato animo admisit, eidem clandestina 59 mandata dat, quibus Honoriam bono animo esse iubet, Auguste virginis coniugium, quod ultro detulerat, sibi carissimum esse significat eamque maxime omnium amaturum. Ex composito legatos 60 ad Valentinianum mittit, quibus Honoriam cum media imperii parte postulat, ut hac affinitate coniugati utriusque otio et salutis universi orbis tutius consulant. Quodsi preter equum et fas a Romano principe repulsam hanc patiat, se universam cum imperatore Italiam deleturum minatur. Valentinianus cum his oratores responsis dimisit se affinitatem tanti principis non aspernari, immo nil sibi hoc tempore antiquius accidere potuisse, quam regem Atilam saluberrimo vinculo sibi conciliare; hoc modo utrunque imperium facile 63 pacari posse, proinde animum suum sponte id annuere; interea se sororis ac senatus populique Romani voluntatem exploraturum, sine quorum iussu et auctoritate nihil in republica rite fieri posset. Sub idem tempus Valentinianus ea, quam supra diximus, morte diem obiit. Atila omnino verba sibi dari suspicabatur.

Reversum tandem in patriam aliqui parum vixisse prodidere; 64 nonnulli in Gallias, ut illatum ab Aetio et Theodorico Visigotharum rege conflictum ulcisceretur, iterum rediisse scripserunt. Et, 65 quam scriptorum discordiam supra tangere ceceperamus, hic, prout res postulat, explicabimus. Annales Ungarici alique permulti, postquam Atila cum victore ditatoque exercitu in regnum se receperat, eum de bello Italico et Illyrico triumphasse ferunt, exhibuisse munus gladiatorium, varia edidisse spectacula; Sicambrie populo ter 66 epulum dedisse, missilia sepe sparsisse, multa populis convenientibus prodegisse et, quamvis de invadenda Asia atque Africa cogitaret, ne sua virtus remollita videretur, virum tamen summa libidine perditum inter convivia et ingentem concubinarum numerum mentem remisisse, ut eodem modo relaxati cum corporibus Unnorum animi vehementius nova bella repararent. Ildico puella ei 67 fuit pre ceteris gratissima Bactrianorum regis filia mira pulchritudine et incomparabili vetustate, cuius amore succensus eam primarie uxoris loco habere constituit. Comparatis pro regis dignitate 68 nuptiis omnem intemperantiae licentiam in coniugali convivio sibi indulisit, Baccho ac Venere corpus ita ea nocte confecit, ut inter dormiendum supino corpore profluvio sanguinis e naribus continuo suffocatus interierit. Experrecta mulier virum amplexu repetens 69 extinctum argentemque invenit. Convocatis mox cubiculariis elato luctu fatum regis inopinatum promulgatur, fatum, inquam, viro non indignum, nam, qui alienum sanguinem tantopere anhelavit, proprio hunc experiri et interire decuit. Marcianus ea nocte, qua hostis 70 interiit, arcum Atilae in somnis fractum vidisse et hinc eius interitum predixisse traditur. At, ubi mors eius vulgo diffusa est, omnes Scytharum animi extemplo consternantur. Conspicantur enim 71 tale ac tantum imperium e diversis gentibus eisdemque inter se dissentientibus et infestis, quando Gepide et Ostrogothe veluti servi

pre timore cum Atila commilitarunt, nunquam conservari neque tot nationes in obsequio retineri posse; omnes haud ab re continuo defecturas arbitrantur. Exequias tandem Chaba et Aladarius 72 vel, ut alii dicunt, Ernacus et Durichus eius filii cum ceteris principibus faciendas curant. Funus pro viri dignitate cum maxima pompa 73 populorumque frequentia celebratum; corpus in sacellum ac maiorum monumenta relatum, de quibus supra diximus, nam in celebri via, ubi columnam Unni erexerant, Bela ceterique Scytharum duces sepulti fuerant. Hunc Ungari centum et XXIII annos vi- 74 xisse, preterea quattuor et quadraginta regnasse, post ingressum in Pannonias anno septuagesimo secundo, a salute vero dominica quadringentesimo quinto vita excessisse ferunt. Iordanis eius funus 75 ita prodidit in mediis castris intra circumstantia tentoria cadaver fuisse positum, electissimos Unnorum equites una cum pyrrhichia saltatione modulato cantu eius laudes circum concinuisse, circensium more circum cucurrisse; mox collata strena corpus hone- 76 stasse, comessionem cum gaudio simul ac luctu celebrasse, subinde clam noctu ad prestitutum locum humi condidisse, dicasse hostium exuvias multoque deinde humano sanguine parentasse.

Iordanis autem longe dissentiens, cui anne fides abroganda 77 sit, ii iudicent, qui citra invidiam vetustiora Scythicarum rerum monumenta perlegerint, Atilam refert post bellum Italicum reversum in Pannoniam expeditionem iterum in Galliam ad delendos Visigothas recessisse; quod ut facilius efficeret eosque incautos adoriretur, ad 78 Marcianum imperatorem legatos continuo misisse per eosque acerbissime postulasse, quod Theodosii quondam imperatoris sibi promissa minime prestarentur, proinde Grecorum principi bellum indixisse; hoc regem callidissimum idcirco fecisse, ut hostes, qui Gal- 79 lias occuparant et in Vasconia Tolose imperabant, omni sub hoc pretextu suspicione liberaret; deinde mox in Galliam longis itineribus cum maximo exercitu contendisse Alanosque prius, quam Visigothas aggredi statuisse, ut his subactis Visigothas longe facilius ipse protereret. At non semper e sententia consilia nostra succedunt. 80 Ne Thorismundus quidem Gothorum rex mentem Atile non intellexit, quippe qui veritus, ne victis Alanis fortiorem hostem experiretur, iis cum magnis copiis presto affuit. Invadentibus Unnis ne 81 minore quidem animo ac viribus occurrit conserto prelio diu pugnatum, Unnus tandem inclinatus ac subinde dare terga coactus passim funditur et fugatur. Tanta cedes ibi committitur, ut ne minorem quidem stragem, quam in campis Catalaunicis, quos Mauriacos nunc vocant, Scythia passus fuisse credatur. Si Gothico scriptori creden- 82 dum esse censemus, Unni detrimento et ignomina iuxta affecti in Pannoniam sese referunt. Exinde Atila imminuto admodum nomine contemni cepit, ne ita quidem, ut antea, formidolosus erat. Thoris- 83 mundus Tolosam victor rediit, paulo post diem obiit. Nam, dum tacta vena morbi gratia sanguinem exhaurit, ab Ascale cliente inimicos adesse nunciante subtractis armis ipse confoditur. Sed, ne moraretur insultus, altera manu, que libera erat, raptio scabello inimicos

nonnullos interfecit. Theodoricus frater in regno successit. Antequam⁸⁴
ad Atilam redeamus, Iordanem de Visigotharum rebus plura di-
centem aliquantulum prosequamur.

Theodoricus regnum adeptus Riciarium Suevorum regem et⁸⁵
cognatum suum, qui in Galatia Lusitaniave consederat, repperit
inimicum. Nam, cum Riciarius totam Hispaniam occupare nitere-
tur, Theodoricus moderatius agens a principio eum per legatos
admonuit, ab alienis finibus manus arceret neque id auderet, quod
foret iniquum, sue moderaretur ambitioni, quippe que magnam
sibi soleret invidiam comparare. At ille contumacius referens nul-⁸⁶
lam inquit alienarum rerum curam Theodorico esse oportere ne-
que decere se cuiquam negotium facessere et hinc atque hinc mo-
lestias temere commercari, immo studiosissime precavendum, ne
Suevos infestet; quare Tolosam hostili manu visere cogeret, ubi
omnis res gladio ageretur. Thorismundus his verbis commotus⁸⁷
cum omnibus finitimis rem componit, Gundicum et Hilpericum
Burgundionum reges in societatem accepit, mox cum magnis exer-
citibus contendit in Hispaniam ad Urbicum annem, qui Asturiam
Hiberiamque interfluit, Suevis occurrit, ubi commissa pugna tam
infestis congregiuntur animis, ut multi utrinque ceciderint. Suevi⁸⁸
tandem victi et ad internecionem usque cesi. Riciarius rapta navi,
dum salutem fuga disquirat, in Gothorum manus incidit, in Theo-
dorici conspectum adductus sibi suisque veniam invenit, quando-
quidem benignus hostis post victoriam amplius seviendum esse
non censuit. Domitis Suevis Agriulphum clientem prefecit e Var-⁸⁹
norum stirpe natum, que a Gothici sanguinis nobilitate admodum
erat abiuncta. Hunc Suevorum suasu rebellantem Theodoricus misso
exercitu per prefectos cepit captumque mox capite multavit, ut
exemplum ceteris ipse proponeret gratissimi domini obsequia nun-
quam detrectanda. Suevi reformidata sevitia ad placandum regem⁹⁰
cum collegiis sacerdotum misere pontifices, a quibus ita exoratus
est, ut non modo Suevis ignosceret, verum etiam de propria gente
deligendorum principum potestatem faceret ac Risismundum mox
electum confirmavit. Theodoricus XIII. regni anno diem obiit suffecto-⁹¹
que loco eius Eurico fratre veneni suspicione non caruit. Mutatio
deinde frequens principum et imperatorum Visigothis amplificandi
imperii occasionem obtulit. Nam capta prius Hispania in Gallis⁹²
imperium amplificaverunt. Euricus Arvernam occupavit Romanorum
principum sedem. De his hactenus.

Sed, ut ad rem nostram redeamus, post Atilæ mortem facta⁹³
dissensione Valamir et Thiudemere Ostrogotharum et Ardericus Gepi-
darum reges primi ab Unnorum regno deficientes seque in liber-
tatem vendicant. Id ipsum Marcomanni, Eruli, Turingi et Quadi⁹⁴
factitant neque post Atilam in Ernaci et Durichi Atilæ filiorum ser-
vitutem recidere patiuntur, quare in Ostrogothas ac Gepidas Unno-
rum principes arma sumunt. Ernacus in Gepidas cum XXX mili-⁹⁵
bus hominum profectus primo congressu ab Arderico superatur et
ceditur, Durichus a Valamire et Thiudemere fusus ac fugatus cum

Unnis in Scythiam se recipere cogitur. Posthac in Ostrogothas Unni⁹⁶ arma ultra sumere formidarunt. Gepide, ut Iordanis auctor est, triginta fere Unnorum milia trucidarunt. Ellacum Atile filium fortissime pugnans interfecerunt, reliquos eius fratres iuxta litus Pontici maris, ubi Gothi consedere, fugarunt. Varie gentes hoc bello⁹⁷ libertatem nocte in provincias populi Romani venientes gratissimo animo a Marciano suscepte sunt, distributas sibi sedes acceperunt. Gepide fugatis Unnis veluti iure belli totam Daciam sibi vendicarunt. Nil aliud a Romano imperio preter pacem annuaque sollemnia ut strenui viri amica pactione postularunt, quod imperator lubenter annuit. Ostrogothe sedes a Romano imperio petiere Pannoniamque impetrarunt. Sarmate et Cemandri ac ex Unnis quidam⁹⁸ in parte Illyrici iuxta maritimam urbem sedes invenerunt, ex quo genere Bilina dux Pentapolitanus eiusque frater Froila Bessaque patricius promanarunt. Scyri, Sedagarii ceterique Alani Scythiam minorem et inferiorem Mysiam acceperunt. Rugi et nonnullae nationes Byzim et Arcadiopolim incolendam petiere. Ernacus iunior Atile filius cum suis in extrema minori Scythia sedem delegit. Eumedzur et Vultizintur eius consanguinei Ripensi Dacia potiti, pars etiam Unnorum in Macedoniam et Greciam diverterunt, qui Sacromantisii et Fossatisii dicuntur. Minores vero Gothi populus quidem immensus Vulfila duce pontifice suo in Mysia regionem Neapolitanam ad radices Hemi montis incoluere. Gothi igitur, quin in Pannonia consedere, regnante Valamire in partes tris divisi sunt; veluti tris fratres uno consensu imperabant. Valamir inter Scarmurgam et Aquam nigram amnes, Thiudimer preter lacum Pelsodis, Vindimer inter utrosque quievit.

Defuncto Atila quid successerit, Ungarici aliter annales referunt duos eius filios imperio maturos pre ceteris superfuisse; Germanos, quibus Tetricus Veronensis preerat, atque Unnos facta seditione diversa sensisse, alios Chabam ex Honorii imperatoris gnata genitum, Aladarium alios ex illustri Germanorum prosapia genitum postulasse. Tetricus cum Unnis paucis Aladario favebat, quando Germano ille sanguine natus erat, ratus Unnorum intestina discordia eorum imperium facile ruiturum; unde ingens orta seditio. Unnorum pars cum Germanis, cum aliis gentibus alii sentiunt. Tantum utrinque prelium committitur et tam dirum et acre, ut vix diebus quindecim sit ab intestina clade cessatum. Cruorem gentium in Danubium rivos egisse perhibent. In hac pugna semper pars Chabe superior habita Tetrici tandem arte proteritur. Chaba cum sexaginta fratribus natu minoribus ac Unnorum quindecim milibus, qui e bello superfuissent, in Greciam aufugisse fertur, ubi honorifice exceptus annos XIII egit; deinde patrie haud immemor unius anni itinere interiorem Scythiam repetiisse et avum adhuc vivum invenisse dicitur, quod omnino videtur incredibile; eius consilio uxorem quoque de Corosmana vicina Scythie gente duxisse ex eaque Edemen et Eden filios habuisse; quoad vixerit, de repetenda semper Pannonia monuisse gnatos et Pannonie ac Sicambrie nomen

ad novissimum usque diem ore agitasse.

Neque, ut tempestate nostra videmus, Unni Pannoniis fuere
 penitus exacti; nam, qui captivi e cede superfuerant, cum prope 113
 Germanos, quibus erant infensi, commode habitare non possent,
 in posteriorem Dacie oram, quam Transylvaniam dicimus, secessere
 seque Syculos mutata t in c litteram appellarunt, quoniam Unnorum
 nomen omnibus tunc finitimus gentibus nimis infensum esse intel-
 ligebant. Hi adhuc sua matrimonia externis non communicant, ne 114
 proprium sanguinem inficiant. Severiores adhuc mores retinent mul-
 tumque a ceteris Ungaris differunt. Litteras Scythicas habent, quas 115
 non in papyro scribunt, sed brevissimo ligno excidunt, paucis notis
 multa sensa comprehendunt. Barbati incedunt et austeri, abundant 116
 pecoribus et ex agricultura ac pastura victum trahunt. Servitutis
 impatientissimi, quippe qui usque adeo libertatem colunt, ut mori
 quam tributa solvere malint. Ungarie regibus nunquam stipendia 117
 pendere voluerunt neque, ut id facerent, ulla vi cogi potuere. No-
 stra vero tempestate precibus tantum ac regis gratia adacti sunt,
 ut divo Mathie quibusdam temporibus domesticatum bovem solvant.
 Quin etiam, ut aiunt, cum Unnos, quos deinde Ungaros appella- 118
 vimus, Pannonias repetere accepissent, habito delectu eis in Rute-
 niam, quam Roxiam nunc dicimus a Roxolanis olim habitatam,
 occurrere; iuncto in Pannonias agnive rediere, ut in sequentibus
 latius ostendemus. Hi Chabam in Grecia interiisse reputarunt, unde 119
 orta proverbialis oratio adhuc per Ungarorum ora vagatur: Tunc
 redeas, cum Chaba e Grecia revertetur. Chaba igitur in Scythiam 120
 reversus, quia ex matre Greca natus erat et uxorem peregrinam
 acceperat, Scythis contemptui haberi cepit, quandoquidem suum
 sanguinem infecisse videbatur. Aladarius et Germani cum paucis 121
 Unnis ceterisque reliquiis exercitus Atile in Pannonia remansere.
 Aladarium cum Tetrico in ea seditione cesos fuisse credunt, pro- 122
 inde variarum gentium in Ungaria remansere populi, qui usque ad
 Unnorum reditum sub Ostrogothis maxima ex parte iuere. Atque 123
 idcirco factum est, ut Germanos Ungaris passim admixtos adhuc
 Daciam et utranque Pannoniam incolere videamus, quia defuncto
 hic Atila utriusque populi ex Aladario et Tetrico principe remansere.
 Sed, nescio, quo fato datum erat, ut defuncto Atila ac fracto 124
 dei flagello et extincto acerrimo hoste Romanorum adhuc eius reli-
 quie Italiam iterum et infestare et perdomare perrexerint; scilicet
 armis dumtaxat Scythicis imperii Romani fastus semper proteren-
 dus erat. Adhuc mortuus Atila Italiam insectatur. Heruli nanque 125
 et Turingi exercitus Atile reliquie, qui superatis et fugatis Unnis
 ad Danubii ostia condesere, post Atile mortem anno fere vigesimo
 Odoacre duce imperante Augustulo Italiam adoriuntur. Aquileia ad 126
 levam relicta in Taurisinos Vincentinosque ac inde in Brixianos
 flexerunt, Odoacer Orestem patricium apud Ticinum superavit su-
 peratumque interfecit. Augustulum eius filium imperio eiecitum ad 127
 Lucullanum Campanie oppidum relegavit, ubi deposito paludamento
 privatam vitam egit. Romanum igitur imp.rium, quod ab Augusto 128

sumpsit initium, ab Augustulo exitium accepit. Interfecto patricio 129
 Romam conversum Odoacrem prodeuntes obviam Romani faustis
 acclamationibus admiserunt et cum triumphali pompa in Capito-
 lium duxere, qui pacata mox Italia XIII annis cum summa tran-
 quillitate regnavit, tertiam agrorum partem sibi suisque divisit. Ne 130
 soli quidem patrii regnum aspernatus est; nam, cum Felcheus
 Rugorum rex, qui et Fena dictus est (Rugi enim ulteriorem Da-
 nubii ripam in Germania tenuere), Herulos, qui domi remanserant,
 infestaret ac propriis sedibus eiicere niteretur, validissimas habito
 delectu copias adversus eum comparavit superatoque Danubio
 cum Felcheo conflixit, regem interfecit, Rugos ad internecionem
 pene delevit, eorum provinciam, ne amplius habitari posset, totam
 ferro ignique vastavit. His preliis ab Odoacre Romanorum rege 131
 parta victoria future Italis calamitatis prebuit initium, siquidem
 Longobardi tunc primum populi Romani provinciis noti Rugilan-
 diam habitatoribus vacuum Codooro rege occuparunt, quam ad
 Andoini regis usque tempora annis circiter viginti tenuere.

Post Atile obitum, ut rem aliquanto altius repetamus, Ostro- 132
 gothe varieque illius exercitus reliquie Pannonias incoluerunt. Apud 133
 hos Valamir cum Thiudimere et Vadimere fratribus, ut paulo supra
 dictum est, sat quiete regnavit. Annua a Martiano principe dona, ut 134
 icta federa servaret, loco strenue accipere solebat, que cum per con-
 temptum intercipi conspiceretur, una cum fratribus furore percitus
 coacto exercitu in Illyricum erumpit, omnia miscet ac populatur.
 Martianum facti penitet, eius enim ac superioris anni promissa 135
 dona mittit, futuri vero temporis asseveranter se quotannis cetera
 missurum recepit. Pacisque obsidem Theodoricum Thiudimeris 136
 filium e concubina Erelina natum ac optime indolis infantem ac-
 cepit, qui Constantinopolim ductus aliquanto natu grandior factus
 Leonis imperatoris gratiam promeruit. Hinc inter Ostrogothas ac 137
 Romanos concordia firmior effecta. Sed Gothi, cum virtutem suam
 otio delitescere graviter ferrent viresque suas ostentare percuperent,
 expeditionem aliquam sumere decernunt. Primum contra Sagadas, 138
 qui ulteriorem Pannoniam possidebant, arma capiunt. Quod ubi
 Dinzia rex Unnorum et Atile filius intellexit, coactis paucis, quos
 habebat, Unnis Ultingures, Angistros, Bittugures, Bardores secum
 in belli societatem accepit, ad Bassianam Pannonie civitatem castra
 movit, eam obsidet ac populatur agrum. Quod ubi Gothi com- 139
 pertum habuere, dimissa in Sagadas expeditione adversus Unnos
 sese convertunt, quos non modo fuderunt, sed fusos e sedibus
 suis eiecerunt et, qui remanserant, adhuc Gothica arma formidant.

Quiescentibus Unnis inter Gothos et Suevos bellum obrepit. 140
 Hunimundus Suevorum dux, dum ad populandam Dalmatiam erumpit
 iterque facit, Gothorum armenta in campis errantia abigit, quando
 Suevi a Dalmatis et Pannoniis haud procul absunt. Id egre tulere 141
 Gothi, quare Suevis redeuntibus Thiudimere duce ad lacum Pel-
 sosis cum magno presidio insidias collocant, non tam huius prede
 dolore quam maioris licentie metu ducti intempesta nocte preter

lacum adoriuntur, qui inopinato prelio consternati haud multum
 obstitere. In ea pugna Hunimundus rex captus victique Suevi, qui-
 bus omnibus imprimisque regi data venia eiusque filius a Thiudi-
 mere adoptatus paulo post in Sueviam cum suis honorifice dimis-
 sus est. At ille accepti beneficii immemor non multo post tem-
 pore Scyros, qui supra Danubium tunc forte conederant et cum
 Gothis quiete versabantur, suscitavit in Gothos. Illi autem ex
 composito hos adorti non tam metu quam admiratione perculere, si-
 quidem haud mediocrem sibi cum eis consuetudinem intercedere
 Gothi noverant; acerrimam inter se pugnam conserunt; Scyri tan-
 dem ab his ad internecionem usque cesi. E Gothis Valamir equo
 excussus hostili manu occubuit; pene a Scyris cumulate sunt exacte.

Hunimundus et Alaricus Suevorum principes idem veriti et
 Sarmatarum auxilio freti in Ostrogothas iterum arma sumunt. Quin
 et Beuca et Babais Sarmatarum reges secum Scyrorum reliquias
 et Gepidarum Rugorumque primates variasque gentes in auxilium
 Suevorum corrogarunt, ad Boliarn Pannonie amnem castra collo-
 carunt. His infesti occurrere Gothi, qui, ubi in hostium conspectum
 venere, educta acie manus conserunt. Tantum sanguinis hauriunt,
 ut per campos cruoris rivos agerent; hostium innumera multitudo
 desiderata est. Thiudimer cesis hostibus elatus ac fratris mortem
 Gothorumque iniurias ultus in sedes suas se recepit. Ne multo qui-
 dem post tempore is non sat sibi a Suevis penarum exolutum esse
 ratus, cum Danubius glacie constitisset, magnum in Suevos traiecit
 exercitum, a tergo eos ex improvise aggreditur. Quando Suevi ab
 oriente Bavaros, ab occasu Francos, a meridie Burgundiones, a
 septentrione Turingos habent, qui una cum Aemianis, qui ingentes
 Alpes accolunt, cum Suevis plane consenserant, Gothi Sueviam fi-
 nitimasque provincias diripiunt pariter et incendunt, hostes omnes
 proterunt asportataque ingenti preda in Pannonias redeunt. Cum
 victor ac dives e Germania Thiudimer rediisset, paucis post diebus
 Theodoricum filium honorificentissime ab imperatore Leone remis-
 sum letissimo animo recepit. Theodoricus, ne tanto patre indignum
 videretur, annos iam natus duodeviginti sex milia virorum clam
 sibi comparat, superato Danubio Babaim Sarmatarum regem clan-
 destino impetu adoritur, qui interfecto Camundo Romanorum duce
 imperiosissime dominabatur; consternatum pre timore regem ob-
 truncat, regiam, liberos, uxorem et fortunas capit, cetera diripit et
 incendit. Mox, antequam Sarmate sese compararent, opima ad patrem
 spolia retulit, Singidonam urbem a Sarmatis occupatam in dicionem
 recepit, quam ne Romanis quidem restituit, sed sibi ipse vendicavit.

Cum Gothis finitimorum spolia defuissent, quando eos longe
 lateque diripuerant, cetera quoque bona, que vite sunt usui, deesse
 videbantur, quare pacem habere ab eo cepere. Thiudimerem exora-
 bant, nova ac utilia bella disquireret, Gothis otium neque com-
 modum neque salutare futurum. Tunc Thiudimer Vindemerem fratrem
 accersi iubet; que fieri oportet, enarrat. Illud cum eo decernit, ne
 gens Gothica bellicosissima, frequens et fortunata otio contabescat

ac fame labore, relicto ibi presule emigrandum esse. Et, cum pre-
cipua in orbe imperia duo supersint, utri alterum contingat, missa
sorte definire iubet. Vindemiri occidentale, orientale Thiudimeri
contigit. Arduas expeditiones sortiti suam uterque provinciam cu-
rant, Pannoniis presulem relinquunt. Vindimer, cum in Italiam
intrasset, cui Glycerius preerat, immatura morte interceptus est. Eius-
dem nominis filium reliquit, cui expeditionem cum bonis et ex-
ercitu legavit. At is Glycerii muneribus victus relicta mox Italia in
Gallias contendit, que ab infestis circum gentibus miscebantur.
Quod ut lubentius faceret, Visigotharum, qui cognati erant, ratio
hortabatur. Postquam in Gallias perventum est, Ostrogotharum ex-
ercitus cum Visigothis vi sanguinis utrinque sponte coniungitur,
unum, ut ita dicam, corpus faciunt, ut olim fuerant. Priscam red-
integrant coniunctionem et ita per Hispanias Galliasque regnant,
ut parem hostem non inveniant.

Thiudimer Illyricum invasurus traiecto Savo cuncta longe late-
que discursat, pagos et oppida diripit, Naissam primam urbem
occupat et incendit, Aradeam et Larissam in Thessalia expugnat;
mox Naisitanam urbem in deditioem accipit impositoque ibi pre-
sidio Thessalonicam petiit, quam Alarianus patricius cum magno
equitatu tuebatur, Gothorum tamen multitudinem veritatis maximis
hostem largitionibus ab eius obsidione diveriit. Icto federe inco-
lenda his loca sponte distribuit imprimisque Cerras, Peliam, Euro-
pam, Medimnam, Petiviam, Bereum et Sium. Gothi inventis sedi-
bus inita pace quiescunt. Thiudimer Cerris gravi morbo confectus
Theodoricum regni heredem declarat a Gothis omnibus exoptatum;
ipse mox ingravescente validudine vita excessit. Quod ubi Zeno
cognovit, gratissimo accitum rege animo suscepit, inter proceres
collocavit et, ut maiore eum afficeret honore, loco filii adoptavit,
creavit consulem et, ut aliqua demum immortalitate donaret, ei pro
palatio. equestrem statuam dicavit. Quacunque eum potuit, dignitate
exornavit. Theodoricus autem paulo post tempore, quamvis omni-
bus Byzantii honoribus frueretur, tamen cum animo repetebat Go-
thos, quos in Illyrico dimiserat, rerum quandoque inopia laborare
neque honestum ibi victum posse ducere; clarissimo sudore potius
quam turpissimo otio vivere decernit. Zenonem clam adit et exorat,
ut, cum Italia terrarum domina in Rugorum et Turingorum servi-
tute versetur ac Odoacrem regem vilissimum patiat, asserendum
a fece gentium Romanum sibi mandet imperium; id magno utri-
que emolumento futurum censet. Quandoquidem imperator gravis-
simo Gothice gentis impendio levabitur, Romam a barbaris vindica-
bit, quod a maiestate sua non erit alienum, si e sententia cepta
successerint. Quando filii loco a Zenone adoptatus erat, haud in-
iustum futurum, si beneficio suo imperium Romanum Gothicis sump-
tibus viribusque recuperatum Gothorum quoque regi potiundum
permiserit. Quod si assequatur, pollicetur se senatum populumque
Romanum pie sancteque gubernaturum et precario nomine posses-
surum. Imperator, ne iuvenem magnanimum exacerbaret, annuit,

donatum honorifice dimittit ratus fore satius recuperatam Italiam adoptati filii nomine possideri, quam pati, ut perpetua fede gentis servitute prematur. Theodoricus voti compos a Zenone dimissus 174 ingentem parat exercitum, curat cetera, que bello sunt usui. Per 175 Syrmium ad loca Pannonie vicina in Noricos iter facit. Venetiam ingressus ad Soncium amnem castra locat ibique aliquamdiu, ut hominum iumentorumque corpora reficerentur, quiescit.

Interea Odoacer habito delectu exercitum comparat obviamque 176 progreditur. Gothus in Veronensem agrum castra movet, cui mox Odoacer occurrit, manus utrinque conseritur acerrimeque pugnatur. Rugi ac Turingi dare terga coacti palantes funduntur fuganturque, 177 in fuga strages maxima patrat. Odoacer cum reliqua parte equitatus paucisque peditibus Ravennam se recepit, ubi regiam sibi sedem ipse statuerat. Theodoricus transmissa Pado hostem petit adauctaque audacia 178 in Italiam penetrat, ad Pineta ad tertium ab urbe lapidem castra ponit. Odoacer instructa acie cum hoste iterum congregi non ausus in 179 urbem se recepit eamque vallo fossaque munivit. Improvisis eruptionibus hostem infestat, nocte sepius stationes adoritur paucisque cesis in urbem refugit. Ne hac quidem arte quicquam proficit, quia 180 universa regem ac dominum sibi Theodoricum optabat Italia. Triennio tamen obsidetur fameque quotidie ac bello vexatur, per legatos demum ab hoste veniam postulat, quam si impetrarit, se Theodoricum in Italici regni societatem admissurum ultro pollicetur. Impetrata venia non multo post tempore ad cenam invitatus 182 occiditur. Hic Odoacris fuit exitus.

Theodoricus igitur tertio, ut supra dictum est, anno Italie regno 183 potitur, quod ut variorum regum affinitate stabiliret, missa legatione a Ludovico Francorum rege Andefledam gnato suo matrimonio coniugari petiit, quam ille libentissime concessit, quin et gnatos tris cum ea ad confirmandi ostentationem federis Romam misit. Sed intercidentia sepe bella affinitas ista dirimere nequivit, que 184 pro regni finibus suscitabantur, antequam ex uxore liberos haberet. Thendigitonem et Ostrogothonem, quas illegitimo concubitu in Mysia ex amica conceperat, alteram Alarico Visigotharum regi, Sigismundo Burgundionum principi alteram desponsat. Ex Alarico 186 Amalaricus nascitur, quem utroque parente orbatum Theodoricus avus in tutelam accepit. Interea Eutharicum Viterici filium et Berithimundi Thorismundique nepotem Amalorum stirpe editum iuvenem non minus corporis quam animi dotibus excellentem in Hispania comperit, quem venire iussum Amalasuente filie sue coniugavit. Ad propagandum quoque suum sanguinem Amalafredam 188 sororem et Theodati matrem, qui postea in Africa late regnavit, Thrasamundo Vandalorum regi in uxorem tradidit. Amalabergam inde genitam Ermanfredo Turingorum regi consociat. Misit eodem 189 fere tempore Petanum prefectum equitum cum plerisque cohortibus in Pannoniam, ut Syrmium Transarico Trasistille filio eriperet Illyricumque eiectione Sabiniano magistro equitum, qui cum Mundone latrociniiis ibi late grassante pugnare statuerat, occuparet.

Quod utrunque e sententia prestitit Petanus, siquidem Transarico 190
matrem Syrmiumque et Sabiniano Illyricum commisso feliciter ad
Margum oppidum prelio, quod inter Danubium et Margum am-
nem situm est, tunc ademit. Mundo Attilanorum genere natus, dum 191
Gepidarum furorem fugit, traiecto Danubio et collecta non me-
diocri latronum manu erectaque in Danubii ripa quadam turri, quam
Ertam dicunt, per inculta longe lateque grassatur. Hunc igitur Sa- 192
biniani bello laborantem Petza subveniens ab hoste liberavit et ad
gratum Theodorici redegit obsequium.

Tanta fuit eo tempore Theodorici fortuna, ut, quamvis regnum 193
propagatis affinitatibus munitum habuisset, suorum tamen ducum
omnis expeditio delegata succederet. Nam, que in Gallia gesta 194
sunt, ne minus quidem prospere, quam in Pannonia et Illyrico
successere. Hibla enim, quem adversus Francos miserat, cesis ho-
stium milibus circiter XXX clarissimam inde victoriam retulit. Mor- 195
tuo Alarico genero Burgundionum rege Amalarico Thiodem pre-
fectum militum tutorem dedit, sed pupillus Francorum insidiis ir-
retitus regnum pariter et vitam amisit. Nulla in occidentali plaga 196
gens fuit, que ad Theodorici nutum aut amicitiam eius fedusque
sponte non iverit aut obsequium ultro prestiterit. Siciliam eiusque
circumstantes insulas ac Dalmatiam suo regno adiecit. Cum novis- 197
simam iam sibi diem imminere intelligeret, advocatis proceribus
Gothorum Athalaricum ex filia Amalasuenta nepotem nondum duo-
decimum tunc natum annum et Eutharico patre orbatum Italie re-
gem declaravit ac omnes habita contione precatus est, ut crea-
tum regem colerent et senatum populumque Romanum vehemen-
ter amarent et observarent. Ipse paucis post diebus Ravenna, ubi 198
regiam sibi sedem semper habuerat, diem obiit. Nulla gravi nota su- 199
gillandus, nisi quod Boethium Latinorum sane doctissimum ac virum
senatorium ob suspicionem affectate libertatis exilio ante multatum ac
postliminio revocatum pretorioque prefectum una cum Symmacho se-
natore socero suo aliisque prestantibus viris superiore anno, quam vita
excesserat, dum sibi regnoque timet, obruncari iussit. Theodoricus igitur 200
barbarorum omnium mitissimus se prestantissimum principem pre-
buit. Basilicas multas edificavit, Octavii Mausolea instauravit, de more 201
spectacula edidit. Tridentum muro cinxit; Italiam ab externo hoste libe-
ravit. Herulos in extremis Italie partibus ad Pretoriam Augustam col-
locavit. Interfecto O Joacre alium regem dedit; XXV denique annis in
Italia regnavit.

Athalaricus cum matre maternis sese gerens auspiciis ob eta- 202
tem octo annis quiete regnavit. Exacta iam adolescentia, quo tu-
tius regnaret, Iustiniano principi se cum vidua parente commenda-
vit; libenter princeps commendationem et tutelam accepit. At ille 203
infelix immaturo fato interceptus obiit; mater, ne femelle more a
Gothis contemneretur, Theodatum e sorore fratrem et privatam in
Thuscia vitam agentem accersi iubet regnumque communicat. At 204
facinorosus ille consanguinitatis ac beneficii immemor imperandi
cupiditate tractus paulo post tempore eam captam in vincula con-

iicit, mox Ravenna eductam ad Bulsiniensis lacus insulam relegat; paucis post diebus assiduis calamitatem suam lacrimis deplorantem inter lavandum in balneis a satellitibus strangulari mandat. 205

Iustinianus imperator audito Amalasuente fato, cuius tutelam acceperat, hanc notam sibi inustam ratus Bellisarium ex Africa expugnata iam dudum reversum et adhuc Vandalorum cruore madentem, bellatorem gloriosissimum coacto mox exercitu in Italiam adversus Gothos properare iubet eique Italiam a barbarico servitio vindicandam delegat. Delegatam Bellisarius provinciam vir bello fortunatissimus forti animo, ut solet, aggreditur. Qui, cum haud facile Gothos superari posse arbitraretur, nisi Sicilia bellorum nutrice exigerentur, Syracusas prius valida classe adoritur. Qui urbem cum presidio tenebant, Gothi desperata propugnatione cum Sinderico duce ultro se Bellisario dederere. Theodatus, postquam Siciliam ab hoste captam esse cognovit, Euermothem germanum suum defensande Italiae gratia ad fretum Siculum mittit. Ad Rhegium oppidum is castra locat, qui, cum Gothorum partibus diffideret, relicto clam exercitu cum paucis comitibus propositi sui consciis ad Bellisarium proficiscitur et consternatus ad pedes veniam exorat seque Romanis et non Gothicis principibus servire velle testatur. Gothi, qui in castris erant, nunciata re commoti e vestigio seditio-nem suscitant, Theodatum cum hoste coniuratum, quod e germano transfuga coniici poterat, regno abdicandum et explodendum clamitant, Vitigem eius ducem regem creant, qui, ne qua fortune dexteritatem ignavia pateretur elabi, sine cunctatione Romam contendit et occupat. Ravennam quoque eodem tempore fidelissimos quosdam milites subornatos mittit, qui Theodatum incautum obruncant obruncatoque rege Vitigem suffectum pronunciant. Illi diligenter et e sententia imperata faciunt; ceso Theodato creatum in castris Vitigem exclamant. 206 207 208 209 210 211 212

Interea Bellisarius traiecto freto Siculo Neapolim expugnat, mox urbem Romam adoritur, unde paucis ante diebus Vigitis egressus Ravennam contenderat Mathasuentamque Amalasuente filiam legitimo sibi coniugii vinculo obstrinxerat nuptiasque sollemnes cum Gothis celebrabat. Dum hec aguntur, Bellisarius Romam capit captaque urbe in Etruriam contendit et munitissima queque loca expugnat. Quod postquam Vitigi nunciatum est, Cumunilam Gothorum ducem cum multis cohortibus et magna parte equitatus Perusiam repente mittit, ubi, dum is longo munitam presidio urbem recipere studet, superveniente Bellisario ad interneccionem usque cum exercitu deletur. Vitigis rebus tam male succedentibus extremas Gothorum vires cogit, Ravenna egressus urbem Romam XIII mensibus obsidet, mox vi soluta urbis obsidione Ariminum circumvenire ausus pari spe frustratus fugam rapere coactus est. Cum Ravennam se recepisset, gravi obsidione circumventus una cum Mathasuenta uxore omnibusque fortunis victori deditionem ultro fecisse dicitur. Constantinopolim a Bellisario ductus a Iustiniano imperatore patricio honore donatus ac honorifice admissus est; se- 213 214 215 216 217 218

cundo, postquam venit, anno diem obiit. Mathasuentam uxorem 219
germano fratri suo patricio Iustinianus coniugavit, ex quibus pos-
sumus est editus. Hic igitur Ostrogotharum Amalorumque fuit ex- 220
tus. Iustinianus vero cum Bellisario consensu omnium atque suf-
ifragis Vandalicus, Africanus et Gothicus cognominatus est. De his
hactenus.

Hucusque Pannoniam, quam Ungariam nunc dicimus, a qui- 221
bus post exactos Unnos populis et habitata et recta fuerit, quando
magnum fuit Gothorum imperium, qua potuimus, brevitate descrip-
simus. Nunc haud ab re futurum existimamus, si eos, qui post 222
Unnos et Ostrogothas Ungariam occuparint, ordine prosequamur.
Adoinus Longobardorum rex decimus, qui Gepidas superavit, cum 223
Gothorum regnum nutare intellexisset, his fere temporibus, quibus
Bellisarius Iustiniano imperante de Persis triumphare dicebatur, cum
innumera gentium multitudine Pannonias ingressus est. Sed gen- 224
tis huius origo, ut solidiorem historiam contexamus, aliquanto re-
motius repetenda est.

Ex Scandinavia fecundissimaque Germania Gothos, Vandalos, 225
Quados, Herulos et Turcilingos et plerasque barbaras nationes, ut
iuniores sensere aliqui, promanasse legimus. Winulos quoque hinc
provenisse accepimus, quos Longobardos appellant. Insule nan- 226
que Germanici sinus tenuissimo mari circumfusa tanta populorum
fecunditate luxuriantur, ut non modo Germaniam complevisse, sed
varios emigrantium fetus peperisse ferantur. Longobardi igitur Agi- 227
one Iboreque duce Scandinavia tertia ex parte egressi in Scorin-
gam profecti aliquot ibi annis consedere. Finitimam regionem Van- 228
dali late regnantes possidebant, qui audito Longobardorum incolatu
per legatos pendenda sibi quotannis stipendia postulant. Contra 229
illi pugnare quam servire se malle respondent; res Marti commissa
primo congressu definita est. Nam Longobardi primo prelio supe-
riores virtute tantum se a Vandalorum servitio vindicarunt. Mox 230
rerum inopia ex loci sterilitate laborantes in Mauringam transeunt
transitumque ab Assipictis e singulari certamine assecuti sunt. Deinde
in Golandiam venere. Cum per plures populos iter tranquille face- 231
rent et securitate ducti neglectis vigiliis stationibusque quiescerent,
ecce Bulgari incautos adoriuntur, multos cedunt, magna sevitia per
castra grassantur, Agelmundum regem interimunt filiamque capti-
vam abducunt. Resumptis mox viribus illi ac revocatis animis Lam- 232
misonem regi sufficiunt, qui vir robore corporis et animi magni-
tudine iuxta clarus in toto regno nil affectatius curavit, quam ut Agel-
mundi regis necem ulcisceretur. Quare comparato mox exercitu in 233
Bulgaros irruit et in primo congressu, cum inclinatos suos cerneret
ac iam iam terga duros, tanta verborum asperitate corripuit, ut
in hostes revocati patrata magna strage superarint. Victoria, preda 234
et hostiles exuvie usque adeo auxere animos, ut longe maiora
sponte discrimina iam obirent. Hic igitur secundus Longobardo- 235
rum rex gloriose regnavit; ei Lethus, Ildeochus et Godenus rite
successere.

His quoque temporibus inter Odoacrem Herulorum in Italia²³⁶
late regnantem et Pheletheum Rugorum regem, ut supra dicere ce-
pimus, non mediocris orta dissensio. Nam, cum Pheletheus, qui²³⁷
ulteriorem Danubii ripam incolebat, ultra flumen occupare niteretur,
haud mediocre quidem hinc odium exarsit. In Noricorum finibus²³⁸
beati tunc Severini cenobium erat, qui vir maxima abstinentia, sanc-
titate ac auctoritate clarus celesti sepe admonitione Pheletheum
cum Gesa coniuge corripuit, ut a solita iniquitate desineret, eique
futura mala predixit. Quare hunc Odoacer coacto magno Herulorum²³⁹
ac Turingorum exercitu ab Italia progressus adoritur, hostem cum
copiis proterit ac cedit. Abacta ingenti Rugorum multitudine in²⁴⁰
Italiam victor redit. Desertam mox Rugilandiam Noricis fere op-
positam relictis, quas habebant, sedibus Longobardi occuparunt.
Landia enim barbara lingua patriam significat. Hinc egressi in pa-²⁴¹
tentes Feldie agros descendere, ubi tertio post anno, cum propter
mortem fratris regis a Runtheruda Totonis filia facinorosissime in-
terfecti bellum oriretur, Longobardi Herulos profligant, Radulphum
Herulorum regem interficiunt. Heruli ex eo tempore usque adeo ad
internecionem cesi, ut posthac regem nunquam habuerint.

Aducto tot bellis prospere gestis exercitu Longobardi nunc²⁴²
bella ultro capessunt, virtute gentis gloriam amplificare student.
Cum Gepidis Walterio Vacchonis regis filio regnante bellum in-²⁴³
eunt. Defuncto Walterio Andoinus non sine magna cede hostem su-
peravit. Parta tam clara victoria milites regem orant, ut Albuinum²⁴⁴
regis filium, qui in acie Thorismundum obruncarat et cuius potissi-
mum virtute vicissent, in sollemni convivio secum accubare pa-
tiantur, ut, cuius virtutem in prelio spectatam habuit, eius digni-
tatem triclinii communicatione decoret. At ille, Num scitis, inquit,²⁴⁵
Longobardorum non esse morem regis filium patris esse convivam,
nisi prius ab externo quovis rege arma suscipiat. Quod ille audi-²⁴⁶
ens ad Turisindum Gepidarum regem, quocum bellum gesserat,
proficiscitur, a quo honorifice exceptus commissa in convivio rixa
Thorismundi a se prius cesi arma concedente patre retulit ad Longo-
bardosque reversus laudata iuvenis audacia regale convivium iure
promeruit. Hic regno succedens usquequaque clarus iam habitus²⁴⁷
Clodisuintam Lotharii regis Francorum filiam uxorem accepit, ex
qua Albisuinclam tantum filiolum genuit. Cum Turisindo Gepidarum²⁴⁸
regi Cunimundus filius in regno successisset patrisque mortem ab
Albuino interfecti studeret ulcisci, leso Longobardorum federe eos
bello lacessit. Albuinus cum Avaribus, qui prius Unni dicti, deinde²⁴⁹
Avares a rege nominati sunt, perpetuum fedus init. Mox cum so-
ciis Gepidarum fines invadit hostibus usque ad internecionem de-
letis; Cunimundum obruncat, e cuius capite sibi poculum paravit.
Captivam abduxit cum magna multitudine hominum filiam regis,²⁵⁰
cui Rosimunde nomen erat, quam, cum prole caruisset, non sine
exitio suo duxit uxorem. Gepide ex eo conflictu ita viribus atte-²⁵¹
nuati sunt, ut ultra regnare nequiverint. Nam, quicumque bello su-²⁵²
perfuere, aut Longobardis parere aut Unnis ea loca tenentibus

gravi servitio pressi stipendia pendunt.

Amplificato regno gloriaque Longobardorum, cum Totila e Gothorum reliquiis incendium in Italia suscitasset, quos Bellisarius paulo ante contriverat (Gothi enim, qui remanserant, hostis absentia una convenere, Hildebadum, deinde Atharicum, postea Totilam regem creavere), de liberanda quoque prorsus Italia Iustinianus cogitabat. Narsetem Cartularium cognomento dictum patricium crearat eique expeditionem hanc magnam ultro mandarat. Hic cum Longobardis, qui cum Albuino rege Pannoniam occuparant unaque cum Avaribus deletis fere Gepidis incolebant, fedus icit icto- que federe adversus Gothos auxilium exposcit. Maximum validissimumque auxilium iure societatis Narseti datur, qui, ubi cum Romano exercitu in Italiam traiecit Totilamque cum Gothis omnino delevit, multis muneribus onustus in Pannoniam rediit. Quousque igitur Longobardi Pannonias incoluere, Romanum semper imperium adiuvarunt. Quare Longobardi trigesimo salutis anno supra quingentesimum Iustiniano imperante Pannonias ingressi annos circiter quadraginta duos eas incoluere et tribus annis ante, quam Bellisarius in Africam profectus Vandalorum gentem sane deleverit. Sed, quomodo hi deinde in Italiam traiecerint, ex ordine videamus.

Verum enimvero multa Italiae infausta et infelicia signa apparere, que futura mala portendebant. Imprimis ita pestis usquequaque grassata, ut nulla luctus expers inveniretur. Evitandebis labis gratia domicilia, facultates ac pecora deserebantur, cessabat agricultura ceteraque artes ac studia omnia destituebantur. Parentes a liberis ac liberi a parentibus destituti nullum pietatis officium retinebant. His etenim malis, et si universa Italia ad Noricos usque laborarit, pre ceteris tamen Liguria est absumpta. Sub hec tempora Iustinianus in amentiam cadens rebus humanis excessit. Paulo post monstra longe seviore accidere. Ignee in celo acies per Italiam vise, que sanguinem effunderent. Tiberis urbem inundavit multosque demersit. Profusissimi quoque per totam Italiam continuatis diebus fuere imbres.

Iustinus Minor Iustiniano defuncto successit, cui Sophia uxor fuit, quam tanti mali causam fuisse perhibent. Cum Narses Gothis Italiam liberasset magnumque ex tot belli successibus questum fecisset, ne mediocrem quidem sibi a Romanis invidiam conflasse dicitur. Quippe qui imperatori significasse ferunt Romanis multo satius esse Gothis, quam Grecis obsequium prestare, cum Narsetis imperiosa sevaque tyrannide ad miseram servitutem redacti esse videantur; quod, si Romane reipublice non consulatur, ut Narsetis eunuchi liberentur imperio, externis sese gentibus dedituros interminari. His commotus imperator suffecto in eius locum Longino Narsetem mox imperio abdicavit. Sophiam quoque Iustini coniugem hec litteris ei minatam fuisse ferunt se omnino hunc eunuchum de reipublica male meritum ad dispensanda in gyneceo puellis lane pensa redacturam; illum ad hec contra respondisse talem ei telam se exorsurum, qualem nunquam ipse retur expeditu-

ram. Is igitur partim odio, partim metu percitus Neapolim secessit, 270
 legatos ad Longobardos misit, quibus relicta misera Pannonia ad
 occupandam locupletem feracissimamque Italiam hortatur. At illi, 271
 cum ea sibi offerri conspicarentur, que semper optarant, mandata
 libenter accipiunt. Albuinus rex ingenti spe elatus coactis omnium 272
 Longobardorum familiis acceptisque secum e Saxonibus sociis cum
 liberis et uxoribus circiter XX milibus ad emigrandum se comparat.
 Pannoniam Unnis, quibus cum perpetuo federe obstricti fuerant, 273
 relinquere statuit, quando cum Unnis quoque Pannonias annos
 olim duos et quadraginta incoluerant. Ea tamen condicio sedibus 274
 cedendi Albuino cum Unnis intercessit, ut, si qua unquam
 necessitudo ad revertendum adegerit, propria cuique arva recipere
 liceat. Ad prestitutum igitur diem, quem Kalendarum Aprilium fuisse 275
 ferunt, cum a fidelibus Pasche solemnia celebrarentur, et anno salutis
 quingentesimo sexagesimo octavo Longobardi omnes Pannoniis
 emigrant. Per Syrmium iter faciunt; Saxones quoque, quos 276
 diximus, secum ducunt. Quorum mox sedes Lotharii ac Sigisberti
 Francorum regis edicto Suevi occuparunt.

LIBER VIII.

Italiam Longobardi tertio, quo emigrarunt, mense cum Saxonibus 1
 attingunt. Albuinus rex montem in finibus editissimum conscendit,
 ut hinc prestantissime celebratissimeque regionis situm pulchritudinemque
 prospiceret. Quare mons ille posthac regius 2
 appellatus, ubi visontes eius magnitudinis capi solent, ut in eius pelle,
 veluti Paulus auctor est, homines fere quindecim cubare queant.
 Italiam subinde ingressus, quando nemo hucusque his impedimento 3
 fuerat, Venetiam occupat et Foroiulianos, quibus nepotem
 Gisulphum cum delectis Longobardorum familiis, veltut ille petierat,
 sane prefecit. Metropolita Aquileiensis, cui Paulo nomen 4
 erat, singulari sanctitate venerandus, dum sibi sueque basilice timet,
 cum sacra supellectili et collegio sacerdotum in Gradum insulam
 confugit, ne quid forte detrimenti a feris barbaris ecclesia pateretur.
 Eo quoque tempore Benedictus vir sanctissimus pontificatum 5
 maximum gerebat.

Atque Unni, qui et Avars dicti sunt et Pannonias abeuntibus 6
 Longobardis in dicionem suam asseruerant, audita Lotharii morte
 Francorum regis spe propagandi imperii in Francos bella movent.
 Fuerunt autem Avars Unnorum genus et exercitus Atile reliquie, 7
 quos diximus defuncto Atila a Gepidis superatos, qui se iterum
 subiici recusabant. Unni vero, qui cladi superauerant, Unnorum 8
 nomen exosi ab Avaro, qui Zeliorbi successit in regno, sese Avars
 nuncupavere relictisque Pannoniis in Noricum recesserunt, a quibus
 ea regio Bavaria dicta est. Strabo eam potius Baioariam a 9
 Bois, qui eam relicta Italia terram habitare voluerunt, appellandam
 esse arbitratur. Ex Lothario quattuor superfuere filii, qui partito 10
 regno dominari voluere. Adipertus Parisiis imperabat, Aurelianus

Guntrannus, Sasinnensibus Ilpericus et Sigibertus denique Metensibus, in quem Unni magno impetu irruere. At ille ne minore quidem audacia fretus in Turingiam his occurrit et ad Albim fluvium conserta manu fundit fugatque pacemque petentibus ea data. Paulo post tempore resumptis Unni viribus eodem in loco cum Francis confluxere victoriaque potiti spoliis ac predis onusti in Pannoniam rediere. Narses eunuchus, cum Longobardos e composito advenisse cognovisset, Romam se recepit, ubi non multo post tempore diem obiit. Corpus in plumbea arca cum auro et argento multo reconditum Constantinopolim perlatum est.

Albuino Taurisianis appropinquanti Felix mox episcopus ad Plavem fluvium occurrit et, ut ne quid ecclesie sue detrimenti fieret, gravi asseveratione impetravit. Deinde Venetiam, Veronam, Montem Silicis, Mantuam ac ceteras preter Paduam Venetie civitates Longobardi capiunt, Mediolanum, post Brixiam Bergamumque captum expugnant paulo ante multis calamitatibus afflictum, quippe quod, cum ad Bellisarium defecisset, a Gothis deinde receptum pene subversum est, in qua quidem vastitate triginta Mediolanensium civium milia cesa fuisse tradunt. Universa regio Transpadana preter Ticinum in Longobardorum potestatem per brevi redacta est. At illud triennio obsessum tandem expugnatur. Rex urbem ingrediens una cum equo in porta, que ad orientem spectat, concidisse neque unquam surgere potuisse fertur, donec facto voto, quo Christianum populum, qui deditioem in tempore non fecisset, se e medio sublaturum obstrinxerat, Ticinensibus diu resistentibus pepercit. Populus venia donatus faustis regem acclamationibus ad palatium usque, quod olim Theodoricus erexerat, prosecutus ac omnium desperatione levatus non illum prius magis odisse quam posthac anasse visus est. Sed, dum Ticinensi obsidione detinebatur, ne torpesceret otio, preter urbem Romam et Ravennam ac pleraque litoris Adriaci oppida omnia in Etruriam usque domuerat.

Cum post anni superioris ubertatem ac pestem seva fames Italiam incesserit, multis ex variis gentibus colonos eo contraxisse dicitur, quod distributi Gallie plerique vici adhuc Gepidarum, Bulgarorum, Sarmatarum, Pannoniorum, Suevorum ac Noricorum nomina redolent. Demum, cum in Italia annos tres et sex menses ipse regnaret, coniugis insidiis interemptus est. Nam, cum Verone in convivio exhilaratus uxorem ad bibendum licentius invitasset porrexissetque poculum e Cunimundi soceri capite fabrefactum, ut cum patre profusius biberet, Rosimunda dolore correpta insidias excogitare adurgente pietate cogitur. Peredeum virum fortissimum adit, multis hunc pollicitationibus in viri cedem allicere nititur, quod cum assequi non posset, artibus eum circumvenit. Amica quaedam Peredeo fuerat, quam sepe noctu adire solebat; regina se subornat seque in lecto amicam mentita advenienti Peredeo supponit. Deceptum patrata venere Peredeum interrogat, quacum sibi rem fuisse putant; respondit se cum vestiaria coivisse. At illa, se ubi patefecit, Peredeo, inquit, aut Albuinum te interficere aut ab eo te in-

terfici opus est, regalem quando torum incestasti. Ni parueris pa- 26
 ternamque mortem ultus fueris, te adulterii postulatum dira morte
 scito moriturum. Ille timore perculsus se regem interfecturum pol- 27
 licetur eumque meridianem una cum Elmicho coniurationis auctore
 dato ab uxore signo adoritur et obruncat. Eius corpus statura 28
 procerum ac bello asperrimum pro palatio Verone cum maximo
 Longobardorum omnium luclu sepulcro reconditum.

Elmichus post hunc regnum occupare conatus, cum Rosemun- 29
 dam sibi desponsasset, Longino prefecto Ravennati extemplo man-
 dat, comparatam continuo navim ad se mittat, quam Elmichus cum
 Rosemunda et Albisinda regis filia regiaque gaza conscendit. Cum 30
 Ravennam pervenissent, Longinus Rosemunde persuadet, Elmichum
 interficiat seque virum capiat, ut Ravenne dominatu frui possit.
 Annuit inconstantissima femina; Elmicho in balneis venenum propi- 31
 nat. Quod ille bibens, ut se letali potionatum pharmaco intellexit,
 reliquum, quod in poculo superfuerat, districto gladio uxorem hau-
 rire coegit. Quod cum illa vi coacta fecisset, venenum utrique vitam 32
 pariter interceptit. Ex quo, quam iusta sint numina, conicere licet,
 quando facinorosos mutua sese cede interficere cogunt. His vita 33
 defunctis Longinus Albisindam filiam regis cum universis opibus
 ad Iustinum imperatorem Byzantium misit. Peredeum cum Elmicho 34
 et Rosemunda aufugisse, deinde cum Albisinda Constantinopolim
 una traiecisse plurimi ferunt. Qui cum horrende magnitudinis le- 35
 onem in harena confecisset atque ideo imperatori formidolosus
 factus esset, Augusti iussu oculis captus est. Sed ne minus qui-
 dem se cecum, quam videntem exhibuit. Nam, cum indignam ce- 36
 citatem ulturus secretum principis colloquium postularet, ut eorum,
 que sunt reipublice maxime necessaria, commonefaceret, duobus
 cultris sub utraque manu delitescens patricos duos internun-
 cios interfecit.

Longobardi habito Ticini conventu Daphonem regem creant, 37
 qui, cum Romanos multos cedi iussisset, alios extra fines Italie
 relegasset, vix annum unum et sex menses a puero suo iugulatus
 claudere potuit. Multi nobiles et ingens multitudo populorum, dum 38
 Longobardorum sevitiā fugiunt, Venetias traiecere seque marino
 tunc asylo a barbara feritate vindicarunt. Daphone mortuo decem 39
 annos Longobardi sine regibus vixere optimis tantum ducibus usi.
 Totam fere Italiam preter urbem Romam, quam nunquam capere 40
 potuerunt, in dicionem suam asseruere; prefecturas regionum ac
 urbium pro ducum numero diviserunt. Zaban Ticinum, Vullarius 41
 Bergamum, Halaius Brixiam, Euius Tridentum, Gisulphus Forum
 Iulium atque alii denique alias urbes rite sortiuntur. Triginta preter
 hos prefecti creati, qui variis urbibus preessent. Cum Romanorum 42
 multi ob avaritiam morte multarentur, reliquis per varia loca divi-
 sis tandem factum est, ut tertiam frugum partem, quo stipendiarii
 Longobardorum esse viderentur, quotannis solverent. Sub tot tyran- 43
 norum imperio multe urbes dirute, multa deorum templa populata,
 multi quoque sacerdotes immaniter trucidati et maxima denique

pars Italie in Longobardorum servitutem asserta.

Longobardi amplificandi imperii gratia in ulteriorem Galliam 44
 traicere decernunt; potioribus hec provincia ducibus tribuitur. Fere 45
 gentis eruptionem Hospitius vir sanctissimus, qui ad Niceam mon-
 nachis preerat, divinitus afflatus sepe predixerat. Cives Nicenses 46
 quandoque monuerat, mores vitamque mutarent, iustitiam colerent
 et pietatem; irata Gallis numina penitentia magna placarent, quando-
 quidem dira Longobardorum immineret eruptio, qui septem urbes
 eruerent; cum fidem et religionem eiiciant, periuriis, furtis et rapi-
 nis obnoxii homicidia pro nihilo ducant nullaque charitatis et mi-
 sericordie vestigia servent. Quare non mediocre futurum hinc pop- 47
 ularum exitium hariolabatur, quin et monachos emigrare iubebat haud-
 quaquam divine voluntatis ignarus. Hec vir ille manticinabatur, qui 48
 tanta vite austeritate utebatur, ut preter cilicium et lorica ferream
 pro interiore tunica nullum aliud noverit indumentum, pane dum-
 taxat et caryotis aquaque contentus quadragesimale ieiunium radi-
 cibus dumtaxat herbarum transigere solitus. Monachi viro gravis- 49
 simo auscultantes abiere eumque solum in cenobio deseruere. Vix
 provincie finibus excesserunt, cum hostes advolarunt, qui, cum uni-
 versa disquirent, desertum cenobium invenerunt. Hospitius cum 50
 e turri se ostendisset, eam conscendunt, hominem catenis obstric-
 tum cilicioque involutum inveniunt. E catenis noxium et facino- 51
 rosum rati, que homicidia latrociniave patravit, subinde sciscitantur,
 at ille omnium criminum reum se fatetur. Quare, cum in eum 52
 unus gladium destringeret, ut ultimo miserum supplicio afficeret,
 elata continuo dextra carnificis riguit obstupuitque, quam, cum ille
 revocare non posset, in signo salutis vir ille sanctissimus repente
 exoratus restituisse fertur. Longobardus restitutum sibi brachium 53
 admiratus orthodoxa statim Christi fide, deinde sacris initiari vo-
 luit in eoque cenobio ad extremum usque diem religiosissime vixit.
 Quicunque Hospitii verbis fidem adhibuere, sospites in patriam 54
 rediere, contra qui aspernati sunt, in ea expeditione crudeli fato obiere.

Gallias igitur Longobardi discursantes pagos et oppida que 55
 diripiunt, ferro et incendio cuncta vastant. Arnatum patricium
 Guntranni Francorum regis iussu cum validissimo exercitu occur-
 rentem proterunt. Ingens Burgundiorum cesa multitudo, abacta de- 56
 mum maxima preda. Ditati in Italiam sese recipiunt, paulo post Ita-
 liam iterum invadunt, sed non sine aliqua iactura rediere. Saxones, 57
 qui cum Longobardis in Italiam venerunt, eorum exemplo provo-
 cati in Gallias erupere. Sed coactam predam intercedente Mum-
 mulo patricio, qui Galliam tuebatur, relinquere coacti re infecta
 rediere. Non multo post, cum iniquo animo ferrent se in Italia ha- 58
 bitare non posse, nisi Longobardis vectigalia penderent, Sigiperti
 regis auxilio in pristinas sedes cum liberis et uxoribus, quas Suevi
 occuparent, relati sunt. Quas cum vi recipere cogerentur neque 59
 tertiam mediamve partem, quam Suevi sponie concesserant, reci-
 pere vellent, duplici tandem eademque ingenti clade affecti qui-
 evere. Hoc tempore post Tiberium Mauricius imperavit, qui per 60

prefectos rebellantes Armenios et Persas domuit. Ingens diluvium
 presertim in Liguria et Venetia, Kalendis Octobribus magna toni-
 trua accidere. Rome exuberans Tiberis inundatio ingensque fetor
 e serpentibus in ripas eiectis exortus est, unde magna pestis sub-
 secuta. Pre Nili inundatione varia animalium monstra apparuere
 masculini et feminini generis, que ad lumbos usque humanam ef-
 figiem referebant adiurataque per deum a prima diei hora usque
 ad nonam se videnda exhibuerunt. Exacto decem tyrannorum im-
 perio Longobardi Autharim Daphonis filium regem designant, qui
 et Flavius ex cognomento dictus, unde ceteri quoque reges Flavii
 cognominati. Hoc duce iniquis auspiciis urbem Romam obsident,
 cuius obsidionem assiduis imbribus tempestatibusque deterriti non
 sine magna hominum pecoromoque iactura solvere coacti sunt.
 Pestilentia subinde vehemens et perniciosa successit. Ea quoque
 tempestate Mauricius imperator Childepertum Francorum regem
 icto sibi federe adstringit et, cum quinquagies mille sestertium mi-
 sisset, ad inferendum Longobardis bellum impellit. Qui, cum in-
 numera Francorum multitudine Italiam invasisset, multis muneribus
 a Longobardis exoratus re infecta recessit. Mauricius a pre-
 potente rege aspernatus pecuniam frustra repetitam amisit. Autharis
 rex Brixellum, quo Drucluphus Sueva gente natus, qui a Longo-
 bardis ad imperatorem defecerat, confugisse dicitur, expugnat
 diruique. Drucluphus cum presidio suo Ravennam clam aufugit.
 Deinde Longobardis cum Smaragdo patricio, qui Ravennam cum
 presidio tuebatur, triennii fedus ictum intercessit. Mauricius capta
 Childeperti regis sorore iterum per legatos hortatur, uti cum Longo-
 bardis bellum gerat, quos si Italia exegerit, non modo sororem,
 sed cumulatissima premia pollicetur. Quod cum ille necessitate
 adactus faceret, comparato ex Alemanis Francisque exercitu Italiam
 iterum adoritur, sed orta inter Alemanos Francosque seditione di-
 missa expeditione turpiter in Galliam se recepit.

Longobardi prospero successu elati Tridentino duce mediocr_ 71
 quidem exercitu in Istriam contendunt, regionem omnem late po-
 pulantur, qua quidem pacata cum maxima preda rediere. In Ama-
 ricina insula Francionem magistrum equitum Narsetis partes plane
 sectatum, qui annos circiter viginti se ibi continuerat, pars eorum
 obsident. Qui post sextum mensem facta abeundi copia insulam 72
 dedit et cum impedimentis, uxore ac liberis Ravennam tuto na-
 vigavit. Autharis Flavius a Childeperto germanam in uxorem petiit, 73
 sed ille nulla promissi ac largitionis habita ratione, quam a Longo-
 bardorum legatis acceperat, intercedentibus Gothorum legatis, qui
 in Hispania regnabant ad catholicamque fidem se converterant, muta-
 tata sententia Hispano regi ultro spondit. Cum hanc affinitatem 74
 Mauricius imperator accepisset, Childeperto clam nunciat et hor-
 tatur, ut, quod antea non fecerat, nunc prestet, in Longobardos
 hostes arma sumat. Rex Francorum delectu habito tertium Italiam 75
 invadit, ut Longobardorum servitio liberet, qui, cum fortissime
 restitissent, ne parta perderent, magnam ac memorabilem Francis 76

conflictum intulere. At Flavius rex iam Gallica strage clarus ad Gari- 77
 baldum Bavarorum regem legatos mittit, qui eius filiam suo no-
 mine in uxorem postulent, cui Theudelinde nomen erat. E senten-
 tia mandata peragunt, coniuncta affinitate redeunt. Autharis paulo 78
 post cum quibusdam legatorum nomine ad videndam sponsam sub-
 ornatus proficiscitur regiamque speciem dissimulat, cumque sibi a
 sponsa propinari postularet, clam sponsi signum edidit, nam ab ea
 dimissus securi, quam arbori graviter infixerat, quis nam esset,
 evidenter ostendit. Garibaldus a Francis incursantibus infestatus 79
 filiam cum Gundolpho gnato in Italiam nuptui tradidit. Sponsus 80
 spectata virtute ac pulchritudine iuvenis paulo supra Veronam in
 Sardorum agro Theudelinde occurrit. Idibus Maiis magno cum appa-
 ratu parique letitia nuptias celebrant Longobardi. Eodem die tacta 81
 de celo arbor. Haud procul a rege Authari Agilulphus Taurinen-
 sium dux haruspicem iuvenem consuluit, qui sponsam, cuius prime
 turc nuptie celebrarentur, non multo post Agilulpho nuptui conces-
 suram esse respondit.

Quartum cum Longobardis bellum Mauricii rogatu Childeper- 82
 tus Francorum rex gerere cogitur; viginti secum prefectos legio-
 num ducit, forti animo Alpes superat. Sed rex ad Bilintionis me- 83
 nia letali sub pectore vulnere saucius occubuit, duces ultra pro-
 gressi haud procul a Mediolano castra ponunt. Legati imperatoris 84
 protinus occurrunt, valida auxilia propediem allaturos se pollicen-
 tur, quorum irrita promissa ad decimum usque diem cum expect-
 tassent, desperatis auxiliis ad levam Transpadandam regionem in-
 cursant, cuncta ferro incendioque miscent. Veronam usque po- 85
 pulantur, multa oppida in deditionem accipiunt, multo plura di-
 ripiunt et in agro presertim Tridentino seviunt. Magna peco- 86
 rum hominumque preda abacta est. Tres menses cedibus et ra-
 pinis late grassati; nil tamen Longobardis, qui Ticini se com-
 munerant, obesse potuere. Mox ingruente fama dysenteriaque ita 87
 laborarunt, ut vix sese in patriam reciperent. Sub hec tempora
 Autharim Flavium per mediam Italiam fecisse iter, preter Spo-
 letum transivisse, cepisse Beneventum et Samnites ac demum
 cum exercitu Rhegium usque penetrasse extremam Italie civi-
 tatem, columnam ad fretum Siculum statuisse eamque decla-
 rasse ferunt Longobardorum imperii fore terminum, quam nostra 88
 quoque tempestate Autharianam dicunt. Zottus Benevento a rege
 prefectus annis XX in Samnio regnavit. Autharis autem missis ad
 Gundrannum Francorum regem legatis virum quidem quietis et
 otii amatorem, qui de pace agerent, cum sex annis pulchre re-
 gnasset, Ticini veneno absumptus est. Longobardi Theudelinde eius 89
 uxori pre mansuetudine et comitate nimia potestatem fecere, quem
 virum optaret, eum sibi sumere licere eumque se pro rege habi-
 tuos pollicentur. At illa optato Agilulpho Taurinatum duce ad se 90
 venire iussum ex auspiciato, ut paulo supra dictum est, coniugavit.
 Mediolani celebrate nuptie, ubi omnium consensu Longobardorum
 rex ille declaratur. Cum habenas imperii Agilulphus, qui et Mago 91

dictus est, accepisset, Agnellum Tridentinum episcopum, ut captivos redimeret et de pace cum Gallorum rege ageret, misisse fertur eumque omnia e sententia peregisse aiunt. Eo tempore precedente maxima siccitate inaudita locustarum multitudo subsequuta, que absumptis biennio longe lateque segetibus gravissimam Italie famem reliquere. Cometes per mensem in celo visus. Minulphus insule sancti Iuliani dux, quia Francis se dederat, a rege cesus est. Gaidulphus Bergamensis dux, qui a rege defecerat, eidem reconciliatus non fuisse dicitur.

Hoc etiam tempore beatissimus Gregorius dialogum de vitis sanctorum Theudelinde regine dicavit, cuius gratiam ita promeruit, ut eius opera Agilulphum regem ceterosque Longobardos ad veram fidem redegerit, ecclesias depressas levarit, exactos episcopos restituerit. Romanus autem patricius et exarchus Ravenna Romam profectus inter redeundum civitates a Longobardis occupatas in pristinam dicionem redegit; ex his potiores fuere Sutrium, Polimarcium, Hortum, Tuder, Ameria et Perusia. Quod ubi Agilulpho nunciatum est, Ticino statim egressus tumultuario exercitu Perusiam contendit. Gravi urbem obsidione cum Marisione Longobardorum duce, qui ad Romanas partes defecerat, circumducit. Haud multis post diebus capta urbe Marisionem ad se deductum repentina defectorem morte intercepti, populata regione magna preda ditatus in Cisalpinam Galliam reversus est. Eius adventu cum Gregorii pontificis animus admodum consternatus esset, Theudelinde regine implorata ope patrocinioque perpetuum cum Agilulpho fedus inivit. Quod in divi Gregorii epistolis intueri licet, quibus de concessa pace ingentes regi regineque Longobardorum gratias agit. Iisdem quoque temporibus Bavari, cum in Sclavos irruissent, superveniente Chacano Avarum Unnorumve rege ad internecionem usque ceduntur. Et Childepertus Francorum rex una cum uxore veneno potionatus interiit. Eadem quoque tempestate Unni, qui et Avars dicti sunt, Pannonia egressi Turingiam invasere; gravissima cum Francis gessere bella. Burunnichildis regina cum Theudeperto et Theodorico nepotibus adhuc parvulis in Gallia imperabat. Data ingenti pecunia Unnos regno exegit ipsaque Gunthranno mortuo cum nepotibus regnavit. Tunc pacem cum Chacano Unnorum rege et Agilulpho factam tradunt. Defuncto Romano patricio et exarcho Gallicinus rite successit, qui cum Agilulpho paulo post pacem inivit. Agilulphus quoque cum Theodorico Francorum rege perpetuum fedus percussisse traditur. Maumettus pseudopropheta, qui leges Sarcacenis dedit, in Arabia nascitur. Zangulphum Veronensium, Gaidulphum Pergamensium duces quamvis bis data venia pertinacius rebellantes ultimo supplicio is affecit. In sequenti anno non modo maritimam sinus Adriaci regionem, sed paulo post Transpadanam pestilentia gravis incessit. Post hec horrenda signa subsequuta (haste celo sanguinolente et lux per totam noctem apparuit) hec portendere mala: Theodepertus rex Gallorum gravissimum Clotario patrueli conflictum intulit.

In sequenti anno Ariulphus dux Spoletanus, qui Faroaldo suc- 108
cessit, diem obiit. Et, cum ante mortem adversus Romanos apud
Camertes bellum gereret, victoriam adeptus mox suos milites per-
contatus est, quisnam ille fuerit, qui tam se strenue in prelio ges-
serit. Respondentibus illis fuisse principem, Prepollentio-rem fuisse, 109
inquit, ipse vidi, quippe qui semper me proprio adurgente hoste
clypeo protexit. Deinde Spoletum appropinquans spectata divi Sabini 110
basilica, ubi corpus eius reconditum est, interrogavit, cuiusnam illa
foret edes. Cum responderent Sabini esse templum, quem invocan- 111
tibus militibus presto semper adesse aiunt, equo repente desiliit,
edem ingressus visa Sabini imagine hunc mox eum virum, qui in-
ter confertos hostes pugnans se protexerat, adiecto iuramento fu-
isse affirmavit. Ex quo mox creditum est divum Sabinum pientis- 112
simum militum patronum Ariulpho adhuc Christiane religionis ex-
perti noluisse deesse. Ariulpho Tendelapius dux gnatusque successit.

Eodem quoque tempore divi Benedicti cenobium in Casino 113
monte situm a Longobardis immaniter spoliatum. Mortuo Zotto Bene- 114
ventanorum duce Agilulphi regis auctoritate Arichis filius subro-
gatur, ad quem divi quoque Gregorii extant epistole. His etiam 115
diebus Agilulphi filia una cum Godescalco Parmensi ab equitibus
Gallicini patricii capta Ravennam ducta est. Et Agilulphi fabri- 116
candarum navium artifices ad Chacanum Avarum Unnorumve du-
cem misit, quibus quandam in Gallia insulam expugnavit. Item 117
Theudelinda regina beati Ioannis basilicam ad XII. lapidem supra
Mediolanum in Moicia edificavit, prediis ac sacra supellectile pro-
fuse donavit, ubi quondam Theodoricus Gothorum rex, ut mollius
estivaret, amenissimam villam insano sumptu exedificatam habuit diu-
que Alpium vicinitate et aeris salubritate temperieque allectus fre-
quentavit. Ibidem Theudelinda superbum palatium erexit, ubi Longo- 118
bardorum habitum ritumque cernere erat, quibus mos erat a cer-
vice ad verticem usque radere, a fronte capillos discriminatos ad
os usque demittere, vestimenta ferre laxa fluitantiaque de linea Saxo-
num et Britannorum more, que limbo quoque colore vario exor-
nare solebant, item uti calceis ad pollicem usque fatiscantibus eos-
que ligularum multitudine obligare.

Paulo post Patavium nequiquam reluctantem presidio a Longo- 119
bardis defecit; Agilulphi iussu iniecto igni absumptum est. Equi-
tatus, qui auxilii gratia venerat, Ravennam redire permissus. Eo- 120
dem etiam tempore perpetuum cum Longobardis et Avaribus ictum
fedus missis quoque a Chacano Avarum rege in Gallias legatis, qui
earum regibus significarent, ut, veluti cum Avaribus, ita cum Longo-
bardis pacem fieri oportere iudicarent. Interea Longobardi cum 121
Avaribus et Sclavis Istriam ingressi igni ferroque omnia vastavere.
Agilulpho regi filius ex Theudelinda in Moicia nascitur Adoloal-
dus. In sequenti anno Longobardi Montis Silicis oppidum invasere. 122
Smaragdus, qui prius fuerat Ravennae patricius, ex urbe a Gallinico
repulsus est. Mauricius igitur cum annum unum et viginti cum 123
Theodosio, Tiberio et Constantino filiis imperasset, a Phoca tan-

dem interficitur, cuius virtute Unni devicti sunt, cum adhuc bellum Longobardis cum Romanis obsesset. Ob filie regis captivitatem Agilulphus Mediolano profectus Cremonam cum magnis Sclavorum auxiliis, que a Chacano rege Unnorum acceperat, obsedit, quam XII. Kalendas Septembres captam diruit. Mantuam quoque pari successu expugnavit Romano presidio munitam. Milites autem cum impedimentis Ravennam tutos incolumesque dimisit. Vulturina in dicionem accepta. Filia regis a Smaragdo patricio cum viro, liberis et fortunis reddita. Quare pax inter Romanos et Longobardos facta est. Sed, cum illa Ravenna profecta Parmam pervenisset, partus difficultate interiit. Hoc anno Theodepertus et Theodoricus Francorum reges adversus Clotarium patrum arma sumpsere, ubi multa utrinque hominum milia desiderata.

In sequenti anno Adoloaldus apud Longobardos rex a patre declaratur eodemque die Theodeperti Francorum regis filia novo Longobardorum regi desponsata pronunciat, quare perpetua cum Francis pax subsequuta. Bellum eodem tempore grave ac perniciosum Francis cum Saxonibus intercessit. Agilulphus cum Smaragdo patricio sepe accepta mercede redintegravit indutias, quo anno cometem quoque apparuisse tradunt. Consentiente Phoca et sedente Bonifatio pontifice maximo statutum fuit, ut ecclesia Romana ceterarum caput esset, quamvis id Constantinopolitana sepe sibi usurpare tentasset.

Eadem etiam tempestate Chacanus Unnorum rex, quos Avares appellavimus, habito maximo delectu per Illyricum Italiam ingressus Istriam et Forum Iulium incursat, oppida ac pagos diripit et incendit. Cui cum Gisulphus cum instructa Longobardorum acie, qui Foroiuliensibus preerat, occurrisset, ab innumera hostium multitudine circumventus occubuit. Ceteri desperatis rebus in finitima oppida se recipiunt, relictis castris oppidorum munitione se tuentur. Romilda Gisulphi ducis uxor cum his, qui e pugna supererant, in Forum Iulium se recepit; Chacanus belli successum secutus acri Forum Iulium obsidione coercet. Dum menia lustrat, qua potissimum parte expugnari queant, adhuc virenti etate formaque conspicuus, Romilda in visum continuo hostem exarsit. Clam per internuncium stulta mulier Chacani coniugium petit, quod si annuerit, civitatis deditionem pollicetur. Accepit rex condicionem, portas sibi pateficeri postulat. Quod cum illa fecisset, ingressus hostis preter pacta oppidanos passim cedit, populatur omnia, urbem inflamat; omnes, qui e cede superfuerant, captivos abducit. In finibus Pannonie se collocaturum pollicetur; sed in Pannoniam reversus abactos captivos etate grandiores ad unum omnes obruncat; puerorum ac mulierum ceterarumque rerum predam virum dividit. Prospecta Unnorum immanitate Gisulphi et Romilde filii conscensis equis se fuga peripiunt; Grimoaldus tantum puer ab insequentibus capitur. Qui cum ab Avare captivus duceretur, clarissimum facinus ausus ceso, qui preibat, hoste refugit adhibitisque fratribus precoci fortitudine se ab Avaram servitute vindicavit; mulieres ac pueri omnes Unnorum

gravi servitio pressi.

Romilda, que tanti mali causa fuerat, ut sibi promissa prestari 141
viderentur, una tantum nocte Chacani regis toro potita; deinde
XII Avaribus concessa, qui assiduo coitu indomitam eius libidi-
nem satiarent. In campo demum ad palum alligatam iaculis configi 142
confixamque ad necem palo prefigi imperavit. Dignum quidem
libidinosissima femina supplicium a barbaro excogitatum fuisse
censetur, quippe que, qualem meruit, est sortita maritum. Inaudita 143
mulieris audacia ex imperiosa libidine concepta, que satiando ap-
petitui, quam patrie suorumque saluti consulere maluit. Contra vero 144
eius filie haudquaquam matris intemperantiam secute sunt, sed con-
servande castitatis gratia, ne a barbaris procacibus contemeraren-
tur, pulcherrimum ac summa laude dignum facinus excogitarunt.
Pullorum carnes mammillis supponebant, que ex calore contabe- 145
scentes teterrimum odorem emitterent. Irruentes continuo p[ro]ci, cum 146
eas manibus tractare occepere, olidum fetorem abominati non modo
dimittere, sed execrari cogebantur, quando Longobardas omnes olen-
tissimas exclamabant. Cum virginitatem suam ita propugnassent, 147
divino quidem beneficio promerueri, ut honorificentissima connubia
sortirentur, nam altera Alanorum regi, Bavarorum altera nuptui tra-
dita fuisse dicitur.

Post Gisulphi mortem, quem Foroiuliensem ducem fuisse dixi- 148
mus, Taso et Caco filii successere, qui regionis dominatum pariter
obiere. Hec regio, que his subdita fuerat, a Sclavorum parte, que 149
Azellia dicitur, ad Meclariam usque protendebatur; quare ad Rachi-
s usque tempora Sclavi, qui Dalmatiam ac Istriam inundarant, Foroi-
ulianorum vectigales fuere. Hos igitur fratres cum Gregorius Ro- 150
manorum patricius Opitergium iussisset accersi, ut rasa ex more
barba filios adoptaret, urbem ingressos a collocatis insidiis capi ac
obtruncari precepit allatoque Tasonis capiti, ut promissa facino- 151
rosissime prestaret, barbam abrasit. Cesis his duobus Grasilphus
patruus dominatum occupavit. Quod Radualdus et Grimoaldus in-
ique ferentes conscensa navicula in Samnium traiecere, ad Arichim
Beneventanum suum quondam pedagogum pervenere, quo honori- 152
fice excepti filiorum loco habiti sunt. His quoque temporibus mor-
tuo Tassillone Bavarorum duce Garibaldus eius filius ad Aguntum
a Sclavis superatur. Qui insolenti victoria elati dum agrum late 153
discurrunt passimque predantur, resumptis Bavari animis pariter et
viribus eos repetunt, redintegrato prelio ac recuperata preda in fu-
gam vertunt palantesque e suis finibus eiiciunt.

Sclavi, ut in primo libro retulimus, e regionibus Transistrianiis 154
promanarunt atque Istriam et Dalmatiam occuparunt eamque a se
Sclavoniam dixerunt. Primas sedes trans Danubium non reliquere, 155
ex quibus Bohemi, Poloni, Hamaxobii sive Ruteni et Roxiani adhuc
permanent, item Bulgari, qui Mysias occuparunt, eandem linguam
retinent. Quin et Vandali eodem glossemate utuntur, qui sub Gen- 156
serico rege Hispaniam, deinde Africam occuparunt, quorum reli-
quias Vindelicos Saxonibus conterminos plerique tradidere. Ego au- 157

tem contra potius Vandalos a Vindelicis longe celebratoribus vetustioribusque populis denominatos iudicari. Agilulphus sepe cum Romanis et Francis indutias fecit. Eo tamen anno, quo Sclavi miserabiliter Istriam cesis presidiiis populati sunt, Theodepertus rex Francorum a fratribus cesus est. Atque Clotarius, ut solus regnaret, Theodoricum patrem interfecit. Et paucis post mensibus Agilulphus, cum annos quinque ac viginti regnasset, extremum diem obiit. Adoloaldus cum Theudelinda matre in regno successit. Paulo ante Phocas ab Heraclio patricio cesus erat. Regnans cum filio Theudelinda decem annos inter Longobardos ac Italos pacem servavit, multas instauravit ecclesias barbarico bello collapsas ingentique eas donativo exornavit. Sed, cum filius ad insaniam declinasset, regno confestim eiicitur et in locum eius Arioldus subrogatur, qui, cum XII annis imperasset, mox extinctus est, Rotheriusque creatus, qui, quamvis iustitiae cultor esse videretur, Arriana tamen labe contabuit. Duos in quaque civitate episcopos ob Arrianam heresim passus est. A Romanis demum per Aionem Arichis Beneventani ducis filium insanie pharmaco potionatus a pristina sapientia plane defecit.

Sed ad Heraclium redeamus, cuius preclarum facinus, quod in Danubii ponte patrarat, ne sine magno quidem scelere preterire possem. Hic enim post initum imperium anno quinto gravissimo Persarum bello vexatur, quippe quorum rex Cosdroas Palestinam insanis copiis ingressus cuncta ferro ignique vastat, Hierosolymam capit, ubi nonaginta hominum milia immaniter trucidata. Crux nostri salvatoris aufertur, in captivitatem patriarcha redigitur. Expugnatur mox Damascus. Sepulcrum domini nostri, nescio, qua remoratus religione, subire non ausus neque sanctissimum id sacellum pollui aut dirui passus est. Exorari ab Heraclio nullis unquam precibus potuit, ut acceptis quibusvis vectigalibus quotannis sacram urbem relinqueret, crucem redderet et patriarcham. Sed paulo post Alexandriam expugnat totamque Egyptum et capta Carthagine Libyam in dicionem redegit.

Heraclius desperata pace Constantinum sibi filium subrogavit, quem Sergio patriarche et Bonoso patricio commendavit. Ipse relicta Constantinopoli et comparato ingenti exercitu per Syriam in Persas iter fecit. Beatissime virginis iconem secum tulit mortali nequaquam manu factam. Gazotem venit, ubi Cosdroas esse solebat, qui, cum hostem adventasse novisset, in Persidem aufugiens subadustisque segetibus, ut pabulo commeatuque careret exercitus, in Persidem se recepit. Duos Heraclio cum magnis exercitibus duces obiecit, quorum alteri Sambace, Sabaro alteri nomen erat, quos traiecto Euphrate Romane copie fortiter expugnarunt. Persam Gigantee proceritatis imperator lancea in ponte transfodit. Saiim tertio sibi occurrentem singulari certamine dive virginis numine adiutus exuperavit. Irruente mox grandine ex hostibus multi cecidere, Romana acies illesa permansit. Cosdroas postremo Razatem prefectum collectis undique copiis opposuit. Qui pari fato cum ingenti multitu-

dine amissis XVII militaribus signis victus occubuit. Nondum insolentissimus Cosdroas animo consternatur, quippe qui divinos sibi honores instituerat, pro deo passim coli et regem regum et dominantium dominum a gentibus appellari ex edicto mandaverat. Turrim sibi argenteam dicarat illucescentibus lapillis exornatam. Item Solem Lunamque cum stellarum varietate confixerat construxeratque thronum et demissos hinc imbres et tonitrua fulminaque mentiebatur.

Ad postremum coactis undique copiis innumerisque gentium auxilii filius Heraclio ad Danubium occurrit. Cum hinc Perse, hinc Romani constitissent multaue antehac calamitosa utrinque prelia intercessissent, imperatores ambo supra pontem Danubii, quem Traianus victis olim Dacis exererat, singulari certamine depugnare decernunt, ut utriusque reipublice saluti hac dumtaxat condicione consulere, victori, quicumque foret, ex composito omnes ultro cederent et imperata facerent. Cum in pontem imperator uterque descendisset, nuncupatis utrinque votis conserto duello Heraclius tandem nostri salvatoris numine adiutus barbarum interfecit. Opima Iesu Feretrio spolia retulit. Perse omnes parta victoria ultro parere et orthodoxa fide initiati sunt. Ad hec Syrochius Cosdroam patrem fratremque Medarsem Heraclio se proditurum pollicetur, si regnum Persarum sibi delegaret. Oblatam condicionem accepit Heraclius, dummodo pons ad Tigrim annem erectus Romano presidio servaretur. Deinde, cum in Persidem contendisset, Cosdroam in throno sedentem cum filio interfecit, Syrochium regno prefecit pontique Romanum presidium imposuit, crucem salvatoris abacta gaza regia Hierosolymam retulit.

Sed illud dictu perquam admirabile nequaquam pretermittendum. Cum porte urbis, que ad montem spectat Oliveti, imperator paludatus equo phalerato invectus crucem dextera ferens singulari pompa appropinquasset, repente corruentibus utrinque lapidibus obstruitur. Multitudo insolenti miraculo percussa extantem in celo crucem et angelum porte desidentem suspicit hec verba referentem: Quando rex celorum ad redimendum genus humanum hanc portam ingrediebatur, Heracli, non paludatus, non equo insidens purpurato, non coronatus, sed humilis aselli tergo invectus intravit, ut suis cultoribus humilitatis relinqueret exemplum. Ad hec ne minori quidem stupore quam letitia imperator affectus depositis triumphalibus ornamentis nudis pedibus linea veste subcinctus profuso lacrimarum profluvio sumpta cruce cum universo exercitu progreditur. Obstructa iam dudum porta et cedentibus extemplo lapidibus patefacta imperatorem crucem elata manu ferentem admisit. Sequabatur et innumera multitudo, que alternatim modulato cantu concinebat: O crux splendidior astris. Deinde ibi, unde erepta fuerat, reconditur. Quin etiam odoratissima e Perside aura in Palestinam usque provinciam eam, ut aiunt, subsecuta est. Sed ad Longobardos revocetur oratio.

Defuncto sub Heraclio Arichi Beneventano duce Aio filius do-

minatum suscepit, cui Radualdum Grimoaldumque fratres minores
 natu ultro paruisse ferunt. Cum vix hic annum et sex menses quiete
 dominaretur, ecce Sclavorum classis haud procul a Siponto Italiam
 adoritur, pagos et oppida populatur, Aionem temere prodeuntem
 obtruncat. Quod cum fratres cognovissent, cum tumultuario exer-
 citu extemplo subveniunt, sternunt Sclavos, abactam ad litora pre-
 dam recuperant, ceteros, qui superfuerant, fundunt fugantque. Eodem
 fere tempore Rotharius Longobardorum rex, quicquid a Lunensi portu
 ad ulteriorem usque Galliam interiacet, in dicionem suam recepit,
 Opitergium, quod Taurisium et Forum Iulium interiacet, diruit.

Imperante quoque Heraclio Maumettus, quem aliqui Arabem,
 Persam plerique fuisse volunt, nobili patre natus deos gentium ad-
 orante, matre vero Hebrea atque Hysmahelita, cum acri foret ingenio
 et Christianorum consuetudinem non abominaretur, pestifera sua
 lege magnum animarum paravit exitium. Se magnum eterni dei
 prophetam dixit, multos Asie atque Africe populos in perniciosam
 opinionem asseruit, quos falsa religione infectos Saracenos a Sara
 legitima Abrae uxore appellari iussit veluti legitimos divine pro-
 missionis successores. Hunc quidam Germanus scriptor, qui sancte
 terre itinerarium rite conscripsit et ex perlecto Alcorano multa re-
 tulit, Sarracene cuiusdam, dum per Arabiam iter faceret, amore
 correptum fuisse tradit, a qua cum efflagitatum coitum impetrare
 non potuisset, mox asellam, qua invectus erat, ex indomito libidi-
 nis ardore compressit.

Mortuo Radualdo Beneventano duce Grimoaldus germanus rite
 successit Samnitibusque annis quinque ac XX imperavit vir domi
 forisque prestans, quippe qui Grecorum classem ad Garganum mon-
 tem ea tempestate descendentem, ut celestis archangeli templum
 ingenti donativo ditissimum popularetur, ultima strage confecit.

Rotharius rex Longobardorum leges, quas mente dumtaxat antea
 servarant, in codices redegit edictaque regia nominavit, vita Con-
 stante imperante excessit. Radoaldus filius mox regnum inivit; Gundi-
 pergam Agilulphi et Theudelinde filiam uxorem duxit. Hec op-
 time parentis exemplo divi Ioannis Baptiste basilicam Ticini magni-
 ifico sumptu fundavit vectigalibusque fundis ample donavit; adulterii
 apud virum falso postulatur. Carellus eius servus a rege implorat,
 ut sue domine delatorem ad singulare certamen sibi provocare li-
 ceret, ut veritas ex hoc periculo regine pudicitiam evidentissime
 tueretur. Data dimicandi copia delator populo spectante succubuit.
 Quare regina omni crimine liberata in pristinam restituitur digni-
 tatem. Radoaldus rex, ut plerique tradidere, quinto sui regni anno
 in adulterio deprehensus interficitur. Aripertus Gundoaldi filius,
 qui Theudelinde frater fuit, rex creatur, salvatoris edem ad occi-
 dentalem portam exedificat, annis VIII regnat; regnum Bertarito
 et Godeperto filiis delegatum. Diviso regno Bertaritus Mediolani,
 Ticini Godepertus imperandi sibi sedem optarat. Suborta dissensionem
 Godepertus ad Grimoaldum Beneventanum ducem regno
 quoque virtute ac sapientia non indignum legatum mittit, ut quam

primum adversus fratrem sibi opem ferat ; pro referenda gratia germanam pollicetur. Contra legatus preter mandata regis eum ad occupandum Longobardorum regnum hortatur, quod fratres reguli facta seditione ad interitum redigere conantur, comparatis e vestigio copiis properare nitatur. Grimoaldus accepta legatione omnes ad occupandum Longobardorum imperium ingenii vires intendit. Filium sibi in Samnio sufficit, ipse delecta manu Ticinum contendit. Qui nuptiarum causa a Godeperto in regia exceptus intentis a legato insidiis Godepertum interficit, occupat regnum. Quod ubi Bertarito fratri nunciatum est, qui Mediolano diviso regno imperabat, dicto citius in Pannoniam fugam arripuit ad Chacanumque Avarum regem sane pervenit, Rodelindam uxorem et Cuniperthum filium reliquit, quos Beneventum Grimoaldus relegavit. Sed legatus huiusce mali auctor, qui Garipaldus dictus est, Taurinacium dux non diu fraude ista frui potuit. Nam in templo a Godeperti famulo cesus est, qui dum sui domini fatum ulciscitur, mortem subire minime formidavit.

In Beneventanorum deinde ducum manus Longobardorum recidit imperium, quamvis ex eadem gente foret. Confirmato nanque regno Ticini Grimoaldus promissam sibi Godeperti sororem uxorem duxit. Samnitium exercitum, cuius ope regnum adeptus erat, amplissime donatum dimisit ; quos dimittere noluit, milites feracibus prediis profuse donavit. Sed, postquam Bertaritum ad Chacanum Unnorum regem transfugisse novit, ad eum continuo legatos mittit, quibus significat, ut aut Bertaritum inimicum regno eiiciat aut fractum inter Unnos et Longobardos antiquum fedus credat. Quare Bertaritus ab Unnorum rege extemplo dimissus est. Qui, quando quo tutius fugeret, non habebat et Grimoaldum clementissimum esse noverat, si ad inimicum fugeret, se faciliorem apud benignum inimicum veniam inventurum esse reputavit ; proinde hac spe in Italiam redit. Cum ad Laudem Pompeii venisset, Unulphum familiarem suum ad Grimoaldum Ticinum premisit, qui eius nunciaret adventum ac pro explorata Grimoaldi benignitate Bertaritum profugum ad ipsum quam ad barbaros confugere maluisse diceret. Grimoaldus audito nuncio commiseratione percitus clementer admisit atque nondum suspicione correptus honorifice tractavit. Sed, cum hunc a tota urbe affectatius frequentari novisset, veneno statim e medio tollendum esse censuit. Sed astu fretus sub contumeliosi servi persona obductas insidias Bertaritus evasit ad Gallosque superatis Alpiis transfugit. Cum rex eum Unulphi et servi a manu arte evasisse cognovisset, utriusque fidem quam maxime laudavit, assumptos in cubiculariorum numerum eandem sibi fidem persolvendam exoravit. Bertaritus in Longobardos Narbonensem Galliam concitavit ; Galli superatis Alpiis, cum in Astensem agrum descendissent, pulchro strategemate elusi sunt. Grimoaldus enim simulata fuga metuque ingenti castra Gallis integra relinquit. Irruentes Galli, cum Longobardorum castra invasissent ac vini ceterorumque commeatum copiam invenissent, fortuna elati lautissime licentissimeque cenarunt. Intempesta nocte vino somnoque gravatos

Grimoaldus ex insperato aggreditur ac tanta cede per castra grassatur, ut e Gallis pauci in patriam redirent. Locus pugne haud procul ab Asta urbe adhuc Francorum rivus appellatur ab anno salutis sexagesimo secundo supra sexcentisimum.

Constans imperator, cum Longobardorum servitio suos Italos ulterius premi tolerare non posset, Athenas primo descendit, deinde comparata ingenti classe Tarentum navigavit. Quacun- que iter fecerat, omnes Longobardorum urbes expugnavit. Luceriam opulentam Apulie civitatem diruit. Mox Beneventanum agrum ingressus late omnia miscet et populatur, urbem subinde acerrima obsidione circumducit. Romoaldus dux Beneventanus Grimoaldi regis Longobardorum filius Sesualdum alumnum confestim ad patrem mittit, qui gravissimam oppugnationem nunciet et auxilium imploret. Mandata diligenter peragit alumnus, Grimoaldum cum magno exercitu properare iubet. Cum ad vigesimum a Benevento lapidem pervenisset, Sesualdus a rege preire iubetur, ut clam urbem ingressus filio patris auxilium presto significet affuturum. Capitur a Grecis internuncius, qui, cum itineris sui causam et rem omnem retegere cogeretur, rite omnia enarravit. Constans validissimas hostium copias reformidans de solvenda obsidione cogitabat. Quod ut honestius faceret ac Neapolim se reciperet, Gisam Romoaldi sororem loco obsidis sibi dari postulat; data obside fedus percussit. Sesualdus ad muros urbis ducitur ab imperatore edoctus, ut Romoaldo patris adventum nequaquam expectandum esse diceret. Contra ille productus exclamat. Bono, inquit, animo esto, Romoalde, quandoquidem pater presto aderit, proinde nil tibi cum hoste sub turpi condicione paciscendum. Me autem, quia sola mors manet, pro explorata fide liberos cum uxore commendatos habeto. Adhuc plura subiicienti imperatorio iussu caput continuo abscisum est balistaeque impositum in urbem iacitur. Quod ubi ad Romoaldum delatum est, et multis lacrimis et crepitantibus oculis excipitur atque honorificentissimo demum sepulcro reconditur.

Imperator cognito Grimoaldi regis adventu soluta obsidione Neapolim proficiscitur; in itinere ad Calorem fluvium a Mitala Campano comite haud mediocri strage afficitur. Saburus, cum XX milia hominum ab imperatore, cum Neapoli moram traheret, impetrasset, pollicitus se cum hoc tantum exercitu Longobardos expugnaturum haud procul a Benevento a Romoaldo ad internecionem usque superatur. Cum omnem in Longobardos operam Constans imperator elusisset, ad crudelitatem suorumque rapinas animum convertit. Cum Romam venisset et Vitallianus pontifex maximus cum universo collegio sacerdotum ad sextum usque lapidem officii gratia occurrisset, XII tantum in urbe dies fuit; eam ornamentis omnibus et aeneis quam maxime spoliavit. Pantheon tegulis aeneis, quibus tectum erat, exiit Constantinopolimque transtulit. Repetita Neapoli Rhegium contendit. Cum in Siciliam traiecisset, Syracusis moram longam traxit ac nil aliud egit, nisi quod Siciliam, Calabriam, Africam Sardiniamque pari sevitia spoliavit, quin et ma-

ritis sepe uxores abstulit, parentibus filios eripuit, aurea argenteaque simulacra et pretiosa e templis vasa subtraxit, sacrilegia, cedes, rapinas et latrocinia ferro frequentius exercuit. Syracusis demum in thermis cesus est a suis. Post imperatoris interitum Mezentius imperium usurpavit; qui, cum imperare pergeret, adventante classe Grecorum a Constantino Constantis filio una cum ceteris coniuratis, qui imperatorem interfecerant, cesus est. Cum hec Saraceni audivissent, qui paulo ante Alexandriam Egyptumque incursarant, magna cum classe Siciliam invadunt, Syracusas ingressi patrata maxima strage omnia diripiunt et ea potissimum, que Constans Roma abstulerat; mox abacta ingenti preda Alexandriam repetunt. Eo tempore Ticinum seva pestilentia uno anno destitutum. Ignis maximo omnium terrore dies decem in celo emicuit; incubuere mox imbres usque adeo sevi et ita horrenda frequentiaque fulmina, ut homines iuxta ac pecora de celo tacta caderent. Quare eo anno tanta leguminum copia successit, ut legi omnino nequiverint; que autem neglecta fuerant, ultro renata ad maturitatem pervenere.

Grimoaldus, cum omnes Beneventanorum finitimos populos in dicionem suam redegisset, pacato Samnio, Campania et Apulia Ticinum rediit; Thrasimudo Campano comiti ob operam sibi bene navatam adversus Constantem filiam spondit; eiecto Tatone Potationem Spoletum prefecit. Postquam Ticinum reversus est, Lupo, cui regni gubernationem abiens delegerat, ob malam insolentemque administrationem valde succensuit, quare ille mali conscius a rege defecit. Grimoaldus, ne inter Longobardos civile bellum suscicaret, ad Chacanam Unnorum regem scribit, ut e Pannonia in Lupum Foro-Julianorum ducem castra moveat, gravissimo virum bello castiget. Chacanus coacta ingenti Avarum multitudine mandata peragit, invadit maximo impetu Foro-Julianos, cuncta incursans diripit vastatque. Lupus instructa occurrit acie, tribus diebus continuata victoria hostes insequitur, quarto superveniente Unnorum multitudine obrutus inter confertissimos hostes cum sua legione occubuit. Ceteri fusi fugatique in proxima sese oppida recipiunt, ager universus in hostium potestate desertus maxima ex parte diripitur et inflammatur. Cum a vastatione Avars haudquaquam desisterent, Grimoaldi litteris admonentur, uti a bello se iam abstinerent, quando sat penarum Lupus expenderat; quin et hinc decedere iubet, quod ni continuo fecerint, acerrimum a Longobardis bellum interminatur. Mittuntur Ticinum a Chacano legati, quibus hec mandata fuerant Unnos agrum Foro-Julianum nunquam relicturos, quando, quecumque bello parta fuerant, stultissimum foret pro nihilo pendere; que autem iure belli compararant, se armis asserturos. Grimoaldus, cum bellum se propediem indicturum minaretur, coram legatis, quando bellum instaret, se Longobardorum exercitum recensurum esse simulavit. In transvectione, cum pace forent copie, eadem sepe agmina repetebantur, ut maximus videretur exercitus. Hoc legati commento a bello deterriti insanas Longobardorum vires Chacano re-

ferunt, quo una percussus et elusus vastata regione in Pannoniam
 preda et rapinis onustus rediit. Anafritus Lupi filius Carnuntum ad 252
 Sclavos plane confugit ratus eorum auxiliis invito etiam Grimoaldo
 Foroiulianorum dominatum recuperaturum. Sed longe aliter, ac spe- 253
 rarat, evenit; agrum ingressus, ad Nemas oppidum continuo fuga-
 tus ac cesus est. Vetarius Vicentia oriundus Foroiulianorum dux 254
 creatur vir bello et pace clarus, qui parva manu irruentes etiam
 Sclavos graviter afflixit.

Grimoaldus in bello Grecorum omnes de ipso male meritos 255
 cumulate ultus est; ne Forum quidem Populi Romanorum oppidum
 impune dimisit, nam incautam die paschalis sabati civitatem ad-
 ortus omnes ad interitum usque cecidit, urbem universam diruit, que
 nostra vix tempestate resurgere potuit. Opitergium, ubi Tason et 256
 Cacon fratres cesi fuerunt, funditus ita delevit, ut vix hodie vesti-
 gia pauca reperiantur. Aleco Bulgarorum dux a Grimoaldo sedes 257
 sibi dari postulavit, qui Beneventum ab eo ad Romoaldum filium
 missus Sepiano, Oviano et Isernia ac plerisque desertis urbibus do-
 natus est. Et eam Bulgari Italie regionem incoluerunt, qui, quam 258
 vis Itala nunc lingua utantur, propriam tamen ne adhuc quidem
 omnino dimiserunt. Grimoaldus Longobardorum rex ob fractam ex 259
 arcus intentione venam, quam ut medici comprimerent, mala venena
 apposuerant, Beneventi diem clausit non minus consilio quam ro-
 bore prestans, vir ad obeunda pericula satis audax calvo capite et
 demissa barba. Corpus in divi Ambrosii basilicam Ticinum est relatum.

Garimbaldo filius regnum init, sed Bertaritus in ulteriorem 260
 Galliam relegatus repetita Italia Garimbaldo regnum abstulit et an-
 nis octo regnavit. Cum Cuniperto vero filio annis decem liberatori 261
 deo basilicam ad Ticini fluentia exedificavit. Rodelinda uxor dive
 genitrici in suburbano, quod Perticas appellant, nobilissimam edem
 erexit. Cum diu quiete regnasset, ecce Alahis Tridentinorum dux 262
 repentina defectione otium Longobardorum interceptit. Tridenti ob-
 sessus ac in regia castra facta eruptione fugatis hostibus obsidione
 se liberat. Cuniperti demum opera regi conciliatur et paulo post 263
 eiusdem precibus Brixianam prefecturam ab invito rege assequitur,
 quippe qui sepius abnuens exclamavit in Cuniperti filii perniciem
 id futurum. Vita defunctus ad servatoris edem ab Ariperto patre
 edificatam sepultus est.

Longobardorum tandem regnum cum ad Cuniperti manum 264
 redigeretur, Alahis beneficiorum immemor, cum Brixianorum dux
 esset, duos muneribus subornat, qui regem collocatis ita insidiis
 circumveniant, ut eius ad se caput referant; quod si fecerint, cu-
 mulatissimam gratiam pollicetur. Dimissi abeunt et contra mandata 265
 faciunt, Ticinum circumvagantem regem revocant, facinorosa man-
 data retegunt. Cunipertus coacto exercitu adversus Alahim virum 266
 ingrattissimum castra movet. Collocatis utrinque castris, cum in Co-
 ronate agro consedissent, de singulari certamine agi ceptum, quod
 Cunipertus nimis affectabat, detrectabat contra Alahis. Sollemni
 tandem monomachie statutus est dies. Seno diaconus basilice divi 267

Ioannis Baptiste a Gundiperga quondam regina edificate, dum Cuniperto regi vehementer timet, ei persuadet, ut, quando consimiles sunt, ipse pro rege subornetur in certamenque descendat. Quod ubi factum est, singularem pugnam ineunt diaconusque demum ab Alahi obruncatur. Victor, dum elata dextra cesi caput ostentat, ut regia victoria gloriatur, exuta galea clerici caput esse comperit. Delusum sese comperiens graviter excandescit et nuncupatis votis exclamat, si vere victoriae compotem dii fecerint, altissimum clericorum testibus puteum se completurum iactitat. Ad hec Cunipertus in medium prodiens se hosti glorioso statim offert promptaque audacia consternatos suorum animos levat. Instructa utrinque acie Alahim altissima voce provocat ad singulare certamen, ut Longobardorum saluti consuatur. Recusat Alahis, quia Michaellem archangelum supra pila hostium dstricto ense infestum sibi videre videbatur. Exclamantibus cunctis istum pre pavore hec cernere inter utranque aciem ecce pugna conseritur, rex cum rege, miles pariter cum milite congregitur. Strages magna committitur; demum Alahis Cuniperti regis dextra subcubuit. Qui ex Alahi superfuere, palantes et precipiti fuga correptos amnis Abdua plane corripuit. Alahi caput abscisum. Foroiuliani ante initum prelium neutram partem secuti abiere, ceteri magna cede confecti, pars tamen Cuniperti longe superior. Senonis diaconi corpus, quia pro regia fide ultro fatum obierat, magnifico sumptu pro Ioannis Baptiste basilica sepultum. Cunipertus victor Ticinum reversus de cesis hostibus honorifice triumphavit.

Dum in Gallia Cisalpina hec aguntur, Romoaldus dux Beneventanus Tarentum Brundisiumque et universam Salentinorum oram capit et annos ibi XVI dominatur. Post quem Grimoaldus, qui Vlindam Cuniperti sororem sibi coniugavit, tribus annis Samnites gubernavit. Huic Gisulphus frater plane successit, qui decem et septem dominatus annos ex Unniburgi uxore Romoaldum suscepit. Amphridus, cum Foroiulianum dominatum invito Cuniperto rege occupasset ab eoque defecisset, paulo post Verone deprehensus Cuniperti iussu oculis captus est. Hoc etiam tempore Ceoaldus Saxonum rex, qui in Britannia consederunt, post maxima bella, que in patria gesserat, ad orthodoxam fidem conversus Romam contendit; a Cuniperto pro dignitate exceptus honorificentissimeque dimissus. Cum ad Sergium pontificem pervenisset, sacro baptismate initiatus est et paulo post vita Rome excessit. Corpus in divi Petri basilica sepultum; fortune in divinum usum omnes ex testamento erogate. Cunipertum XII annos recte dominatum mox vitam obiisse, Luitperto gnato adhuc puero Longobardorum regnum delegasse Ansprandumque tutorem adhibuisse tradunt, quem vix octo mensibus regnasse ferunt. Ragimpertus Gundiperti filius superato Ansprando Longobardorum regnum invasit, quod vix anno uno retinere potuit. Sed Aripertus tunc eius filius reparato exercitu cum Luitperto rege apud Ticinum conflixit. Inclinatorum hostibus Luitpertum in pugna vivum cepit, Ansprandum in Recomacinam

insulam fugientem obsedit, Rotharitum Bergamum confugientem
 capta urbe in suam potestatem redegit rasaque barba in notam in-
 signis ignominie Taurinum relegavit, ubi paulo post obiit. Luit- 285
 pertus in balneo eius iussu paucis post mensibus suffocatur. Op-
 pidum insule, quo Ansprandus fugerat, pariter expugnatum. An-
 sprandus ad Teutpertum Bavarorum ducem per Retos confugit, ubi
 sex annis fuisse fertur. Sigiprandus vero eius filius ab Ariperto 286
 deinde captus oculis privatus est, ceteri vero eius cognati variis
 suppliciis affecti sunt. Alter Ansprandi filius minor natu in carce- 287
 rem coniectus, cuius tenellam adhuc etatem miseratus non solum
 omni sevitia carere voluit, verum etiam ad patrem veniendi pote-
 statem fecit. Qui cum ad regnum evasurus esset, divina eum num- 288
 mina indulgentissime tractari permisere. Quare Luitprandus liber-
 tate donatus in Bavariam continuo ad patrem proficiscitur, cuius
 adventus Ansprandum mirifice recreavit. Sed ne parem quidem 289
 fortunam Theoderada mater et Auroa soror sortite sunt, quando amba-
 bus in vincula coniectis abscisis auribus et naso, cum alterutra re-
 ginam se fore gloriaretur, dehonestata facies.

Post Adonis mortem, qui Foroivlianis pre fuerat, Ferdulphus e 290
 Liguria ortus prefecturam inivit, qui, dum Sclavorum victoriam affec-
 tat, maxima iactura provinciam affecit. Nam, dum temeraria Scla- 291
 vorum exercitum audacia circumvenire contendit, aspernatus loci
 iniquitatem una cum universis copiis ad interneconem cesus est.
 Cui cum Corbulus in magistratu successisset, quia regiam maie- 292
 statem leserat, exertis oculis miserrime vitam duxit. Sed Penno
 longe prestantior provincieque commodior fuit, qui delegatum sibi
 munus mox accepit. Hic omnes pupillos, quorum patres in bello 293
 Sclavonico occubuerant, sane coegit et una cum suis liberis pari
 charitate ac studio educavit. Eodem fere tempore Gisulphus Bene- 294
 ventanorum dux Soram, Hirpinum et pleraque Latii oppida oc-
 cupavit, incendio et rapinis cuncta turbavit, sed Ioannis Romani
 pontificis pia legatione muneribusque sedatus Beneventum se re- 295
 cepit. Idem eadem quoque tempestate Aripertum Longobardorum
 regem Scotias Alpes a Longobardis olim usurpatas, que apostolice
 sedis esse consueverant, sponte restituit maximoque pontifici resti- 296
 tutam donationem aureisque conscriptam litteris misit. In demortui
 Trasemundi locum, qui Spoletanus dux erat, Farnaldus filius sub- 297
 rogatur. Hec Iustiniano, Leone, Philippo Anastasioque imperanti-
 bus gesta sunt. Tunc Ansprandus iam exacto nono exilii anno, 297
 cum Teutpertum Bavarorum ducem ad Italicum bellum suscitasset,
 coactis magnis copiis Italiam invasit. Haud procul a Ticino cum 298
 Ariperto conflixit, quamvis pari fere spe ad vesperum usque pu-
 gnaretur, tamen, dum nox prelium dirimeret, iam Bavari terga ver-
 tere ceperant. Sed, cum Aripertus dimissis castris Ticinum rediis- 299
 set, hostibus animos addidit, contra suis ademit. Mox facti peni-
 tentia ductus, cum in ulteriorem Galliam fugere decrevisset, auro
 oneratus, dum Ticinum amnem transnare contendit, plane demer-
 gitur duodecimo regni anno defunctus. Cui mos erat dissimulare 300

personam, clam civitates et oppida sua lustrare, percontari, quales hi forent, qui iudicia gererent, quomodo populi regerentur, quis de se rumor et opinio foret. Humili semper veste supellectilique contentus erat, quin etiam legatorum nihil immutabat adventu. 301

Post Ariperti funus Ansprandus Longobardorum regnum assequitur vixque menses tris imperavit vir ingenti virtute ac sapientia preditus. Sed omnium mox Longobardorum consensu Luitprandus ad regni fastigium evectus est. Anastasius hoc tempore Philipppum in privatam vitam redigens Romanum imperium usurpavit. Theodosius ab exercitu imperare iussus Anastasium expulit. Et tunc Egidium sanctitate ac sapientia claruisse ferunt. Tiberis etiam tanta inundatio successit, ut superatis longe ripis arva traxerit, plures in urbe domos subverterit, a ponte Milvio ad valvas usque divi Petri basilice inundarit et in via lata ad XII. usque palmum excreverit. Theodosius a Leone imperio eiectus ac sacris initiatus privatam deinde vitam degit. Eodem fere tempore Mauri, qui occupatas decem annis Hispanias tenuerunt, cum Gallias invasissent, non sine magna suorum strage victi rediere. Sarraceni quoque tribus annis Constantinopolim in castris et in urbe vesaniente pestilentia obsederunt; re tandem infecta in Bulgarorum gentem, que Danubium accolebant, irruere et ab his reiecti, cum classem abeundi gratia concedissent, tantum ex tempestate naufragium perpessi sunt, ut pauci evaserint. Constantinopoli CCC hominum milia ex pestilentia periere. Cum Bulgaros invaserunt, duo et XXX Sarracenorum milia occubere, ceteri naufragio absumpti. 302 303 304 305 306 307

Regnante Italia Luitprando Longobardorum rege inter Gregorium pontificem Romanum et Leonem imperatorem orta discordia. Quare adversus pontificem Paulus exarchus in Italiam missus est, quo interfecto in demortui locum Euty chius suffectus est. In quo quidem bello divisa Italia Anthepharium Longobardorum ducem pontifici auxilia prebuisse constat. Quin et comete duo diebus XV in Italia visi, quorum alter exorientem precedebat, contra occidentem solem subsequebatur alter. Hec etiam tempora Pipinum Francorum regem principem clarissimum protulere, qui tante fortitudinis, ne dixerim, audacie fuisse traditur, ut traiecto Rheno cum uno satellite in hostem irruerit eumque in cubiculo cum suis residentem trucidarit multaque bella cum Saxonibus, maxime cum Rapotto Frisiorum rege prospere gesserit. Sed, ut ad Longobardorum res revocetur oratio, confirmato Luitprandus regno suorum insidias cognatorum equo animo pati coactus est, at prosper ex audacia successit exitus. Rotharius cognatus, cum ad convivium eum invitasset, ut inter epulas domi obruncaret, spe deinde frustratus detectis insidiis una cum filiis cesus est. Alpium preterea Scotiarum donationem Luitprandus rex pontifici Romano confirmavit filiamque Theodeperti Bavarorum regis, apud quem fuerat relegatus, duxit uxorem unamque tantum filiam ex ea suscepit. 308 309 310 311 312 313 314

Eadem tempestate Penno Foroiulianorum prefectus, cum bis terve gravem Sclavis conflictum intulisset, suorum ultus iniurias pa-

cem demum cum peregrina gente contraxit. Deinde, cum Sarraceni 316
 Sardiniam adorti diripissent ac templa passim direpta amolirentur,
 Luitprandus divi Augustini corpus, quod ibi esse noverat, magna
 mercede redemptum Ticinum cum singulari pompâ transtulit honori-
 ficentissimoque sepulcro donavit. Paulo post Ravennam obsedit 317
 Classemque oppidum continuo captum diruit. Paulus etiam patricius
 tunc Romam quosdam subornatos mittere voluit, qui Gregorium
 pontificem interficerent. Sed, cum Longobardi, Tusci Spoletanique 318
 adversarentur, Ravennatum concilium dissolutum est nihilque de-
 cerni potuit. Orta deinde inter pontificem et Longobardos longe 319
 maiore discordia Luitprandus Emilie oppida, ut puta Feronianum,
 Montebellium, Buxeta, Perticeta, item Bononiam, Pentapolim et
 Auxinium et paulo post Sutrium vi cepit, que post dies aliquot
 Romanis reddita sunt. Eodem quoque tempore Leo imperator, omnes 320
 divorum imagines cum deponi comburique iussisset iussaue
 detrectantes morte multasset, Germanum patriarcham intercedentem
 magistratu abdicavit Anastasiumque suffecit. Deinde frequens ad- 321
 versus Leonem Rome habita synodus episcoporum mille, quorum
 sacro consulto damnatus est imperator. Romoaldus dux Beneven- 322
 tanus Gunpergam Aurone sororis Luitprandi regis filiam uxorem
 sibi coniugavit, ex qua Gisulphum tulit, qua defuncta Ranigundam
 sumpsit Gaidualdi Brixiani ducis gnatam. Item inter Pennonem 323
 Foroiulianum ducem et Calistum patriarcham orta dissensione cap-
 tum patrem tyrannus ad castellum Pogium, quod mari prominet, in
 vincla coniecit immaniterque tractavit. Audito Luitprandus scelere 324
 valde succensus hominem munere abdicavit, Rachis in eius locum
 filius subrogatur, qui Pennonem patrem ad Sclavos transfugere
 volentem remoratus regi reconciliavit, sed paulo post regis edicto
 pater cum ceteris filiis in vincla coniectus. Rachis Foroiuliano- 325
 rum dux Carnorum regionem ingressus, quam Carniolam nunc di-
 cunt, a Sclavis olim occupatam rapinis et incendiis cuncta vastavit,
 patrata ingenti strage multos homines ac pecora abegit. Quin 326
 etiam his fere temporibus Carolus primi Pipini filius Francorum rex Pi-
 pinum filium ad Luitprandum misit, ut ex more gentis cesa coma
 in locum filii adoptaret, quem deinde Luitprandus honestissime
 donatum remisit ad Carolum. Item paulo post, cum Sarraceni Gal- 327
 lias iterum invasissent magnamque Narbonensis Gallie partem vastassent,
 haud procul a Narbona his Carolus Martellus occurrit ac magna
 hostium cesa manu ne ignobilem quidem victoriam retulit. Preterea,
 cum insequenti anno rediissent et Arelatum quoque oppidum 328
 captum amolirentur, Carolus sibi diffusus Luitprandi regis
 auxilium imploravit, cuius ope Sarracenos fudit fugavitque.

Post hec omnia Luitprandus bella, que adversus Romanos in- 329
 iverat, feliciter gessit preterquam id, quod ad Ariminum gestum est,
 ubi se absente cesus est exercitus, et quod ad vicum Pileum, cum
 rex Pentapoli moraretur, et quod in Ravennate denique agro, cum
 Ildebrandus regis nepos et Peredeo dux Vicentinus Ravennam oc-
 cupassent, ubi irruentibus undique Venetis Ildebrandus capitur et

interficitur Peredeo. In sequenti quoque tempore Romani superiore 330
 victoria elati Agathone duce Perusie prefecto ad occupandam Bo-
 noniam contenderunt, ubi Peredeo et Rotharius Bulgarorum prin-
 cipes castra habebant. Qui comperto Romanorum adventu, eos ag- 331
 gressi non sine magna strage fugarunt, cum Constantinus Leonis
 filius extincto patre imperium accepisset. Sub hec tempora Transe- 332
 mundus dux Spoletanus, cum a Luitprando Longobardorum rege
 post reconciliationem defecisset, ad Romanos confugit publicam
 fidem implorans, quem Stephanus dux Romanus una cum ponti-
 fice defendendum esse censuit. Rex ira succensus urbem Romam 333
 obsedit, deinde soluta obsidione Ameriam, Ortam, Palima, Marium
 Bloramque Romanis abstulit, Ildericum Spoletanis ducem subro-
 gavit, mox Beneventum petiit, uti post Romoaldi mortem Gisul-
 phum eius filium a Longobardis patri suffectum immaturum adhuc
 ducem magistratu abdicaret Ildebrandumque nepotem ei substitue-
 ret. Ticinum deinde reversus icto cum Romanis federe, cum in ad- 334
 versa valitudine de morte dubitaret, hunc nepotem regni consortem
 successoremque constituit.

Sed Romani paulo post pace ditati Transemundum in Bene- 335
 ventum restituere decrevere. Favit etiam ei Godestallus Beneventano-
 rum dux, qui post Gregorii mortem ducis tyrannidem invaserat.
 Item Stephanus patricius, cum se Godestalli copiis plane coniun- 336
 xisset, Marsos, Furconios, Valvenses Pinnensesque Spoletane di-
 cionis populos in Transemundi potestatem accepit. Transemundus 337
 posthec reliqua recuperavit, quamvis crimine ingratitude in Ro-
 manos carere non potuit. Cum Luitprandum cum maximo equitatu 338
 multisque cohortibus Romani propediem redituros intelligerent, a
 Transemundi societate licet ingrati deficere noluerunt. Iunctis una 339
 castris ad Fortune Fanum Longobardis occurrunt, in sylvis prelium
 extemplo conseritur, ubi, cum Rachisius Furoiulianus dux singu-
 lari certamine Longobardum quendam Spoletani ducis equitem in
 proximam ex equo paludem precipitem egisset, reliqui mox iniquis
 percussis auspiciis in fugam versi sunt. Stephanus Romam rediit; 340
 Luitprandus Spoletum obsedit, mox captis finitimorum oppidis ad
 urbem castra movere statuit. Sed interea Gregorii secundi pontifi- 341
 cis maximi mors intercessit, cui Zacharias Grecus plane succes-
 sit, qui, cum adversus Transemundum Luitprando auxilia missis-
 set, Romanos regi conciliavit et a Longobardis ablata ex compacto
 recepit. Transemundus desperatis rebus se ultro Luitprandi tradi- 342
 dit potestati dimissaque tyrannide ad sacerdotium se redegit.

Agrandus Luitprandi nepos Spoletanus post hunc dux creatus 343
 est, sed, cum Longobardorum rex, que restituere promiserat, longe
 differret, pontifex ad eum Narniam usque profectus est. Cui rex ad 344
 octavum usque miliarium prestandi officii grati tunc occurrit sedi-
 que apostolice non modo civitates quattuor ex federe sponte red-
 didit, sed Sabinum quoque patrimonium, quod annis circiter XXX
 Longobardi possederant. Item Narniam, in Picentibus Anconem, 345
 Chumam, Sutrinum denique agrum dono dedit. Ticinum reversus

in suburbio divi Petri basilicam multaque templa nobilissima edificavit, in regia salvatoris edem dicavit. Demum, cum annos XXX³⁴⁶ et sex menses apud Longobardos gloriose regnasset, vita excessit; corpus in Adriani basilica sepultum. Hunc multis virtutibus illustrem ferunt, quando vir summa prudentia, singulari pietate, item³⁴⁷ beneficentia fuisse fertur. Bavarorum oppida multa vi cepit, Francorum³⁴⁸ pacem et Avarum, quos Unnos quoque dicimus, amicitiam diligentissime servavit. Post Luitprandi mortem ne diu quidem³⁴⁹ Longobardorum duravit imperium, nam Rachis, qui successerat, Romanis infestus Zacharie pontificis suasu relicto regno monasticam vitam inivit. Astulphus frater, qui successerat, cum Romanos sibi³⁵⁰ stipendiarios facere contenderet, Stephanus pontifex in Galliam profectus Pipini Francorum regis auxilium imploravit, qui cum maximis Gallorum copiis Italiam ingressus fuso fugatque Longobardorum exercitu Astulphum regem ad Ticinum obsidet atque artissima obsidione ad faciendam deditionem compellit. Pontifici ultra³⁵¹ Ravenne amplissimum exarchatum Ariminum, Concham, Pisaurum, Fanum, Urbinum, Caes, Luceolos, Narniam et in Picentibus Esim et Senamgalliam et pleraque oppida dono dat Longobardis ablata.

Constantinus imperator omni scelere imbutus, cum in Christianos³⁵² in oriente longe lateque grassaretur sanctorumque imagines deponi abolerique ediceret, Stephanus pontifex Romanus profanum detestabilemque principem abominatus imperialem dignitatem titulosque omnis in Francorum reges de apostolica sede bene meritos transtulit. Pipinum cum posteritate Romanum regem declaravit, eam³⁵³ ceteris dignitatem interdixit. Per Bonifatium Maguntinum episcopum delegata auctoritate Pipinum sacro ex more oleo perunxit atque senatus populique Romani nomine patricium consulemque pronunciavit. In sequenti anno Astulphus de celo tactus occidit,³⁵⁴ cum annis duobus et XXX regnasset, in cuius locum Desiderius Longobardorum rex ultimus suffectus est, qui vix annis decem et octo dominari potuit. Nam Carolus Pipini filius, qui non immerito³⁵⁵ gestarum rerum gloria et cognomento magnus dictus est, Adriani pontificis precibus accitus Italiamque, veluti pater fecerat, cum maximo exercitu ingressus expugnato Ticino profligatis passim Longobardis Desiderium regem cum uxore ac liberis captum in Galliam abduxit, quare a Romano pontifice ob rem optime gestam confirmata imperandi dignitate amplissimis titulis et honoribus donatus extincto Longobardorum nomine, qui ducentis et quattuor annis in Italia plane regnarunt, in patriam rediit.

LIBER IX.

Antequam Longobardorum in Italia a Carolo Magno deleteretur¹ imperium, duobus circiter et XXX annis Unni, qui posthac Ungari dicti sunt, Pannonias repetiisse dicuntur. Nam, si eorum annalibus² fortasse crediderimus, ab anno salutis quadregesimo quarto supra septingentesimum, a morte vero Atile trecentesimo primo Constan-

tino Leonis filio imperatore et Zacharia pontifice maximo rediere. Ceteri vero scriptores maiori ex parte, quas semel occuparunt, Pannonias nunquam deseruisse tradunt. Quod in superiore libro ex Longobardorum bello facile conici potest, quibuscum Unni, qui et Avars dicti sunt, longum sepe fedus Cachano rege iecerunt sepeque exacto federe magna bella gessere. Avars, cum sedes sepe mutassent, non tam a rege quam ab inconstantia, ut mea fert opinio, sumpsere nomen et vetustissimi Scythie fuere populi magna cum Unnis cognatione coniuncti et pro Unnis habiti. Sed, cum Vindelicos occupassent, Bavari, ut plerique sentiunt, a Bois et Avaribus appellati; nonnulli, ut supra disseruimus, Boioarios eos dixere. Quare destitutas ab Unnis Pannonias annos circiter CCC aliorum adstipulatione haud facile reputarim. Neque tantum virium duobus et triginta annis in aliena terra sibi comparassent, ut gravissimum Caroli bellum facile sustinerent neque sedes vacuas invenire potuissent nimia ubertate et benignitate celi non modo a finitimis, verum etiam a remotissimis gentibus expetitas. Neque eorum infitiantur annales exinanitas in reditu repperisse sedes, quippe quas ex parte Sarmatas, quos Polonos dicimus, tenuisse testantur Suathemque Polonum Morothi filium, ut infra referetur, ad Danubium invenisse late dominantem.

Unni igitur et maiorum hortatu et eorum, qui remanserant, litteris memoriaque perciti e reconditis ac asperis Scythie sedibus iterum emigrare constituunt et cognatos sibi populos repetere plane decernunt. Emigrationis stato die turmatim prodeunt, liberos, uxores, pecora et universas denique facultates abducunt. Superato Tanai per Roxolanos, Sarmatas, Hamaxobios et Tauroscythas iter faciunt. Per diversas gentes agmina ducebantur; cum innumera multitudo simul iter facere non posset, in itinere manus iniuriis abstinebat easque propulsare potius, quam provocare videbatur. Sepe, dum aequatum et lignatum viri peterent, ab incolis regionum aliquid inferebatur incommodi, quod dissimulatione potius quam ferro, ne quo forte bello retinerentur, ulciscerentur. Tanto Pannoniarum desiderio trahebantur, ut legitimam curandis sepe corporibus quietem denegarent. Iam in Basternarum et Chumorum gentem sane pervenerant et in Bessos et Albanos late diffundebantur, cum longo itinere defatigati de quiete cogitabant. Multi Syculos, qui extremam Dacie partem cum Atila occuparant et hucusque tenuerant, quam Transylvaniam nunc appellant, his in Roxolanos usque audito cognatorum adventu et Hamaxobios, quos nunc Ruthenos Rossiosve dicunt, occurrisse ferunt.

Cum sub Amadocis et Peucinis montibus longo itinere defatigati substitissent et de incolendis his locis forte decernerent, tanta e montibus aquilarum multitudo defluxit, ut non solum equos et pecora cetera unguibus rostrisque peterent, verum etiam epulas e mensis eriperent. Quo quidem augurio stativa movere suasi tres in superandis montibus menses forte contriverant divinaque numina secuti in Transylvaniam in Ungarie finibus positam penetrarunt.

Quod quamvis Basterne, Peucini, Albi Chumani Bessique inique tulissent, Ungarorum tamen impetum coercere nequiverunt. Cum in hac extrema Dacie parte constitissent, non preteribat eos avita regna recuperare non posse neque recuperata servare, ni more maiorum cuncta vi armisque agerent, finitimorum impetus assiduo bello coercerent. Quare omnes militie compotes in septem castra divisere, septem quoque preposuere duces, addidere prefectos legionum, centuriones et decanos, ut rite omnia gererentur. Exercitus quisque ex triginta milibus hominum et octingentis quinquaginta septem plane constabat. Nam in hac secunda Unnorum emigratione ex centum et octo tribubus CC et XVI hominum milia sorte educta sunt, ut liberos et uxores cum fortunis tutos haberent. Septem castra pro exercituum numero divisa vallo ac fossa altissima munivere. Quin et regio illa in hodiernum usque diem Septem Castra nominatur. Septem duces non solum pro se quisque castra diligentissime custodiebant, verum etiam certatim fines reiectis finitimis ampliare nitebantur.

Sed Arpadus Almi filius, ne minus quidem viribus et divitiis quam nobilitate ceteris prepoilere videbatur. Matrem Almi, cum gravis esset, aquilam per somnium in gremio reclinato capite iacentem vidisse memorant et mox ex utero eius fluvium erupisse eumque, quo longius per aliena loca flueret, eo maiora sibi augmenta fecisse. Ne mulier quidem est suo somno frustrata, quando ex hac gloriosa regum multitudo in aliena terra defluxit. Quare Almus hinc editus ab almo, quem Unni somnum dicunt, nomen accepit, cuius longissimam prosapiam referunt. Almus quidem ex Eleudo, Eleudus ex Vegeco, Vegecus ex Edo, Edus ex Chaba, Chabas ex Atila, Atila ex Bendecuco, Bendecucus ex Turda, Turda ex Scemene, Scemenes ex Etheo, Etheus ex Opo, Opus ex Cadica, Cadica ex Berendo, Berendus e Sulthano, Sulthanus ex Bulcho, Bulchus ex Bolugo, Bolugus ex Zambure, Zambur ex Lechele, Lechel e Leventa, Leventas ex Chulcha, Chulchas ex Ompude. Ompudes ex Misce, Misces ex Mica, Micas ex Bezture, Beztur ex Ruidlo, Ruidus ex Canado, Canadus ex Bucene, Bucenes ex Bondosardo, Bondosardus e Sarcante, Sarcans ex Othmare, Othmar ex Radare, Radar e Belere, Beler ex Cheare, Chear ex Ceve, Ceves ex Cheledo, Cheledus ex Dama, Damas ex Bora, Boras ex Hunore, Hunor ex Nembrotho, Nembrothus ex Chuse, Chus ex Cham, Cham ex Iapheth, Iapheth denique ex Noe natus est. Preterea Almus Arpadum genuit, ex quo Zolthan et ex Zolthane Toxus ortus est. Genealogiam hanc unde scriptores annalium Ungaricorum expiscati fuerint, nisi aut commenta ediderint aut a maioribus per etates ad posteriorum cognitionem ista pervenerint, nondum compertum habeo. Et illud admodum mirari videor, cum propriis isti scriptoribus caruerint, quibusnam monumentis in Noe genus, quod neque Greci neque Latini vere fictitarunt, referre possint. Priscarum fortasse more gentium parentes ista liberis per succedentia secula tradidere, quemadmodum de Longobardis supra retulimus.

Sed, ut ad historiam redeamus, Almus vir Ungarorum sane 34
clarissimus Pannoniam veluti promissionis terram intrare non po-
tuit; in Transylvania nanque cesus est. Quare aliquamdiu Ungari, 35
antequam Pannonias penetrarent, hic inter munita, que diximus,
castra una cum pecoribus ac liberis quievere; dum ne ingrata qui-
dem ibi otia traherent, Pannoniarum ubertas et Danubii ad aures
fama pervenerat. Ad explorandam igitur regionem tot votis optatam 36
habita contione Cusidum Chundi filium ingenio ac viribus iuxta
pollentem mittendum esse decernunt. Cusidus missus cum paucis 37
comitibus Carpatias imprimis Alpes superat, deinde, cum in spa-
tiantes Dacie campos descendisset, traiecto Tibisco per Metana-
stas iter faciens ad Danubium usque pervenit. Profusissimam regio- 38
nem, ubertatem soli, Danubii parentis commoda celique clementiam
admiratur neque temere maiores in Pannoniis ac Dacia constitisse
conspicatur. Suathem Sarmatam et Morothi filium in Pannonia late 39
regnantem adit, causam adventus et mandata singillatim exponit.
Cum a peregrina gente novas sedes postulari accepisset, ne me- 40
diocri quidem letitia Suathes afficitur, legatum hilari animo excipit
ratus nil sibi commodius accidere potuisse, quam regionem feracis-
simam exhaustamque incolis ab Ungaris, quam rusticam gentem
esse opinabatur, instantissime postulari. Quare se peregrinam multi- 41
tudinem lubenti animo recipit excepturum agrisque ac salutaribus
etiam sedibus amplissime donaturum, deinde legatum honorifice
donatum dimisit. Cusidus voti compos nigri soli glebam, item 42
herbas et ex aqua Danubii lagenam ad indicanda regionis com-
moda in Septem Castra retulit. Arpadus inspecta terra, herbis et 43
aqua advocata contione omnia e sententia evenisse profatur, ex
telluris et herbarum indicio regionis clementiam et ubertatem au-
spicatur. Mox cornu aquam infudit altaque voce, Mars pater, in- 44
quit, tuque, parens Hercules, quorum auspiciis maiorum exemplo,
almas tam procul Pannonias petivimus, perpetuas has nobis sedes
concedite. Vestram hic gentem sistite, erroribus nostris finem im- 45
ponite Danubiumque patrem nobis perpetuo conciliate. Ita denique
vestris numinibus nobis semper adeste, ne ab infestis finitimis
obruamur. Immo, quando vestris auspiciis ductuque militamus, eas 46
prestate vires, ut deorum et hominum propugnatores ubique gen-
tium predicemur.

Hec prefatus Marti ac Herculi progenitori Istrianam aquam ex 47
more libavit multasque victimas patriis diis per singula castra
mactari edixit; ter ab omnibus feliciter acclamatum. Post quattuor 48
dies frequens conventus inter Ungaros habetur, ubi omnium consensu
plane decernitur eundem virum ad Suathem remittendum, qui, ut
a Pannonie principe terram, herbam et aquam impetret, Ungaro-
rum nomine candidum equum ephippio frenoque aureo cultum ei
dono det in grati semper obsequii speciem. Legatus, cum ad Sua- 49
them rediisset equumque dono dedisset, rem usque adeo gratam
illi fecisse visus est, ut terre amplitudinem pro arbitrato suo im-
petrarit. Cum ad suos rediisset, rite omnia retulit a rege callide 50

impetrata et nimia quadam animi, ne dono superaretur, liberalitate concessa. Hi tunc audaciam concipiunt. Arpadus cum ceteris ducibus invadendas esse Pannonias censet veluti hereditario iure recuperandas. Refectis corporibus arma parant, ad prestitutum diem staliva movent. Cum montes Carpatios transcendissent Danubioque appropinquassent, legatum ad Suathem tertio mittendum censent, qui septem ducum nomine significaret, ut terra, quam equo venderat, extemplo decederet, quando Ungari Pannoniam tellurem equo, herbam freno et ephippio aquam mercati et is hec tria immodica cupiditate abalienarat. Ad hec ille subridens equum lignea clava collidendum esse refert, frenum in prata, ephippium in Danubii fluenta proiciendum. Contra Ungarorum nuncius, Quid, inquit, illis hinc mali facies, quippe, si equum cedere iusseris, nostris canibus escam obiectabis, si frenum in prata deiceris aureum, aliquem e nostris pabulum forte proficiscentem insperata inventionem ditabis, si autem in fluenta stramentum demiseris, piscatores forte beabis; nihil igitur ex hac re lucri facis. Proinde, si solum, herbam et aquam mercati sunt Ungari, omnia coemisse videntur.

Suathes his auditis in tristitiam repente conversus delectum habet, tumultuarias quoque copias pre timore nimio comparat, auxilia undique cogit. Comparato exercitu trans Danubium castra locat haud procul ab Ungaris, prodit in hostium quandoque conspectum et per levis armature milites pugnam aliquam auspicatur. Concepta tandem audacia cum Ungaris infestis signis plane congregitur. Facto statim asperrime gentis agmine inclinata acie terga vertit. Dum ad Danubium cum suis passim fugientibus sese recipit, instantibus hostibus, dum prepropera festinatione amnem retro natate contendit, cum maxima Sarmatarum manu sane demergitur. Ceteri in ulteriore Danubii ripa cesi sunt, perquam ab his pauci capti. Ut pacatiorem regionem haberent, his tantum ignovisse placitum est, quos lingue commercia conciliarunt. Nam multi Unni, qui post Atilam in Pannonia remansere, Suathis castra secuti fuerant nescientes eos sibi esse cognatos. Cum Scytharum mos esset, ut, quamvis plures in expeditione duces essent, unus tamen potissimus haberetur, qui in ducendo exercitu precedebat, contra in reducendo subsequeretur, Arpadus inter ceteros principatum obtinuit; profligatis incolis traiecto Danubio in monte, cui Noe nomen est, castra posuit haud procul ab Alba, quam divus Stephanus Ungarorum rex hercle sanctissimus et Arpadi genere natus haud immemor sue gentis, que ex auspiciato in hoc loco condecorat, edificavit.

Sed nequaquam ab re fortasse fuerit, si ducum nomina rite prosequemur, unde nobilissime plerique Ungarorum familie promanarunt. Zabolchus dux alter dictus est, unde Cacorum gens magna defluxit. Hic in Pannonie agro consedit, ubi Cacvaron fuit oppidum a Cacus edificatum. Varon enim lingua Ungarica oppidum significat. Id prius Zabolcho conditore nomen accepit, deinde Cacvarum appellatum, quod deinde Andree, Bele et Levente temporibus communi omnium Ungarorum consensu deletum est, Giulia tertius

dictus est, unde Giulam Ladislai filium nominatum fuisse ferunt. Hic in Transylvania, cum venatum proficisceretur sylvasque discurreret, Albam vetustissimam urbem multa Romanorum monumenta referentem succrescentibus undique vepribus et arbustis occupatam invenit. Antiquitatem veneratus adempto situ instaurare cepit, quam nunc Albam Iulam appellant non tam a Iulio, quam a Gyula Unnorum duce nominatam. Saroltha huic erat filia prestanti specie proceraque statura a π ultis sepe principibus postulata, quam Geysa dux Beliudi consilio et ope, qui Chulanum agrum late possederat, uxorem duxit. Chulas enim filiam Beliudo desponsavit, ut adversus Cheam fratrem arma moveret. Quod cum fecisset, soceri iussu post eius obitum legatum sibi Chulanum agrum vendicavit. Hinc tertius quidam Giula defluxit, qui, cum Ungaris infensus esset, divi Stephani viribus adactus in Pannonias emigravit. Quartum ducem Cundum dixerunt, cui duo fuere filii Cusidus et Cupan, qui, cum prope Nyrin amnem castra fixissent, ad orthodoxam ubi fidem pervenere, nobile cenobium erexerunt. Quintus Lehel vocatus est, qui eiectis Bulgaris Mysiam occupavit, qui cum Bohemis lingue commercio plane coniuncti sunt, ibique diutius habitasse fertur. Hinc Zuardorum familia promanavit. Sextus dux Verbulchus ad lacum Pannonie, quem Balatonem nunc appellant, castra locavit. Ursus vero septimus in Seyo agro constitit. Cetera vero Ungarorum genera pro arbitrato suo sibi sedes ultra citraque Danubium invenere et ab initio Dacie usque in Illyricum et a Noricis et Germanis usque in Gelas extremosque Mysios effusi patentissimas, quas diximus, regiones inundarunt. Preter ducum familias innumere quoque alie fuerunt pari nobilitate certantes. Postquam Ungari generatim per vicos oppidaque divisi sunt, ad subigendas imprimis provincialium hostium reliquias sese convertunt nec prius arma deponunt, quam Pannonias pacatas efficiunt. Cum Unnis et Avaribus, qui prius venerant, sese coniungunt, unam rempublicam statuunt, sub iisdem signis pro cogitationis iure commilitant, finitimorum iniurias communi fortuna propulsare et propagare Scytharum imperium omnino decernunt. Composita igitur republica et sedibus tributim a septemviris iam distributis ad propugnandam imprimis Ungariam Martialis ludicri aream ingenium intendunt. Ex eo deinde tempore magna provinciarum facta confusio, quibus pro mutatione rerum coercere et amplificare terminos sepe contingit. Quare Ungaria utraque Pannoniam Danubii ripas nequaquam olim excedentem, item lazyges Metanastas ac Daciam hac Scytharum redundantia late complectitur. Ineptissimos Ungarorum annales hic detestari licet, quippe qui bella multa memoratu digna, que cum Germanis et Gallis gesta sunt, profana quadam oblivione pretermisere. Nos autem hanc temporum iacturam ex Leoprando ceterisque scriptoribus, quantum in nobis situm est, resarcire conabimur.

Dum occupatis universis fere Pannoniis Ungari in novis sedibus se componunt, regionem pacant irruentiumque finitimorum impetum tanquam ab hostibus undique circumventi coercere nitun-

tur, Carolus magnus ex cognomento appellatus non modo rex Francorum, sed Romanus imperator deinde creatus gravissimum in Italia bellum Romani pontificis gratia adversus Longobardos ea tempestate gerebat. Nam, quamvis variis semper expeditionibus distraheretur, omnes tamen mira prosperitate transegit. Non solum inauditam animi magnitudinem summamque sapientiam in divo imperatore recognoscere licebat, sed religionem divina et humana illi patrocinia suggerentem cum ineffabili sanctitate coniunctam in tanto principe quisque poterat intueri. Adversus Vanfredum Aquitanie ducem, qui a regia fide defecerat, adhuc adolescens a Pipino patre missus Barbonium Clarumque Montem et multa vi oppida expugnavit. Felicitas ita pugnavit, ut Aquitaniam, in qua pater estatibus octo belligerarat, Francorum dicioni stipendiariam fecerit.

Mortuo Carlomanno fratre, cum Bertha eius uxor pre nimia, qua in Hildegardam Caroli coniugem ferebatur, invidia Andoarii consilio una cum liberis ad Desiderium in Italiam plane profugeret, ut Longobardorum viribus ab Adriano pontifice maximo filii sui reges Gallie approbarentur, maximum inter Francos et Longobardos diu concepta simultas bellum excitavit. Desiderius pontificem ratus in Gallorum invidiam nunquam Carlomanni filios reges approbaturum belli necessitate eum adigendum esse decernit. Quare coacto exercitu in Ravennates castra movit, Faventiam, Ferrariam, Comadam vi cepit. Pontifici ablata repetenti legatis sepe respondit se de pace nihil nisi cum pontifice presente acturum. Archiepiscopus tresque tribuni Ravennam pro viribus tuebantur, subsidium quotidie a pontifice postulabant. Interea Montem Feretrum, Urbinum, Senegalliam, Eugubium Longobardi cepere, quin per varia loca late discurrunt, Umbriam passim populantur et Spoletum usque perveniunt. Legatos pontificios iterum re infecta dimittunt, urbis Rome obsidionem interminantur. Adrianus urbem munire non desinit, mox tris ad Desiderium episcopos mittit, qui Desiderio, si Romanorum fines hostili manu ingrediatur, sub anathemate ignem et aquam interdican. Quod ubi factum est, pudore quodam rex confusus Ticinum se recepit, ad quem mox Caroli legati venire hortantes, ut oppida, que pontifici rapuerat, ultro redderet; sed re infecta ad Carolum redire. Succensus ira admodum imperator magnis viribus in Italiam contendit. Desiderius coactis undique auxiliis Francos aditu prohibere conatur. Partem copiarum Carolus per montem Iovis iter facere iubet, ipse per montem Cinisium ingredi statuit. Hostis Italiam a Francis adiri nunquam posse sperabat partim propter ea presidia, que aditibus singulis imposuerat, partim propter avia loca et hostibus fere inaccessibleia, que quidem duo Desiderium sane frustrata sunt. At, ubi Carolum cum magnis exercitibus Italiam penetrasse cognovit, dimissis auxiliis se Ticini communivit. Adalgisium filium et Bertham Carlomanni uxorem cum liberis Veronam misit. Carolus, cum in Transpadanam regionem descendisset, Desiderii causa Ticinum mox obsidet universumque agrum populatur. Quod ubi Spoletani et Reatini cognovere, extemplo divo Petro ponti-

ficieque dicioni sese dedunt in Petrique basilica barbam capillosque deponunt. Ildebrandum Longobardorum nobilissimum Adrianus⁹⁷ Spoletanum ducem declaravit, cuius potestas Furconenses nunc Aquilanos, Valvenses, Pinnenses, Marsos, Precutinos, Reatinos Interamnensesque complectebatur. Omnibus quoque Longobardis Romam transmigrare volentibus vicus in Vaticano pontificis auctoritate datus. Parem quoque pontifici ea tempestate deditionem fecere⁹⁸ ex Picentibus Firmani, Auximates, Anconitani, qui in Petri basilica barba crinibusque detonsis fidelis obsequii iuramento, ut Spoletani fecerant, adacti sunt. Carolus Bernardum patruelem cum magna¹⁰⁰ parte copiarum in Ticini obsidione dimisit, ipse cum uxore ac liberis, quos e Galliis evocarat, Veronam proficiscitur, urbem sine cunctatione in potestatem suam redigit, quando Bertha cum liberis Carolo statim se dedidere. Adalgisius Desiderii filius ad Constantinum imperatorem aufugit. Omnes Transpadane urbes facta sponte deditione in Caroli dicionem pervenere.¹⁰¹

Cum ad Pasche sollempnia Romam cum uxore liberisque venisset, pontificis pedes perreverenter deosculatus cum eo ac universo collegio sacerdotum basilicas et cuncta templa lustravit, perpetuum cum Romana ecclesia fedus icit. Donationem a Pipino patre factam ultro confirmavit, in qua Liguria cum Corsica insula continetur. Surrianum adiecit montemque Berthecum, que loca inter Lucam et Parmam sita sunt, item Parmam et Regium, Mantuam et Montem Silicis ac universum denique Ravennatem exarchatum, preterea Venetiam et Istriam, que Foroiuliensis ducatus erat, post Spoletanum Beneventanumque ducatum adiunxit. Ticinum reversus Desiderium in deditionem accepit eumque Leodium relegavit. Papie ac Mediolano Francos prefecit, qui Longobardos ad Alpes usque diffusos bene regerent pacatosque servarent. Necnon et Beneventanis Foroiulianisque Longobardis e Francorum gente viros preposuit; Bertham cum liberis secum in Gallias reduxit. Festinavit eius reditum Saxonum dira rebellio, quos sepe domitis vix annis tribus et XXX ad imperium et orthodoxam fidem redigere potuit. Item ad Lippiam amnem Heresburgium erexit ac, ne quid novi moliri possent, validissimum presidium imposuit.¹⁰²

Interea Saraceni, qui Aquitanie fines incolebant, ut a suo rege deficerent, auxilium a Carolo postulabant. Quod ubi is accepit, habito ingenti delectu cum maximis adversus Hispaniam copiis contendit, obsedit continuo Pampilonem urbem amplissimam eamque diu obsessam et tandem vi captam funditus evertit. Dehinc superatis Pyreneis montibus pervenit Cesaraugustam, quorum ingressu ita trium regum, qui Saracenis preerant, animi sunt consternati, ut suis viribus plane diffisi Carolum muneribus exorandum esse censerint. Ibulas, Denises et Alarius Saracenorum tunc reges erant. Bellum hac condicione diremptum, ut Hispania citerior et Vasconia Carolo dimitteretur, ipsi in ulteriore Hispania imperarent. Ecce iterum rebellant Saxones gens bello aspera et a divino cultu nimis aliena, quod bellum decennio quidem et vario eventu gestum. Per-¹⁰³
¹⁰⁴
¹⁰⁵
¹⁰⁶
¹⁰⁷
¹⁰⁸
¹⁰⁹
¹¹⁰
¹¹¹
¹¹²
¹¹³

domiti tandem sunt Saxones et Brittones, qui Gallie oram accolebant, in Caroli dicionem concessere. Aragisius dux Beneventanus, dum Campanie urbes Constantinopolitano subditas imperatori et deinde pontifici sibi vindicare studet, Caroli iussu ab incepto destitit. Qui cum paulo post Salerni diem novissimum obiisset, mox filii cum finitimis Grecis bellum ineunt. Nam adhuc Constantinus imperator et Leo, quecunque a Neapoli et Siponto, quam nunc Manfredoniam dicimus, inter Superum Inferumque mare continebantur, sub dicione sua una cum Sicilia retinebant, quin et Neapolis adhuc Grecis fidem inviolatam plane servabat.

Hac quoque tempestate Constantinus, quamvis paulo ante paratam in eos magnam classem per naufragium amiserat, in Bulgarios tamen bellum redintegrat, qui occupatas Danubii ripas in inferiore Mysia obstinatius invitis imperatoribus retinebant. Bulgari postulata pace, quam ob imperatoris morbum facile impetrarunt, destinatum bellum dirimunt, sed intellecta Constantini feritate animique malitia, qui non humanitatis gratia, sed morbi necessitate pacem dederat, bellum instaurant. Constantinus egritudine nondum gravatus cum multis cohortibus et ingenti equitatu Bulgaros per Thraciam temere vagantes adoritur, incautos magna strage profligat. Cesis fugatisque barbaris triumphans Constantinopolim ingreditur. Diro deinde elephantie morbo increbrescente correptus obiit eum quidem sortitus interitum, qui facinoribus suis non fuit iniquus. Huic Leo quartus hereditario iure successit legataque nature iure a patre vitia, si per vitam licuisset, longe spectatiora reddidisset. Ad coercendas Saracenorum incursiones in Syriam profectus turpissime rediit. Sacram coronam in sancte Sophie sacrario reconditam publice ferre lapillorum amore non erubuit.

Dum apud Carolum et Constantinum quintum ac sextum hec ita geruntur, Ungari regnum non modo pacaverant, sed cum finitimis plerisque bella nequaquam contemnenda gerebant. Multos iure societatis inite sibi conciliare, nonnullos cedibus et rapinis lacesere, a potentioribus pacem quandoque mercari, per sociorum amicos iter facere, latius longiusque populari, omnes vicinos pro viribus exterrere, hos vi, officio illos, ne circumstantium populorum bello obruerentur, assiduo remorari, omnia demum agere, ut occupatas vi sedes vi quoque retinerent. Sed nil eis inauspicatius accidere potuit, quam Caroli Magni temporibus, qui cum gloriosissima quaque vetustate conferri poterat, sui regni auspicia captasse. O quanto facilius et fundare imperium et fundatum propagare potuissent, si in ea tempora non incidissent. Arduum nanque erat ac perquam difficile tunc aliquod regnum fundari posse, cum is, cui divinitus erat ampla data potestas, latissime dominabatur.

Circa Ungarici regni principia preter ea, que de Chacano Unnorum rege diximus, gravissimum inter Ungaros et Francos bellum exoritur, quod sensim et gradatim a Bavaris sumpsit initium. Nam Saxonibus Brittonibusque domitis cum exercitu Carolus Italiam repetiit. Cum Beneventanum ducem cum Adriano pontifice ne

satis quidem bene se gerere intellexisset, revisa Roma Capuam contendit positisque castris Beneventanis bellum interminatur, nisi quamprimum deditionem facerent. Quod cum Aragisius dux accepisset, imperatoris sevitiā reformidans Rimoaldum et Grimoldum gnatos obsidum loco obviam mittit. Concessa Carolus venia acceptisque obsidibus et pacata Italia in Gallias revertitur. Bavaricum deinde suscitatur bellum, quod, veluti repente ortum est, ita celeri expeditione confectum. Id enim ex Tassillonis Bavarorum ducis insolentia simul et socordia ortum est, quippe qui, dum stulte credit uxori, temere quoque dominatum amisit. Huic Desiderii Longobardorum olim regis filia uxor erat, que usque adeo die noctuque virum vexasse fertur, donec eum impulit, ab imperatore deficeret, ut patris exilium per maritum hoc bello ulcisceretur. Quod eo facilius fieri posse speravit, si gentem Ungaricam bello acerrimam Bavarisque finitimam, in societatem ascisceret. Sed, cum facile sit uxorio imponere viro, ad Ungarorum duces legatos Tassillo repente mittit, quibus eos hortatur et orat, ut pro utriusque partis commodo societatem secum transigant, admonens Bavaros et Ungaros inter duos imperatores sevissimosque tyrannos esse positos eosque nil impensius curare, quam sub eorum imperium gentem utranque redigere; id ipsum Bulgaris Constantinopolitano tyranno proximis accidisse, qui quotidiano bello vexantur; Saxones, Brittones et Vascones Aquitanosque Carolo finitimos idem esse perpressos; Pipini filium totius orbis imperium anhelare; utriusque partis esse propriam libertatem salutemque tueri et Ungarorum quam maxime, qui alienas nuperrime sedes usurparunt. Proinde eos orare, ut cum Bavaris una perpetuum fedus ineant, apud quos optimam semper vicinie societatem invenere; alios iniuriis et incursionibus Scythas effecisse, Bavaros peregrine profugeque gentis commiseratione ductos semper cum Ungaris amice vixisse; quin et aliquod cognationis vinculum sibi cum eis intercessisse, quando Bavari ab Avaribus Unnorum cognatis, unde Ungari orti sunt, progenitores suos habuisse ingenue profitentur. Cum hec legati rite narrassent, universe gentis conventus habetur, ubi principes fere omnes hec una censebant finitimorum societatem et amicitiam non solum non esse contemnendam, sed, cum in alieno solo peregrini sint, ultro appetendam et precipue Bavarorum, quibuscum semper amice quieteque vixerunt; quin et aliorum quoque venandas esse societates, ut alienas, quas sedes armis occuparint, officio potius quam iniuriis et bello retineant. Factum est igitur decretum, ut cum Bavaris fidelissimum perpetuumque fedus ineatur, quod in sequenti die rite est cum Bavaris initum. Dimissi honorifice oratores ictum fedus referunt, quod utrisque haudquaquam feliciter evenit. Bavari post hec non modo Caroli imperata detrectant, sed bello regem provocare nituntur.

Intellecta horum temeritate Carolus amplissimum delectum habet, auxilia undique corrogat. Ipse rei indignitate commotus cum maxime parte equitatus ac duabus legionibus ad Lechum amnem

properat, qui ab Alemanis Bavaros dirimit. In ripa fluminis ca-
 stra locat et, dum cetera hic prestolatur auxilia, Tassillonis ducis
 animum per legatos statuit experiri. Qui ubi ducem inconsultum
 adiere amicisque verbis defectionem eius et inconstantiam corripu-
 ere, in respicientiam revocavere hominem. At ille facti penitentia
 ductus, cum neque sibi neque genti sue bene consuluisse reputa-
 ret, si qua in Carolum pertinacia uteretur, mutato repente consilio
 supplex sese imperatori dedit, se obsides, quicunque iuberentur,
 ultro daturum et imperata facturum pollicetur. Theodon inter cete-
 ros obsides filius datus est, quin et iureiurando perpetui obsequii
 confirmata fides. Quare bello, quod maximum hercle futurum vide-
 batur, hic datus est exitus. Tassillo ad Carolum evocatus, cum
 nulla missione donaretur, Bavaria amplius uti non potuit, cui suos
 deinde comites imperator ipse prefecit. Alii alio modo id gestum
 esse referunt. Carolum aiunt intercedente Adriano pontifice cum
 Tassillone a principio pacem fecisse eiusque servande gratia obs-
 ides promississe, sed ab eo accersitum neque accedere neque pro-
 missos ex compacto obsides dare voluisse; quare Carolum ma-
 ximo cum exercitu venisse Augustam primariam Vindelicorum ur-
 bem; diviso in partes tris exercitu eum cum una parte copiarum
 in loco, cui Lothfredo nomen est, locasse castra, alteram partem,
 que ex Austrasiis, Turingis Saxonibusque constabat, ad Saringam
 Danubio adiacentem constitisse; Pipinum filium cum Italicis copi-
 is ad Tridentum et Banzanum consedissee. Ast, ubi Tassillo se
 ab imminentibus tribus undique exercitibus circumventum conspi-
 catur, deditioem, ne maiora mala subiret, continuo fecit. Datis
 cum Theodone filio obsidibus Carolum adiit, a quo aliquamdiu re-
 moratus desperata tyrannide, cum apud Francos ludibrio intellige-
 ret haberi, monasticam cum filio religionem sponte subivit.

Ea quoque tempestate, cum Constantinus sextus Carolum Bavarico bello implicitum intelligeret, omnes, quos adhuc in Italia sub-
 ditione sua Grecos retinebat, Spoletani Beneventanique ducatus
 fines hostili manu invadere iubet, rapinas quoque pecorum homi-
 numque iuxta agere, ferro ac incendio cuncta vastare. Qui, dum
 imperata faciunt, ab Aterno amne, quem nunc Piscariam dicimus,
 ad Beneventum usque omnia populantur. Verum, cum his Ildebrandus Spoletanus Grimoaldusque Beneventanus dux tumultuario
 mox exercitu occurrissent, tali Grecos strage effecerunt, ut longo
 post tempore ultro quieverint.

Cum res Caroli bene succederent, secundum Bavaricum tumultum bellum Sclavis indictum, quos Galli Viulzos, ipsi vero se We-
 latabos appellant. In qua quidem expeditione magna a Saxonibus
 auxilia sub veri pretextu obsequii missa sunt. Causa belli fuerat,
 quod Obodritos Francorum socios calamitosis incursionibus infesta-
 rant neque minis neque precibus neque Caroli denique imperio
 coerceri poterant, quominus eos armis sepe lacerarent. Sinus qui-
 dam ab Oceano in orientem forte porrigitur incomperte quidem
 longitudinis, latitudinis vero longe diverse; hunc innumeri populi

accolunt. Dani et Sueones, quos Normannos vocamus, alii vero 161
Rusios, septentrionale latus et omnes eius insulas possident, australe
vero Sclavi et Aisti diverseque nationes, ex quibus vel precipui
erant Ivieletabi. Quibus quidem Sclavis Danubium accolentibus in- 162
dictum tunc a Carolo bellum una tantum estate confectum est,
omnium vero maximum preter Saxonicum.

Huic bello successit Ungaricum diutinum quidem et horribile, 163
quod octo annos durasse ferunt. Gens enim Scythica et Unnorum
presertim, qui semper in patriis alienisque sedibus longe lateque
dominari consueverant, iugi impatiens et bello indomita haudqua-
quam facile perdomari poterat. Quare bellum, quanto formidolo- 164
sius, tanto animosius atque apparatus a Carolo initum est. Pan-
nonicam is expeditionem, utpote que maximi foret momenti, per
se suscepit, ceteras per Pipinum filium variosque legatos in Un-
garia gessit et, antequam provincia pacaretur, multum sanguinis
utrinque diffusum. Quot prelia in eo conserta, quot et quante clades 165
utrinque patrate sint, exinanita adhuc Pannonia plane testatur. Quin 166
et locus, ubi Kagan rex sibi regiam habere solebat, ne minima
quidem adhuc vestigia servat. Hinc tota Ungarorum nobilitas con- 167
cidit, hinc vires omnes exhauste et exinanitum erarium tot popu-
lorum spoliis, tot hostium exuviis, tot gentium rapinis ante refer-
tum. Franci, qui quondam exiguis facultatibus fuerant, hinc ita di- 168
tati rediere, ut Gallias opibus late compleverint, quod rerum vicis-
situdine facile passa, quando, que aliis eripuerant, amisere Ungari.
Tantum auri et argenti in eorum regia repertum, tam pretiosa in 169
preliis erepta spolia, ut ne plus quidem predatum e Macedonico
bello Paulum Emilium retulisse putent. Sed tamen gens Ungarica 170
tanta strage et rapinis affecta nullo unquam bello deleri vel Pan-
noniis eiici extirparique potuit. Quin et subcisa frequentius ita tem- 171
pestate nostra repullulavit, ut non modo parta tueri sed ab Adri-
atico ad Sarmaticum et a Vindelicis ad Euxinum usque mare im-
perante divo Mathia Corvino propagarit imperium.

Ungari igitur, cum Carolum corrogatis e toto occidente auxiliis 172
in se irruere cognovissent, pusillanimitatem ac stultitiam Tassillonis
egre tulissent, quod ipsis insciis hosti pre timore se dedidisset,
fortunas et uxores cum liberis imbellemque omnem etatem in Da-
nubii insulas rede gere easque vallo castellisque inpositis ubique
presidiis munivere; nec urbes sibi erant, quibus tutius sese tueri
possent. Quod ubi factum est, coacto ingenti exercitu ad tutandos 173
superioris Pannonie fines Francis obviam occurrere. Carolus intellecto 174
Ungarorum apparatu in Danubio apud Vindelicos classem com-
parat, cui multas cohortes cum com meatibus imponit, ceterasque
copias eum equitum turmis se terra subsequi iubet. Classem 175
secundo amne dimittit; non modo Danubii alveum, sed ripas utras-
que Francorum exercitum latius inundasse cernere erat. Cum nihil 176
inconsultis inexoratisque numinibus rex ageret, cum hostium fines
caputque Pannonie superioris attigisset, quando cum profana gente
et Christiani nominis inimica sibi res erat, sollempnia triduo sacra

in frequentissima militum contione operatur. Piis precibus Iesum 177
 Christum optimum maximum et unicum humani servatorem generis
 omnes invocare ex edicto iubet. Cuncta sacris rite paractis numina 178
 sibi equissima et propitia reddit et divi pre ceteris Martini numen
 exorat, ut sibi suisque Gallis, apud quos et vivere dignatus est et
 vita defunctus quiescere ac pro mirabilibus meritis pientissime coli,
 preterea Pannoniis, unde ortus est, semper adesse velit neve natale
 solum patiatur semper bellorum esse aream barbararumque gen-
 tium ludibrium vel, si quo peregrinam nationem fato ibi patiatur,
 cum tot populorum incursionibus ac bellis sit exhausta, incolas,
 quicumque fuerint, ope laboreque Gallorum, qui eius numini sunt
 addicti, in orthodoxam fidem asseri iubeat.

Sacris rite peractis captatisque auspiciis in sequenti die castra 179
 pariter cum classe movet ac hostibus appropinquat. Qui, ubi omnia 180
 hostili manu late completa prospectant, desertis stationibus, quas
 in finibus disposuerant, cum se Gallis impares fore intelligerent,
 retro se suosque lintres intra Rabam fluvium recipiunt apud veteres
 quondam Arabonem nominatum laurinumque preterfluentem, qui
 superiorem ab inferiori Pannonia dividebat. Cum Carolus eos terga 181
 vertisse sensisset, cum expedito insequitur equitatu, palantes mul-
 tos intercepti, pagos et oppida destituta succendit. Hi in oppositam 182
 partem insulam se recipiunt, ut liberos, uxores et fortunas tueantur,
 partim ad Arabonem, ubi nunc laurinum est, et munitis ibi castris
 se tueri posse confidunt. Nam, cum inter Arabonem et Danubium 183
 ad confluenta castra locassent, a duobus se lateribus utroque amne
 tuebantur, a ceteris partibus altissima fossa valloque se muniver-
 rant. Irruentem Ungari hostem forti animo prestolantur. Carolus 184
 cum equitatu et quinque legionibus Arabonem facto ponte traicit,
 multi sine ponte superant, ubi vado transiri poterat; a latere clas-
 sem per Danubium circumducit, mox pugne signa dari iubet. Ca- 185
 stra a Francis obducta acerrime oppugnantur, nam primo eminus
 pugnare hi, vallo, iaculis et sagittis prohibere Ungaros, contra illi
 telis a fossa reicere, pars materiam congerere, ut fossam com-
 pleant, nonnulli viribus eam superare sub valloque instantius et
 comminus dimicare. Complendas esse fossas rex exclamat, illi pro 186
 vallo et portis audacius obstare, classem ripe admotam repellere
 obstinatius. Sed, cum certatim triremis queque ripe appellere nite- 187
 relur, miserabilis inter Ungaros orta confusio; cui potissimum oc-
 currerent, nesciebant. In ripa res comminus agitur et ita conferta 188
 quandoque pugna conseritur, ut vix agendis gladiis locus esset.
 Cedes non parva utrinque committitur, nonnulli timore mortis in 189
 profluentem se proiciunt, aliqui honestius humi inter confertos
 hostes cadere cupiunt. Cum a ripa validius Ungaris pugnare li- 190
 ceret, e classe multos interfecere. Ab Arabone pre alvei altitudine
 gravius infestari non poterant. Sed, ubi a Gallis fossa undique 191
 completa est, tam perniciose sub valle pugna conseritur, ut multi
 utrinque caderent. Pipinus, dum castrorum portis facto agmine gra- 192
 viter insultat multisque cesis penetrare contendit, nimio telorum

iactu equo excussus a stipante veteranorum multitudine adiuvatur, quod ubi prospexere hostes, adauciis animis eum mortuum esse rati castris erumpere audebant. Sed, cum pretoriana legio occurrisset, a vallo quam campo certare tutius esse censuerunt. Praelium in vesperum usque protractum, vallum in locis plerisque fractum, castra, nisi obstinatissime restitissent, eo profecto die fuissent capta. Nam ex Ungaris plures quam Gallis cecidere, obruti nanque hostium telis esse videbantur. Carolus, ut suis parceret, cum eo die satis actum esset, receptui canere iubet. Dirempta pugna curant utri-
que corpora, sed Ungari in statione quisque sua cibum capiunt, quam nemini in tanto periculo deserere licebat. Galli partim fessa quiete membra recreant, partim, ne quid ab hostibus detrimenti inferatur, excubias ubique disponunt.

At illi intempesta nocte clam advocata contione, inter se quid postero die sit agendum, ex necessitate decernunt. Res Ungaricas ad extrema redactas non ignorant, quando castra tueri posse diffidunt et, quonam pacto se salvos reddant, ab hostibus undique circumventi haudquaquam facile prospiciunt. In hanc sententiam concessere omnes, ut facta in medio noctis silentio eruptione fuga salutem querant sperantes se locorum notitia facile evasuros. Hostes eruptione turbatos sibi timentes nequaquam consecuturos, proximis quoque montes sibi non defuturos, ubi propriam salutem propugnare poterunt. Quattuor hominum milia hucusque desiderata sunt in castris, quinto autem die in fuga mille et quingenti cesi, sauciorum innumera multitudo; ex Gallis circiter tria milia. Quare media nocte dato clam signo prodeunt, in dispositas mox hostium excubias erumpunt, prius custodum maxima pars trucidatur, quam in castris Gallorum tumultus excitaretur. Quo ubi omnes experrecti sunt, primo perturbari sibi admodum timere, mox in eos arma capere ceperunt, item credere ad cedem potius, quam ad fugam erupisse. Iam illi passuum circiter duo milia fugerant, antequam per universa Gallorum castra tumultus effunderetur; premissis impedimentis et instructo utrinque carrorum ordine iter faciunt. Galli adhuc eos castra tenere rati superato vallo in tentoria penetrant, ex centone confecta multa prepropera festinatione relicta diripiunt. Mox illucescente die illos dissimulata fuga evolasse conspicati celeri cursu subsequuntur; priusquam eos consequi possent, finitimos Bude montes occupasse prospiciunt. Quos ubi consedissee vident et carrorum circumseptu pro vallo radices montium communivisse conspicantur, lentiore gradu progredi cedere. Quo cum venissent, montem a planitie castrorum circumductu claudunt, fauces montium ceterosque aditus impositis presidiis obstruunt, inedia potius quam armis hostem superare contendunt. Carolus dispositis circumstationibus ita acri eum obsidione adurget, ut neque hinc exire neque commeatus inferri queant, quorum inopia propediem laboraturum esse sperabat. Mox classem una cum terrestribus copiis descendere iussam a ripa Danubii collocat, ne quis exire possit. Duodetriginta diebus hostis fame absumptus

se tuetur, tandem, cum nemo pedibus constare posset inedia, deditionem facit et eam, quam Carolus condicionem obtulerat, accipere cogitur Ungarus. Qui in sacrosanctam Christi fidem ultro se assererent, et vita et cum fortunis libertate donabantur; qui in profana Scytharum religione perstitissent, his adempta cum fortunis libertate vita dumtaxat permissa. Multi patria religione se exuerunt, ne vectigales forent et facultates amitterent, pauci divina charitate succensi. In sequenti tandem die, cum sese dederent, immensus obstinatorum numerus bonis exiit; cum facilioribus clementer actum.

Deinde motis castris ad Budam Veterem, quam Sicambriam prius appellabant, perventum est, ubi Kaga rex Ungarorum residebat. Qui, cum per legatos bellum perquam gravissimum gereret, nimia opum exuberantia prepollens, quas ex multis rapinis ac hostium exuviis plane congesserat, reformidatis Gallorum viribus et Caroli fortuna cum sapientia sane coniuncta in munitissima urbe se tueri posse speravit. Sed longe aliter, atque sperarat, res ipsa obtigit, nam audita unius exercitus deditione consternato penitus animo in diversa trahebatur. Exhaustam populo civitatem retinere diffidebat et adversus validissimos hostes commode pugnare posse desperabat. Ecce urbs a Gallis circiter centum milibus obsidetur, obsidetur etiam a suis, qui dissimulanter hortantes oppidanos miserum sibi spectaculum propositum habebant. At illi postulata deditione renitentes, quamvis pro urbis amplitudine pauci egre resisterent, postero tamen die pugnam expectant. Carolus a Danubio navibus oppugnat, a cetera parte instructa acie circumvenit. Maximam Ungarorum manum in primo congressu Gallicis agminibus anteponit, ut suos prius oppidani quam hostes ledere cogantur. Civium pars magna suos ac hostes eque tractare, multi longe crudelius, remissius contra plerique et hostem potius admittere, quam civili se sanguine fedare, itidem facilitare dediticii. Tota die pari utrinque spe pugnatum; inclinante sole Gallis fortuna favit, que Carolum nunquam fere deseruit; nam, dum Ungarorum obiectu protecti tutius subnituntur, admotis scalis menia plerique conscendunt. Quod ubi ab imperatore visum, per agmina cuncta discurrens captam urbem exclamat simulque dextra suis ostendit, quare tantus undique impetus elato clamore factus, ut reiectis extemplo civibus urbem invaderent. Quam ubi captam iri videre Ungari, qui superiore die se dederant, Augustam per vicus ac fora misericordiam exclamant, Caroli pietatem ingeminant, suo sanguini parcendum esse vociferantur. Supplices inter infestas acies sese ingerunt profusisque lacrimis utrinque, ut arma deponantur, exorant. Deinde initius pugnari ceptum et intercedentium voces melius exaudite. Cum pars utraque sensim cessare occepisset, eo vehementius ad implorandam veniam et mitem deditionem suos hortantur. Oppidani desperata publica propugnatione arma deponunt et vita se cum uxoribus ex liberis donari supplicant. Commiseratio mox victorem incessit et, quamvis e Gallis plerique cecidissent, supplicum tamen precibus

ultra cessere. Munita urbis loca sibi dari postulant, que mox tra- 230
 dita presidiiis complent, ad portas et fora multaque compita sta-
 tiones rite disponunt, ne detrimenti quid ab Ungaris patiantur. Caro- 231
 lus urbem ingressus regiam sibi dedi postulat. Renitente aliquantulum
 Kaga rege arcem cum regia munitissimam et antiquis tot hostium
 exuviis et rapinis sane completam deditam tandem accepit. Erarium 232
 auro argentoque refertissimum subinde spoliat, regem in vincla
 coniectum et conscita sibi morte peremptum honorifice sepelivit.
 Quicquid auri, argenti Scythiceque prede tot annos undique con- 233
 geste Sicambrie inventum est, una die a Franco ereptum est, pri-
 vate opes militibus pro dignitate distribute. Matronarum servata pu- 234
 dicitia, nulla vis cuiquam illata, populus vita donatus et stipendi-
 arius effectus.

Pannonia opulentissima populi Romani provincia ab exera 235
 gente usurpata ad Romanum principem redacta paucis post diebus
 advocata contione Carolus populum hortatur, ut Christiana se suos-
 que liberos fide initiet, verum deum omnium rerum creatorem et
 servatorem humane gentis agnoscat, Iesum Christum unicum dei
 filium intelligere intellectumque diligere et adorare conetur, Chri-
 stiane religionis dogma sectetur, Martem et Herculem cecarum fig-
 menta gentium aspernetur, divina mysteria discat, quibus anima- 236
 rum immortalitatem adipiscatur; sanctissimam Iesu Christi doctri-
 nam imitetur, ex qua tantum veritas illuxit; si idolis falsisque diis
 renunciarint, reciproce se clementissimum indulgentissimumque do-
 minum Ungaris futurum atque Ungaros haud aliter ac Francos
 benigne tractaturum. Hec per interpretem elocutus paucos invenit, 237
 quos in veram fidem assereret; profanam ac obstinatam gentis
 mentem conspicatus severitate potius quam mansuetudine in eam
 utendum esse cognovit. Quare urbis menia primum deiicere, ne 238
 facile rebellaret, deinde stata vectigalia pendere, arma cuncta tra-
 dere et templa vetera cum idolis demoliri iubet; qui sacrosancta 239
 fide initiati fuerant, benigne tractati et tributorum immunitate do-
 nati, qui, ut scirent, ubi sacra Christiano ritu facerent, in extrema
 parte urbis sub monte dive genitricis Marie templum statuit, quo
 devotissime tinitimi undique tempestate nostra populi supplicatum
 confluunt et albe Marie sacellum primum Christianis in Ungaria
 numinibus dicatum appellant idque lapis adhuc indicat excisus.
 Deinde pacata urbe et composita republica sapientissimum magni 240
 animumque virum urbi prefecit, sacerdotes reliquit amplificande gra-
 tia religionis haud ignarus feros animos ad veram fidem non facile
 posse converti.

Expugnata Sicambria provincie metropoli, que Germanica olim 241
 legio dicta, deinde Buda vetus appellata est, ut late supra diximus,
 omnes pagi et, quecunque erant, urbes missis ad Carolum legatis
 ultro imperata se facturas pollicentur. Castra ad Taurunum usque 242
 promovit. Mysias tunc invadere destitit a Bulgaris occupatas, ne
 orientalis imperii fines ledere videretur. Mox per Syrmium retro 243
 castra retulit et trajecto prope Danubio per Daciam et lazyges Met-

anastas ad insulam cum classe rediit, quo maximam Ungarorum partem cum uxoribus ac liberis fortunisque confugisse retulimus. Hanc adaucta classe circumvenit; tridui oppugnatione deiectis presidiiis, que castellis imposita fuerant, occupavit; nam insulani iniqua suorum fortuna consternati obstinatius resistere verebantur, ne quid crudelius experirentur, et facilem deditionem sane distulerant Danubii vastitate munitionibusque freti. Cum e Gallis pauci cecidissent, cum victis haud inclementer actum; fortune cum armis omnes adempte, leges cum presidiiis, ubicunque res tulerat, rite impositae; item prefecti ac sacerdotes, qui convocato populo supplicarent, sacram legem traderent et Christianam denique religionem amplificarent. In Ungarico bello e Francorum proceribus duo tantum occubuere, alter Henricus dux Foroiulianus in Liburnia iuxta Tarsaticam maritimam insidiis, ut aiunt, oppidanorum interceptus et Geroldus Bavarie prefectus alter, qui, cum eductam in Ungaros aciem equo insidens ardentius hortaretur, interfectus est. Preter hos incruentum hoc Francis bellum Leoprandus fuisse tradit, quamvis diutius pro magnitudine sui traheretur, alii cruore paucum factum negant, quando gens fera et indomita haudquaquam facile superari potest. Sed de Henrico et Geroldo, quod dictum est, id in secunda accidit expeditione, ut paulo inferius ostendetur.

Lustratis igitur pacatisque Pannoniis Carolus insigni victoria predictus Gallias et imprimis natale solum, cui nunc Franconie nomen est, visere decernit, ubi cum secundum annum ageret, nunciatum est Saxones, quibuscum tot annos bella gesserat, ut Christi fidem sectarentur, a traditis vere fidei documentis descivisse et in barbaricam execrabilemque perfidiam recidisse. Quo nuncio usque adeo ira succensus est, ut nationem perfidam et ab omni pietate alienam non sine vi ac eius magno malo ad resipiscentiam revocare statuerit. Ne minori quidem obstinatione Saxonum animi obduruerant, quippe qui mori aut miserrima queque mala perpeti quam verum deum colere et imperata facere malebant. Educta utrinque acie pari quoque utrinque pertinacia et crudelitate certatum, sed ea tandem pars effecta superior, que iustiore causa nitebatur; nam e Saxonibus eo prelio triginta milia cesa sunt, terra ubique vastata. Unde non solum abducti obsides principum filii, sed, ut eorum vires honestius extenuarentur, multe quoque ex his in Daciam, Pannoniam diversasque regiones deducte colonie, quarum adhuc innumere Sarmatiam ulterioremque Daciam incolunt. Interea Adrianus pontifex maximus vita defungitur defunctoque Leo vir sanctissimus legitime subrogatur. Eo quoque tempore Hirene Constantini filii perosa flagitia a Constantinopolitanis civibus impulsus eum dolo captum erutis oculis coniecit in carcerem, ubi nimia periculis indignitate ac rabie animam efflavit.

Dum hec ita geruntur, ecce gravissimo ac multiplici Romanum imperium bello refluctuat. Saxones enim contempta superiore strage ac patrie vastitate, item et Ungari eodem exemplo a Carolo deficiunt. Preterea Bavari cum his fere coniurati proximis Foroiu-

lianis, Longobardis ac Italis acri bello lacesunt. Ne Saraceni quidem desunt, qui partim ex Barchinone, partim ex Olyssippone Christianos incursionibus et rapinis infestant. Omnibus his Carolus prospicere cogebatur et, quando ubique unus adesse non poterat, multa per legatos bella gessit. Pipinum filium in expeditionem Ungaricam delegavit, Henricum autem Francum, quem Foroiulianis prefeceat, a Bavarorum iniuriis Italiam tueri iubet. Aldefondo Asturie Gallacieque regi Christiano auxiliares ex Aquitania copias misit et, ut Lusitaniae Beticeque Saracenos armis arceret, oravit. Ad Barchinonenses coercendos ipse contendit, quo cum pervenisset, Zatus, qui urbem sub ditione Saracena tenebat, ad Carolum defecit, qua recepta urbe maximam propugnande citerioris Hispanie occasionem nactus est et gravissimo curarum onere levatus. Pipinus provinciam sortitus in Ungariam contendit; validissimo quidem exercitu eam ingressus ingenti audacique animo occurrentes sibi Ungaros adoritur, quos aliquamdiu resistentes inclinatosque resumptis animis fundit fugatque. Ne satis quidem fuit hos uno prelio superasse, sed redintegratis sepe viribus Herculee hydre more perdomuit, quos ut in fide confirmaret, hibernare apud Ringum oppidum in provincia voluit. Quo quidem tempore Henricus Foroiulianus dux Noviomiri Sclavi ducis et legati sui opera ab Avaribus, qui cum Ungaris pro veteri cognatione foedus in eo bello icerant, cumulas penas exegit, quia Italis bellum inferre tentaverant. Noviomirus nanque Ringum primum Bavarie gentis ducem prelio superatum occidit et, cum paulo post Cagazon Iugurramque duces cum copiis una in deditionem accepisset, eorum urbes et oppida hostili more diripuit. Iam res Christianorum ubique prospere gerebantur et ne minore quidem in Hispania prosperitate, nam Aldefondus Gallacie et Asturie rex de Saracenis, qui Lusitaniam occuparant, claram victoriam retulit. Olyssipponem Lusitanorum metropolim vi expugnatam rapinis militum concessit. Multaque pretiosa spolia Saracenorum ex hac urbe erepta ad Carolum, ne victorie premiis redderet immunem, ut puta loricas cassidesque aureas dono misit.

Eo tempore tota Italia, cum Hirene rerum orientalium potita omnes, quos adhuc in Italia populos retinebat, ut Carolo gratificaretur, civiliter se cum Romanis et Beneventanis gerere iussisset, in otio versabatur. Romanus tantum populus nova monstra molitur. Leo enim pontifex maximus et vir omni doctrina et sapientia praeditus, qui clerum et populum sanctissimis semper moribus et documentis excoluit, cum pompam in agendis supplicationibus per urbem duceret, ad sancti Sylvestri edem a Paschale primicerio Campuloque presbytero, quorum turpissimam vitam verbis sepe correperat, cum profana coniuratorum multitudine humi pessumdatus pontificiis insignibus exiit, cui mox linguam cum oculis exerere. Mox in divi Erasmi cenobium delatus Albini cubicularii opera in divi Petri basilicam relatus in eo cenobio linguam et oculos divina ope Leoni redditos fuisse aiunt. Vinigisius Spoletanus dux

accepto nuncio cum cohortibus plerisque Romam festinavit libera-
 tumque pontificem ad Carolum misit, ut ad pacandas res Roma-
 nas Italiam revisere hortaretur; a quo perreverenter exceptus pa-
 catis rebus cum maximo equitatu Romam remittitur. Appropinquant
 275
 populus Romanus et omnes ordines ad pontem usque Milvium
 obviam congratulatum occurrunt. Carolus compositis in occidente
 276
 rebus classeque ad piratas inhibendos in Oceano instituta Aquis-
 grano profectus per Maguntinum et Viennensem agrum, item No-
 ricos et Istrianos in Foro-Julianos pervenit, ubi, cum Henricum du-
 cem Taurisinorum fraude cesum offendisset, alium in demortui lo-
 cum subrogavit penasque cumulas a coniuratis accepit. Deinde
 277
 classe Ravennam delatus est. Longobardos Beneventum incolentes
 cum nova in finitimos Grecos moliri sensisset, per Pipinum statim
 filium cum tumultuariis cohortibus ac auxiliariis copiis bellum
 composuit. In urbem Romam singulari pompa admissus in divi
 278
 Petri atrio requievit. Tertio die frequentissimo sanctorum patrum
 senatu eorum causam, qui preter equum et fas pontificiam maiesta-
 tem fedassent, audire voluit. Perorata utrinque causa eos eque
 279
 ac reos lese maiestatis capitales esse censuit. Pontifex intercedens,
 ut vita redonarentur, imploravit. Quare in Galliam Paschalis et Cam-
 280
 pulus cum ceteris coniuratis relegati sunt. Ad conventum salva-
 toris nostri natalibus indictum Pipinus populatis Beneventanis
 advenit, quibus coercendis Vinigisium Spoletanum ducem preficit,
 cuius copiis in eo bello auxiliariis usus erat.

Carolus inter sollemnia senatus consulto, scito plebis, populi
 281
 Romani precibus et pontificia demum auctoritate in Petri basilica
 Augustali diademate a Leone cum summa omnium gentium accla-
 matione coronatur. Carolo Augusto a deo coronato feliciter, Carolo
 282
 Magno feliciter, Carolo patri patrie et pietissimo Christiane rei-
 publice assertori pacisque parenti feliciter. Secundum acclamatio-
 283
 nem pontifex sacrosancto oleo perunxit, ad Pipinum deinde filium
 conversus eum Italie regem declaravit regalibusque sacris initiavit.
 Maior deinde cura Italicarum rerum pontificem et imperatorem in-
 cessit. Ius deligendorum pontificum et episcoporum Leonem Carolo
 284
 nonnulli concessisse tradunt, sed id a bibliothecario pretermis-
 sum haud facile credi potest, cum Stephanum pontificem, qui Leoni
 successit, a populo Romano creatum fuisse constet. Precipua ea
 285
 cura supererat, ut de Grecis et Longobardis, qui Italiam preme-
 rent, ita decerneretur, ut firmam pacem Italia sortiretur. Longobardi
 286
 nihil preter nomen peregrinitatis ab Italis alienum habebant, cum
 annis pene ducentis et XXX Italiam incoluissent. Hi tantum, qui
 287
 apud Papie Mediolanice regiam et per Transpadanam regionem
 educati fuerant, nobilitatem sue gentis severius diiudicabant, tantam
 omnes cum Italis affinitatem contraxerant, ut Italia extirpare inhu-
 manum fore censerent. Quare Leoni pontifici Caroloque imperatori,
 288
 ubi sedem diu et status sui fundamenta habuerant, Longobarde
 genti nomen solumque patrium conservandum esse visum est, Ut-
 que propinquior coniunctiorque Romani nominis memoria fines

illis faceret certiores et ut haberent probate erga Romanos fidelitatis vicinos, quibus cura foret aut coercendi modus eorum aut renunciandi magistratus, quicquid exarchatus Ravennatis fines complectuntur, Romandiolam placuit appellari. Contra Grecos Italia eiciendos esse censuere.

Quare Pipino totius Italie delectus est habitus, quo coacto exercitu Beneventum contenderet. Carolus per Cisalpinam in ulteriorem Galliam reversus est. Horribilis deinde terre motus successit, quo basilice nonnullaque per Italiam everse urbes. Beneventum Pipinus diu obsedit; amissa potiundi spe Theatinam urbem acri obsidione circumvenit, quia Roselimus e Longobardis oriundus prefectus urbis ad Grecos plane defecerat, quam captam populatamque succendit. Mox Ortonam et Luceriam in dicionem accepit. Sed Lucerie Vinigisium Spoletanum ducem prefecit, quem morbo correptum Grimoaldus dux Beneventanus obsedit, Luceriam ei vi captam eripuit. Sed Pipinus occurrens Lucerie Grimoaldum clausit clausumque eo angustiarum redegit, ut tradita urbe Papiam emigraret. Cum hec Hirene sensisset, legatum ad Carolum mittit, per quem iura pacis ledi queritur. Carolus legatos quoque suos cum illo remittit, ut diviso pacem imperio confirmaret. Divisio haec fuit: Quicquid ad dexteram a Neapoli et ad sinistram a Siponto incipiens Supero Inferoque mari clauditur, item Sicilia tota Constantinopolitano imperio adjudicatum; Romano cetera praeter Beneventanum ducatum, qui, etsi Greco magis quam Romano favebat, neutri tamen est addictus, et Venetos, qui, quamvis in Grecos propensiores essent quam Romanos, nequaquam tamen omnino sub Romana dicione versabantur. Sed succedente Nicephoro imperatore, qui Hirenem dolo captam in Lesbion insulam relegavit, hoc plerique in imperii divisione sancitum affirmant Venetis fuisse concessum, ut utrumque reveriti imperatorem propriis legibus uterentur.

Carolus compositis rebus Italie ad Germanicas Ungaricasque animum convertit; ne parvi quidam momenti utraque provincia videbatur; nam bellum Pannonicum vix annis octo confectum, Gothofredus Danorum rex, qui Oceani Germanici litus accolunt, ingentibus terra marique exercitibus ad Saxonie litora venerat, icto cum Carolo federe Germanos transfugas, quorum motus admodum formidabantur, ultro reddidit. Confecta pace in Franciam rediit Carolus, qui superiore anno Aquisgrani hibernans magnam Saxonum multitudinem cum liberis et uxoribus in Franciam transtulit eorumque pagos Obderitis concessit. Paulo post Fortunatus metropolita Venetus in civili dissensione Caroli auxilium imploravit, cui Pipinus succurrens Heracliam terrestrem unicam Venetorum civitatem, cuius locum nunc Civitatem Novam appellant, et Equilium eius civitatis oppidum invasit. Sed cives, qui hec loca colebant, sibi diffisi deserta patria Venetias commigrarunt, ex qua gente centum fere familie in patriciorum ordinem assumptae sunt. Mox Sclavonicum Bohemicumque bellum praeter opinionem exortum est; quippe Bohemi et Poloni Sclava gente editi vicinos Saxones et Romano

imperio parentes ad defectionem sollicitare ferebantur. Quos Carolus ex concubina susceptus et natu maior felici Marte profligavit, ceso Leone eorum duce opima ad patrem spolia retulit agrum longe lateque populatus. Lodovicum pater Bavaris, Australibus Germanisque prefecit. Redintegrato iterum bello Sclavi Sorbienses, qui Albis fluvii accole sunt, et Bohemi rebellant. Carolus minor parentis imperio coactis ex Bavaris, Burgundionibus Alemanisque auxiliariis copiis in Sorbienses proficiscitur, quos vi expugnatos ad obsequium redegit. Ne facile quidem rebellarent, duo Sale Albi que fluminibus presidia imposuit. Mox Bohemos aggressus primo eos prelio fudit fuisque agrum igni ferroque vastavit.

Ne minore quidem enixu Pipinus ad gloriam contendebat, qui cum Italie regnum gereret, Mauros, qui Corsicam invaserant, per Ademarum Genuensem comitem classisque prefectum insula eiecit. Sed Ademarum non sine morte sua victoria potitus. Carolus quoque imperator et horum pater pari quoque felicitate usus, quippe qui in bello Saracenorum Navarros Pampilonensesque Hispanos, qui paulo ante ad infideles defecerant, per legatos in deditionem accepit. Item Mauros, qui Taraconensem Hispaniam et Lusitaniam occuparant et ingenti classe Sardiniam et Corsicam invaserant, Buccharedo legato profligavit, quorum quinque milia desiderata et naves tresdecim amisse. Veneti quoque eodem tempore, quia fedus cum Carolo icerant, gravi bello a Nicephoro Constantinopolitano imperatore vexati sunt et ita cum Dalmatis afflictis, donec rescisso federe in partes eius recidere. Niceta enim patricius magna classe in Adriaticum mare devolans Dalmatiam cum Venetia in Grecorum ditionem redegit. Deinde paucis post mensibus, cum Venetis moram traheret, indutias cum Pipino constituit Constantinopolimque cum universa classe rediit.

Si collegam in imperio dignum Carolus sortitus esset et, qualem occasus, talem exortus imperatorem eo tempore invenisset, haud dubie quidem universum Romanum imperium instaurari facile potuisset. Nam, si Caroli exemplo, qui ad perdomitam Europam animum adverterat, Nicephorus ad subigendam Asiam Africamque revocasset ingenium, restitutam imperii Romani maiestatem habuissemus et, ni fata invidissent, adhuc fortasse florentem videremus, cuius ne minima quidem vestigia tempestate nostra reperire possumus.

Dum Carolus hinc Danos et extremam Germanie gentem Germanici Oceani accolam per Carolum, hinc vero per Lodovicum alterum filium Saracenos, qui Hispanias totas anhelabant, domitare contendit, Nicephorus pretermissa Saracenorum cura, qui Thraciam et Byzantii fines late vastabant, omnes animi nervos in perturbandam Italiam sub Pipino rege quiescentem intendit. Comparata namque classe Tyrrenum mare ingressus Populonium Etrurie civitatem diripit. Niceta vero patricius indutiis, quas cum Pipino Venetiis iniverat, nondum exactis per Adriaticum sinum maritimam regionem Pipino regi parentem corrogata ex Illyrico et Dalmatia classe vexare conatur. Quod cum Pipinus intellexisset, per universas urbes

maritimas presidia imponit, Comaclum in peninsula speciem redac-
tum Venetisque obiectum Gallo Italoque complet. Quo cum 319
Niceta Venetique appulissent, multi vulneribus reiecti sunt. Niceta
spe sua frustratus ducesque Veneti voti impotes de componenda in-
ter imperatorem Nicephorum et Pipinum regem pace agere cepe-
runt. Duces Venetorum, quorum alter Ubelerius et Beatus alter 320
dictus est, cum Grecos et Francos ad pacem perducere simularent,
ut Paulus Aquileiensis auctor est, Pipino insidias tetenderunt. Quod 321
ubi Pipino compertum est, ab inita pacis actione ad ulciscendas
Venetorum insidias animum continuo revocat, exercitum terra mari-
que validissimum comparat, Venetias ita classe ac militibus circum-
venit, ut nihil commeatuum nec auxiliorum inveni posset; duces 322
proditionis auctores una cum urbe in deditionem accepit. Scrip-
tores alii, qui Venetis assentantur, eos superiore bello subactos re-
ferunt, cum Pipinus Heracliam Equiliumque vi cepit; hoc autem 323
bello Pipinum dolose muliercule suasu pontem in Rivum Altum
produxisse, quo equitatum inferret; pontem igni ferroque diffrac-
tum fuisse, demerso equitatu magnam Francos iacturam fecisse,
quod haud facile credi potest. Qui verisimiliore in assentando con- 324
iectura utuntur, Pipini classem Pauli Ciurani adventu cecidisse com-
mentantur, qui coacta extemplo auxiliari classe subvenerat. Quare 325
inter Pipinum et Nicephorum pacem ea condicione instauratam
aiunt, ut Veneti, qua a Carolo quondam donati fuerant, immuni-
tatem retinerent. At ego facilius Paulo adstipulabor.

Dum hec ita geruntur, Carolo nunciatur Gotthofredum Danor- 326
rum regem Frisios Romano imperio subiectos bello lacessisse vic-
tosque quotannis centum argenti pondo tributum loco multasse.
Quare omnes copias in Transrhenanam regionem ad Allaram flu- 327
vium, qui Visaram amnem influit, ad prestitutum diem Carolus
convenire iubet. Sed, dum ad conventum Gotthofredum expectat,
mox eum a satellite interfectum nunciatur. Ne perempti quidem 328
hostis fit longa letitia, quando eodem die altero nuncio edocetur
Pipinum filium Italiae regem extremum Mediolani diem obiisse.
Proinde Aquisgranum reversus, ut rebus suis recte consuleret, a 329
Grecis, Saracenis et Danis, quibus Eumigus in demortui Gottho-
fredi locum suffectus erat, legatos admisit omnes quidem uno ore
pacem postulantes, quam confirmandi imperii gratia cum omnibus
ex voto transegit. In Britannico Oceano classem instituit, que sep- 330
tentrionalibus oris presidio foret. Terrestres copias tripartito di-
visit, unam partem in Livoniam, que Sarmatici ora est Oceani, in
Brittonis alteram, tertiam in Ungariam haud ignorans gentem bello
indomitam et octavo vix anno pacatam post eius mortem sine
magno presidio nunquam in obsequio permansurum. Deinde Aquis- 331
grano profectus Bononiam venit urbem sane maritimam, quo clas-
sem convenire iussam spectare ac recensere voluit, ubi cum omnia
e sententia constituta vidisset, Aquisgranum rediit.

O miseram humane felicitatis condicionem, cui nil contingit 332
omni ex parte beatum. Occurrunt ecce statim Danorum et Polono-

rum Bohemorumque legati, qui Danubium accolunt, magna munera
 deferunt, nil impensius quam perpetuam pacem exorant. Quod vix ³³³
 iam leto concessit animo, cum tristis de morte Caroli filii nuncius
 offertur, qui Germanie fines tuebatur. Par quoque tristitia res Gre- ³³⁴
 cas incessit, nam eodem quoque tempore, cum oratores pacis Con-
 stantinopoli appropinquarent, Nicephorus, quamvis Bulgaros sepe
 vicerit, prius tamen, quam ad confirmandam pacem in urbem red-
 iret, inito demum prelio cum Chrunno Bulgarorum rege apud Mys-
 iam superiorem Ungarie conterminam superatus occubuit. Stauro- ³³⁵
 tius eius filius post aurem letali vulnere saucius Byzantium relatus
 imperium obivit. Quo tertio mense abdicato Michael e sorore nepos ³³⁶
 rerum potitus est, cui profecto nil fuit antiquius, quam institutam
 a Nicephoro pacem cum imperatore Carolo confirmare. Paucis pax ³³⁷
 pronunciata verbis: Orientem cum Constantinopoli Michael, occi-
 dentem cum Roma Carolus habeto.

Compositis rebus Carolus Bernardum ex Pipino filio nepotem ³³⁸
 regende prefecit Italie, quin et Walium alterius Bernardi patruelis
 sui filium adiecit, ut terrestri alter, alter navali incumberet expedi-
 tioni. Nam Saracenos Betice et Lusitaniae dominos ad vexandas ³³⁹
 Italie insulas magnam classem comparasse rumor erat. Neque ru- ³⁴⁰
 mor opinionem fefellit, Saracenorum nanque classis bipartito Cor-
 sicam Sardiniamque adoritur; que Sardiniam adoritur, deleta est,
 altera in Hispaniam aufugit. Quare Ambulachus Saracenorum rex ³⁴¹
 cum Carolo pacem redintegrare curavit, cum res nequaquam e sen-
 tentia cessisset. Sed Carolus, ut Italia ex omni parte otium sorti- ³⁴²
 retur, fedus cum Saraceno instauravit. Quin et Grimoaldo Bene-
 ventano duci, qui unicus e Longobardorum reliquiis superesse vi-
 debatur, indicto quinquies mille et viginti aureum tributo quotannis
 pacem amicitiamque concessit. Demum veluti vicine mortis conscius ³⁴³
 Aquisgrani conventum edixit, in quo quidem frequentissimo Lodo-
 vicum filium Aquitanie regem sibi in imperio Romano collegam
 pronunciavit. Bernardum nepotem Italie regem declaravit. Cum ³⁴⁴
 occidentis imperium ita quiesceret, Michael Constantinopolitanus
 princeps, dum Bulgaros utriusque Mysie dominos bello vexat, variis
 eos cladibus affectit. Sed, dum victoria ulitur insolenter, apud Adri- ³⁴⁵
 anopolim funditur et fugatur. Consternatus animo Constantino-
 polim revertitur et, dum sibi a populo timet mestitiave conficitur
 ingenti, ultro se abdicat imperio, in cuius locum Leo Pardi patricii
 filius a pretoribus suffectus est. Chrunnus Bulgarorum rex Adriano- ³⁴⁶
 poli potitus adauctis animis eo audacie evectus est, ut Constantino-
 polim barbara gente fretus circumvenerit. Dum obsessam urbem ³⁴⁷
 oppugnare sepius audet, Leo facta cum populo ac militibus erup-
 tione non modo Bulgaros reppulit, verum etiam Chrunnum eorum
 regem cum eo forte congressus interfecit opimaque dive Sophie
 spolia retulit; que quidem victoria non mediocre otium imperio
 peperit orientali.

Carolus demum gestarum rerum gloria clarissimus iam etate ³⁴⁸
 gravis Aquisgrani etatis sue anno septuagesimo secundo, quinto

Kalendas Februarias, imperii vero anno quadragesimo sexto equata prestantissimi cuiusque antiquorum principis gloria vita defunctus est, quem universa Christiana respublica extinctum deploravit omniumque iudicio inter divos referendum esse censuit.

LIBER X.

Ungari, qui imperante Carolo post defectiones tandem varias¹ quievere, rati contra totius fere Europe dominum eundemque virtute ac fortuna prepollentem temerarium et calamitosum esse reluctari satis profecto iacturam fortunarum ex eo otio resarsisse visi sunt. Et post mortem eius eousque cessandum esse censuere, quousque² occasio certaue victoria offerretur. Lodovicus cognomento pios³ post Carolum ad imperii Romani fastigium evectus audita morte patris relicta Aquitania Aquisgranum properavit, ubi inventis legatis, qui ad Carolum undique confluerant, habito populorum suorum conventu compositisque imperii rebus pacem cum Grecis Beneventanisque confecit. Accito ex Italia Bernardo rege duos, quos habebat, filios Lotharium Bavaris et Pipinum Aquitanis prefecit. Primam comite Bernardo rege expeditionem in Danos ipse suscepit, ut Heroldum et Ranfredum Danorum reges socios imperii Romani et a Gothfredi liberis regno eiectos restitueret. At conatibus eius⁶ non modo hiems adversata, verum etiam maximus Danorum apparatus, qui CC navibus onerariis maritimam oram infestabant; sed mare contra glacie concretum illis fuit iniquum. Interea nuncius⁷ ex Italia advolat in Leonis pontificis caput coniurasse multos; quare ad componendas Italie res Bernardus rex dimittitur, qui morbo correptus per Gerardum comitem cuncta pacavit.

Defuncto Leone Stephanus quartus pontificatum inivit, qui⁸ profectus in Galliam Lodovicum apud Aurelianos principem imperatoris insignibus excoluit. Coronatus imperator variis perturbacionibus agitari cepit. Nam hinc Vascones, qui inter Garumnam fluvium et Pyreneos montes protenduntur, a Romano imperio deficient, quia Signinium prefectura provincie abdicatum iniquissimo animo ferebant; hinc et Solanius Obderitarum regulus, qui Germanici Oceani insulas incolunt; hinc Brittones ac Dani; item Bernardus rex Italie malo quorundam Itolorum suasu adactus rebellare ausus est. Sed hec omnia Lodovicus feliciter bella gessit;¹¹ nam Vascones per finitimos eorum populos edomuit; Franci, qui Saxonum fines observabant, oblata occasione cum Solanio et Gothfredi filiis prelium conserunt, quibus fuis fugatisque Heroldum in paternum Nove Dacie regnum restituit. Imperator pari quoque¹² felicitate Brittones, qui rebellionem laborant, Murmaniumque ducem, qui adulterinum regni nomen usurparat, supplicio capitis affecit. Aquisgranum relatus cum Grecis et Saracenis, qui Cesar-augustam occupant, pacem inivit. Habito ibi frequentissimo conventu Lotharium primigenium imperii consortem declaravit. Pipinum minorem natu Aquitanie, Lodovicum vero tertium Bavarie regem

pronunciavit. Deficientis Bernardi causam ad conventum retulit, 15
 ubi lese maiestatis crimine damnatum Romani imperii hostem iudi-
 cavit. Mox coactis undique e Bavaria Germaniaque copiis in Ita- 16
 liam penetravit. Omnes Italiae populos sacramento licet adactos con-
 tinuo tamen in deditionem accepit, quam certatim illi faciebant.
 Proditionis auctores dicta causa extremo supplicio mox affectit. 17
 Bernardus rex, quamvis ad primum imperatoris adventum depo-
 sitis armis ad eius misericordiam confugisset, Aquisgranum tamen
 ductus conventus consulto securibus cesus est. Episcopi pari cri- 18
 mine damnati pontificie synodi decreto magistratibus abdicati ad
 cenobia quedam relegati sunt. Viomarchus tyrannus Brittannie re- 19
 gnum anhelans cum imperatoris copiis pugnam conserere ausus
 occubuit, cuius morte pacata Brittannia.

Hinc profectus per Rothomagum, Ambianum et Camaracum 20
 Aquisgranum repetiit, ubi multos variarum gentium oratores inve-
 nit; quin etiam Ungaricum non sine gravi molestia bellum nun- 21
 ciatum. Lindeutus enim inferioris Pannonie tyrannus a Romano im-
 perio plane defecerat et, ut id ipsum Dalmatia superiorque Pannonia 22
 faceret, variis motibus agitabat. Imperator imprimis audita Ungaro-
 rum defectione, quam maximi profecto momenti esse intelligebat,
 quando idem bellum cum patre Carolo annis octo durasse non 23
 ignorabat, repente legatos omnes compositis e sententia rebus dimi-
 sit. Deinde apud Retos et Vindelicos, item in magna Germania de- 24
 lectum habuit. Auxilia, undecunque potuit, extemplo coegit. Deinde
 preter Danubium iter faciens in Pannonias descendit. Occurrentem 25
 sibi Lindeutum cum magna Ungarorum manu fundit fugatque pa-
 lantesque hostes in montes usque persequitur, qui Mysias Panno-
 niasque disterminant. Lindeutus, cum Francum acrius instantem con- 26
 spicatur, a monte deditionem facit; quare supplex veniam impetravit.
 Bulgari, qui post Chrunni regis mortem cum Leone imperatore pa- 27
 cem iniverant, interfecto Leone Michaelis fraude otium intercipiunt.
 Lodovicus imperator Lotharium Italiae regem declaravit ad Pascha- 28
 lemque pontificem Romam misit, quem ille corona donavit et ap-
 pellavit Augustum. Quare Lodovicum tantum Romane ecclesie tri- 29
 buisse aiunt, ut potestati ac iuri, quod Carolo Magno parenti Ad-
 rianus pontifex ultro concesserat, hunc sponte renunciasset plerique
 confirment. Adrianus nanque Carolo Magno ob rem semper erga Ro- 30
 manam ecclesiam optime gestam creandorum ius pontificum Ro-
 manorum omniumque episcoporum sane concesserat, quod suo po-
 sterorumque nomine tunc Lodovicus filius paschalibus festis sponte
 remiserat. Quin etiam urbes Italiae, que imperatorii iuris essent, eo- 31
 dem tempore declarate. Ex quibus in Etruria primarie sunt Arretium,
 Volaterra, Clusium, Florentia, Pistorium, Luca, Pise Portusque
 Lunensis.

Compositis Italiae rebus Lodovicus Lothariusque imperatores 30
 domandis in Hispania Saracenis defendendisque Germanie et Pan-
 nonie finibus animos intendunt. Nam, cum Saraceni in Aquitania 31
 sensim in dies prevalerent, nonnullae ex proximis citerioris Hispanie

civitatibus ad illos defecerunt. Bulgari Pannonias invadere ausi sola³²
dumtaxat exercitus ostentatione a Lodovico repressi sunt; quare bis³³
pacem ab imperatore assecuti sunt, priorem facile, alteram per Aldri-
cum et Cherardum Intarranorum principes, qui sunt Dalmatie populi,
impetrarunt, quam nondum fere initam Bulgari interceperunt, quippe
comparata classe adversus Danubium ad Dravi usque ostia sub-
navigarunt. Lodovicus ad castigandam suorum prefectorum ignaviam³⁴
conversus imprimis in Pipini duces Aquitanie regis, qui Barchi-
nonensibus opem in tempore non attulerant, animadvertit; item in³⁵
Halaricum Foroiulianorum ducem, qui defendendis Pannonie fini-
bus ab imperatore prefectus Bulgaros in Sclavoniam Bohemorum
patriam penetrare permiserat, sed cumulas negligentie penas ex-
olvit. His fere temporibus in Gallia tante magnitudinis grando de-³⁶
sevit, ut pecora passim hominesque interemerit, quin et glaciem
pedum ferme duodecim e celo concidisse affirmant. Quod qui-³⁷
dem portentum iniquam Lodovici fortunam portendisse volunt,
quippe qui nimio in filium natu minimum amore deceptus fraude
suorum imperio abdicatur Lotharii que custodie, qui maior natu fuerat,
plane committitur. Hinc audaciam ingentem Saraceni concepere, in-³⁸
structa magna classe appulere Centrum Cellis, quam Civitatem Ve-
terem nunc appellant. Cum potiunde urbis amore estuarent, Ro-³⁹
mam properarunt, primum Romanum agrum incursant, rura diripi-
unt direpta que demoliuntur, homines et pecora passim cedunt. Ur-⁴⁰
bis oppugnationem adorti Vaticani suburbia nondum fossa muro-
que munita abacta preda succedunt, divi Petri basilicam incendio,
rapinis cedibusque fedant, incensa materia parietibus tantum mar-
moreisque columnis laboris, non conscientie gratia pepercerunt;
tectum igni absumptum est. Cum Guidonis adventum accepissent⁴¹
a Gregorio pontifice nuper acciti, qui Gallie Cisalpine preerat, so-
luta urbis obsidione, qua potiri nequaquam potuere, inter Latinam
Appiamque viam ingressi cuncta diripiunt. Ad Ostiensem portam⁴²
suburbia et divi Pauli basilicam pari feritate succedunt. Ingenti
sacrarum rerum privatarumque rapina onusti in Latinamque viam
redacti ad Casini saltus monasterium pervenere, quod e vestigio
direptum concremarunt. Mox preda navibus imposita Tarentum Si-⁴³
ciliamque invadunt, magna in Christianos cede grassantur. Cum uno
eodemque mense Michael Grecorum et Lodovicus Romanorum prin-
ceps una cum Gregorio pontifice maximo diem obiissent, nihil in
eos parari potuit.

Ungari interea Francorum auspiciis ac ductu regebantur, quam-⁴⁴
vis sub Lodovico sepe fluctuarunt, pacata tamen provincia quievit.
Sed nihil eis molestius accidere poterat, quam aut arma deponere⁴⁵
aut rapinis et incursionibus prohiberi otiumque servare et aliena
imperata facere. Nil die noctuque mente intentius agitabant, quam⁴⁶
e cervicibus inusitatum servitutis iugum excutere et imperare potius
aliis quam parere. Dum idoneam occasionem prestolantur, de Lo-⁴⁷
dovici morte certiores facti sunt, quare spes magnas ex defectione
concipiunt, sed tempus expectant. Cum a Lodovico Lotharius, Caro-⁴⁸

lus et Lodovicus filii superfuissent, in paterni regni divisione dissentiunt; quare intestinum inter eos bellum exoritur, ubi multa hominum milia cesa sunt. Compositis tandem rebus convenit inter eos, ut Lotharius cum Italia imperium obtineret, Carolus in Gallia, Lodovicus in Germania quiete regnaret. Et, cum Lothario preter Italiam ea pars Gallie Narbonensis, quam Romanam provinciam appellamus, esset adiecta una cum ea particula Galliarum, que inter Scaldum et Rhenum amnem sita est, ex hoc ista extrema portio Lothoringia a Lothario dicta est.

Dum Saraceni duce Sabba Siciliam et Tarentum terra marique acri obsidione premunt, Theodosius Constantinopolitane classis prefectus ne sat quidem suis copiis fretus ad Venetos confugit simulque auxiliarem LX navium classem societatis iure postulavit. Quod cum impetrasset, Petrum Andonicum Ioannemque duces Spartarii Augustalis dignitate donavit, que apud Grecorum imperium maxima censebatur. Sabbas, cum Christianorum classem Adriaticum pelagus emensam Tarentum appropinquare cognovit, soluta obsidione ad Crotoniatum repente litora occurrit, ut dissimulato timore levique prelio fortunam experiretur. At ex levi pugna ita utrinque animi irritati, ut collatis utrique signis congregerentur. Grecorum classis a principio fusa fugataque, Veneti aliquanto obstinatius resistentes maximam cladem perpassi sunt navesque fere omnes aut merse aut capte. Hac elati victoria Saraceni Dalmatiam petunt; Ausarense oppidum vi captum populantur. Onerarie Venetorum naves, que e Syria mercibus onuste in Tergestino sinu delituerant, a Saracenis capte. Negotiatores Veneti ad unum cesi omnes, quando eorum nomen apud Saracenos abominabile putabatur. Mox in maritimam Picentum regionem diverterunt, Anconam vi captam populatamque incenderunt.

Ex intestino principum bello non solum Italia, sed Gallia quoque gravissimam iacturam accepit. Nanque Normanni, quibus Emergis appellatio fuit, Romano rege ac duce per Ligeris ostia ingressi Aquitaniam totam devastarunt, quin et Heriam insulam multaque religiosa monasteria incenderunt. Mox per Galliam effusi universam regionem longe lateque diripiunt. Burdegalam, Sanctonam, Engolismam, Lemovicos, Parisios, Turonium, Belluacum, Noviomagum, Aurelianos, Pictavos innumeraque oppida pagosque populantur. Normanni in captis Gallie urbibus diu permanere non ausi, ne coactis exercitibus a Francorum principibus eiicerentur, demum in Aquitaniam se recipiunt ibique sibi sedes statuunt.

Carolus ex cognomento Calvus superatis Brittonibus cesisque ducibus eorum se Lemovie urbis regem instituit. Deinde Franciam ingressus cum exercitu rerum potitus est, quippe Lotharius se sponte imperio abdicavit in privatamque religionis vitam se redegit. Ludovicus in Germania, ubi late dominabatur, diem obiit, Carlorum annus et Carolus eius filii adversus patruum imperatorem designatum arma capiunt. Dum utrique ingentes moliuntur apparatus, Carolus Calvus veneno potionatus Mantue vita excessit, cui Carolus Balbus ex

fratre nepos optimatum opera successit. Qui, cum rebellantibus 65
 Ungaris, qui servitutis iugum ferre non poterant, sepe bellum intulisset, ita animo et corpore debilitatus est, ut in privatam redactam vitam ab Arnulpho patruelo aleretur. Sed post victos Normannos, 66
 qui Franciam Lothoringiamque vastabant, cum nihil laude dignum faceret, primatum factione imperio deiectus eique a Francis Arnulphus quidam humili genere natus ea tempestate suffectus est. Francis post Arnulphum ad imperium evectum regnavit Oddo Parisiensis comes Roperti ducis filius a Caroli Magni genere alienus, post quem Carolus puer simplex cognominatus et Lodovici Balbi filius Francorum regnum accepit.

Sed per ea tempora, quibus Carolum Calvum imperare diximus, Normanni Aquitanica Gallicaque preda ditati CCC et LX navium comparata classe Constantinopolim traiecerunt; direptis ac succensis illius suburbanis in Oceanum mare se recipiunt. Saraceni adauctis in immensum animis Cretam adoriuntur insulaque potiti cuncta diripiunt. Maxima eorum pars in Italiam relata. Ab Ancone Hydruntum usque tractum maritime regionis universum late predantur et oppida cuncta subvertunt. Eodem quoque tempore Bulgari longe prius ad Christi fidem redacti, cum adhuc schismatici forent, catholice fidei dogmata receperunt et eorum rex delegato filiis regno ad monasticam religionem confugit. Suetopilus Dalmatie rex atque gens Sclavorum illi subdita, que a Bohemis Germanie genus deduxit, tunc primum Christi fide initiata est. Sed hec anno salutis circiter octingentesimo et octogesimo accidisse credimus. Iisdem fere temporibus Saraceni e Creta prodeuntes, dum per Adriaticum mare in Christianum nomen ubique deseviunt, Dalmatiam non modo maritimam, sed mediterraneam quoque graviter infestant.

Gravis et calamitosa Saracenorum fuerat oppugnatio, sed Ungarorum bellum multo calamitosius, quippe qui per otium mira fecunditate adaucti et sub Carolo Balbo rebellare ausi, ut servitutis iuga discuterent, Saracenorum et Normannorum exemplo successibusque conciliati neque inscii, quanta factione Christiana respublica laboraret, oblata occasione instauratis et amplificatis viribus ab Arnulpho imperatore deficiunt. Inter Longobardos enim et Romanos orta seditio. Longobardi, qui Cisalpinam Galliam, quam ab his Longobardiam nunc dicimus, incolunt, pre facto Italie dissidio et Romanos cum Arnulpho imperatore aspernari et iterum sibi regnum Italie vindicare ceperunt; Ungarorum ferociam ac vires nequaquam ignorantes magnam in huiusce gentis robore spem profecto locaverant. Quare orta in comitiis seditione alii Guidonem Spoletanum ducem Italie regem declarant. Ungari igitur non modo deficiunt et imperata detractant, verum etiam provincias imperii Romani incursionibus et rapinis ultro lacessunt et, ne ab humilioribus initium facerent, Germanos imprimis adoriuntur. Odium in Romanum nomen, quod diu dissimularunt, rebus potius quam verbis delegunt. Tanto tumultu omniumque consensu se in libertatem asseruere, ut non modo senes, sed mulieres quoque in habendo

delectu nomina ultro dederint. Cum in Germaniam eruperunt, tanta 79
 rapinis ac cedibus adiecta sevitia, ut nec etati nec sexui locoque
 parcerent; nam sacra et profana loca iuxta spoliunt et incendunt.
 Unni, qui in Pannoniis olim remanserant, mitiorum consuetudine 80
 populorum ipsi quoque mites effecti et aliqua ex parte Christiani,
 sed eorum, qui e Scythia rediere, Ungarorum redundantia in pristi-
 nos feritatis mores recidere. Quare in diripienda vastandaque Ger- 81
 mania mutua immanitate certabant; a principio, quoscunque inve-
 nerant, passim cedere, pecora abigere, imbellem etatem in captivi-
 tatem ducere, sepe in conspectu parentum contrucidare liberos,
 illidere parietibus infantes e gremio matrum ereptos, nullum deni-
 que feritatis genus premittere, nobilissima queque edificia amo-
 liri, oppida, vicos ac templa incendio absumere. At, ubi, quacun- 82
 que iter per Germaniam fecerant, satis superque sevitum est, in
 Franciam Galliasque penetrant, ubi acceptam a Carolo Magno ser-
 vitudinem, illatas cedes ac abactas denique predas abunde statuunt
 ulcisci. Hic superiorem immanitatem instaurant, quin etiam pro 83
 viribus augment, a Francis, qui libertatis gloriam Ungaris abstulere,
 cumulatissimas penas exigunt, flammis ac ferro omnia destruunt.
 Contempta sepe captivitate cum pagis ac oppidis omnem eque 84
 etatem incendunt, magnificas edes demoliuntur, sacram supellecti-
 lem diripiunt, nullum religionis vestigium servant. Ne his quidem 85
 immanitatis criminibus Ungari caruere, ut adustas quandoque ex
 incendio humanas carnes legerent lectasque frustillatim inter se
 devorarent, sepe, cum cedibus per pagos et oppida grassarentur,
 humanum quoque sanguinem biberent. Omnia crudelitatis genera 86
 scriptores preter pollutam utriusque sexus pudicitiam, quam domi
 militieque semper coluerunt, in eos commentantur. Tanta ubique 87
 cede bacchantur, ut hec Atile tempora superasse credideris, neque
 adhuc cedibus et rapinis satiari potuere. Gallias quoque omnes
 miscent, ne qua in re Atile progenitori cecidisse videantur. Arnulphus 88
 ac reliqui reges his obstare non audebant cum propter innumeram
 multitudinem, que totam Galliam inundarat, tum propter Romane
 reipublice dissensionem intestinasque Francorum discordias, quibus
 imperii Romani vires admodum labefactate ac enervate fuerant.

In Italia creati novi principes inter se dissident et civilia bella 89
 moliantur. Berengarius, quamvis a principio detrimenti aliquid ac-
 ceperit, vir tamen rei militaris peritissimus ac animi magnitudine
 prestans eo Guidonem inimicum sane redegit, ut in Spoletano du-
 catu ac Etrurie civitatibus obcluserit, et, ut tutius sibi consuleret,
 Arnulphi imperatoris amicitiam sibi comparare studuit, quod cum
 impetrasset, missis ab eo auxiliis adiutus est. Senebaldus cum 90
 exercitu haudquaquam contemnendo ab Arnulpho patre missus in
 Italiam Guidonis largitionibus corruptus, ut plerique arbitrantur,
 nihil Berengario attulit adiuventi reque infecta in Franciam rediit.
 Guilelmus tamen auctor est Arnulphum Berengarii gratia in Italiam 91
 cum exercitu venisse, Bergamum cum Ambrosio tyranno vi cepisse
 eumque laqueo suspendisse, a Formoso pontifice maximo accitum

Romam usque venisse, Guidonem inclinata acie fugasse, eius uxorem in arce, ubi se tuebatur, obsedissee. Guido sedente Formoso pontifice diem obiit, Lambertus in regno filius successit. Paulo post Arnulphus pediculorum morbo correptus interiit. Franci Arnulpho imperatori Lodovicum tertium eius filium in imperio subrogarunt ac Francie Germanieque regem declararunt, quin et Lamberto regi Lotharium filium Spoletani hereditario iure sufficiunt unaque cum Etruscis Italie regem creant.

Ungari autem, postquam per Germanias ac Gallias omni immanitatis genere satis debacchati fuerant, per alia, atque iverant, Germanie loca in Pannoniam revertuntur. Ludovicus rex Germanie, qui, ubi erumpentes in Bavariam Ungaros omniaque passim igni ferroque vastantes acceperat, ad Augustam Vindelicam prope Lemannum fluvium eis occurrerat ab hisque simulata fuga in insidias tractus vix cum magna clade suorum evadere quiverat. Qua quidem victoria elati Bavaros mox et Suevos, item Francos et Saxones longe lateque populati sunt. Audito hostium reditu coactis undique copiis et auxiliis his iterum occurrere audet ratus, si victoriam sperare non liceret, predam saltem et captivos eriperet. Sciebat enim Ungaros populatis tot ditissimis regionibus usque adeo redire onustos, ut ne facile quidem metiatur quisquam. Multo plus auri et argenti ex Bavaris, Francis et Saxonibus plane retulerant, quam imperante Carolo Magno Franci quondam direptis Pannoniis asportarant. Lodovicus igitur conserto iterum cum Ungarica gente prelio non modo predam et captivos non recuperavit, sed ingenti accepta clade vix evadere potuit. Maxima Germanorum pars obnixius resistere ausa non modo ingenti a rege pecunia vix redempta, sed, ut id assequeretur, stata quotannis tributa solvere adactus est. Cum Ungari primos Ungarie fines attingissent, ut de tot clarissimis uno eodemque tempore provinciis, que antequam in populi Romani potestatem quondam redacte fuissent, tot expeditiones facte, tot cese legiones, tantum sanguinis fuerat effusum, triumphare viderentur, universam predam et captivorum multitudinem in pompam redigunt, que quidem pompa victorum agmina equare videbatur. Occurrebant undique spectatum congratulatumque ceteri, qui remanserant, et cum tanto plausu ex pagis ac oppidis victores excipiebant, ut nullum Ungarie diem hoc candidiorem illuxisse dixeris. Nulla uxor cum liberis viro gratulatum obvolavit, que spoliis onusta non redierit. Tanta servitiorum copia fuit, ut preterquam in ubertate Pannonie alibi fame absumpta facile fuisset. Tunc Scythice primum matrone ancillas admiscrunt civiliusque vivere didicere; servitia, ne cessarent aut seditionem molirentur, partim agros colere pecuariave curare, partim cum dominis militare. Exuviis hostium Martis Herculisque templa completa sunt, cetera preda viritim divisa. Hac igitur expeditione Pannonia tot bellis exhausta ita auro et argento repleta est, ut nullis respublica civium vectigalibus indigeret nullaque decussa pecunia preterquam externa uteretur.

Reversi in patriam Ungari totam eam hiemem domi trans-

egere, recreavere ac refecere corpora superiore expeditione defatigata. At ingruente vere, ne tempus frustra tererent neve fortunam aspirantem per ignaviam remorarentur, aliam expeditionem ineundam esse censent, quare procerum decreto adversus Grecos sumenda arma decernunt. Videbant enim se inter duo potentissima orbis imperia esse collocatos; hinc Romanorum imperio premebantur, quod in Francorum manus pervenerat, hinc Grecorum, qui Pannonias bello sepe vexarant; superiore anno a Germanis et Francis pro acceptis iniuriis penarum sat exegerant; nunc Grecos superesse, quos si vicerint, non modo in perpetuam libertatem facile asserturos esse sperant, verum etiam labefactato utroque imperio quandoque posituros non diffidunt. Cum hucusque sibi post Arnulphi mortem prospere omnia successissent opinionemque superassent, animos a superiore fortuna concipiunt augentque ac maxima queque sibi facile promittunt. Accedit et illud, quod vires nunc sunt longe quam antea ampliores, corpora laboribus obdurata et animi experientia exactiores fortioresque. Proinde Mysiam superiorem, Illyricum, Thraciam Macedoniamque incursionibus rapinisque lacessunt. Ita magnos ac diversos comparaverant exercitus, ut varias eodemque tempore regiones invaderent, quod haudquaquam temere quandoque fit et in sterili vel maxime regione, ne qua fortasse commeatuum inopia laborarent. Dum cedibus et incendiis usque-quaue vagantur abactisque pecoribus ac hominibus omnia diruunt, ita Constantinum, qui cum Alexandro patruo imperium gesserat, perterruerunt, ut multas urbes sibi subditas vi adactas Ungarice genti quotannis tributa pendere pateretur.

Cum bellum hoc e sententia successisset, in Bulgaros peregrinosque populos arma vertunt. Bulgari nanque Sclavorum genere nati, quando consimilis est utrisque lingua, e Scythia velut illi prodentes traiecto Danubio in Mysiis consedere, qui, cum Thraciam, Illyricum et Macedoniam armis sepe vexassent, diu cum principibus Grecorum bella gessere, varie inter utrosque intercessere victorie, in eorum tandem dicionem concessere. Hi cum Ungaris dimicare ausi et ad interneconem fere redacti stato quotannis stipendio multati sunt. Tam prospero ubique successu res Ungarorum eo evecte sunt, ut nihil usque adeo arduum et difficile foret, quod ingenio et viribus assequi non confiderent. Nondum imperandi desideridit Ungarorum immensa libido nec rapinis et cedibus adhuc gens aspera satiatur; tanta populorum fecunditate pullularat, ut remotas quoque nationes inundaret.

Tres sibi prepollentes ea tempestate potentatus verebatur, ex quibus Francos et Grecos gravi bello confecerant; Itali supererant, qui Berengario principe sibi iura imperii usurparant. Quare in Italiam innumerabilem fere exercitum parat, ut, quod Atila prestare non potuit, clarissimum imperii Romani nomen extingueret. Accedebant factiones Italie, quibus ultro ad maxima cepta hortabatur. Ipsa quoque assiduo semper bello vexata pro referenda vice ceteras nationes nullo frui otio patiebatur. Italiam igitur sub Sergii

tertii pontificatu et Lodovici imperio, cum Berengarius in Italia usurpavit imperium, Ungari adoriuntur, per Foroiulianum agrum iter faciunt, quod quidem Italie semper exitio barbaris natura patefecerat. Cum horum adventum Berengarius accepisset, cum quindecim milibus equitum ad Italie fines occurrit, quem primo congressu Ungari profligarunt. 123;

Leoprandus eos primo congressu spectata Italorum multitudine sibi parum confisos e Patavino agro ad hibernandum in Pannonias rediisse tradit, ut rem tanti momenti, cui tantum glorie ac utilitatis inesset, si consequi possent, maioribus longe viribus adorirentur; in sequente vere Italiam cum tanto apparatu repetiisse, ut maximos ac validissimos quosque exercitus facile protererent, Aquileiam, Patavium Veronamque nemine resistente preteriisse, pervenisse Ticinum; Berengarium habito delectu et auxiliis ex tota Italia evocatis in Transpadana regione occurrisse militumque spectata multitudine prepolluisse; contra Ungaros numero impares ac annum interiectu animo consternatos ad extrema fere fuisse redactos, quando pre hostium multitudine desperata victoria prelium conserere non audebant fugamque rapere flumina prohibebant; demum, cum fugere magis quam dimicare decrevissent, dum Abduam fluvium natando traiciunt, quamplurimos pre nimia festinatione fuisse demersos; trans Abduam positis castris per internuncios Christianos orasse, ut se dimissa preda incolumes redire paterentur; ne id quidem ab Italis impetrare potuisset; Berengarium oppidulo tempus cum voluptate trivisse; Romanos potius de vinculis, quibus Ungari vincirentur, quam de armis, quibus cederentur, cogitasse; ad postremum, cum hostes fuga salutem quererent in Veronensemque agrum palantes fugerent, in novissimo agmine ab insequentibus prelium fuisse initum, quo superiores fuere Ungari; sed, ubi ad Brentam fluvium perventum est, dirimente utrosque amne Ungaros iterum impensius orasse, ut preda, captivis, armis, equis et universis denique impedimentis dimissis preterquam uno concesso viritim equo, quo per se quisque domum repetere posset, incolumes abire liceret, neque tamen impetrare potuisset; per insolentiam id Romanos sepe respondisse, si a mortuis munera canibus acciperemus fedusque cum canina gente percuteremus, 124 125 126 127 128; 129 130 131 132 133

Nos capite insanos sanus iuraret Orestes;

insolentissima verba Ungaros eo adduxisse, ut fortissime pugnando mori maluerint, quam aliquam cum turpitudine sperare salutem, cogitantes ablata spe fuge nil satius esse, quam cuentam hosti victoriam relinquere, mortem morte fugere, ex honesto interitu gloriosam sibi vitam querere; fortunam quandoque fortium virorum amicam; Martem sepe fugientem militem potius insequi quam fortiter dimicantem et cuncta deorum numina benignum equumque victorem fovere solita, insolentissimum contra perdere. Quare, ut Leoprandus longe prosequitur scriptor quidem non aspernandus, dum mutua se exhortatione confirmant, mox tripartito his insidias 134 135 136

obducunt. At illi, dum internuncios prestolantur, cunctatione defa- 137
 tigati magna ex parte equis desiliunt, ut corpora curent. Dum se 138
 ex mora tutos arbitrabantur, ecce Ungari educta veteranorum vali-
 dissima acie traiecto flumine medios adoriuntur penetrantque, cedem
 inauditam patrant et tot viros pre nimia celeritate confodiunt, ut
 multis ientantibus cibum in media gula transfigerent; nonnulli 139
 ereptis equis fugam inhibere eosque lentius iugulare, in obstantes
 vehementius ruere, campos ubique cruore inficere. Augebant intes- 140
 tina cladem odia, nam tantus eos livor incesserat, ut plerique
 pugnam remoti detrectarent, ut proximi, quorum mortem anhelab-
 ant, pre oculis trucidarentur; quod idcirco faciebant, ut ipsis de-
 inde liberius regnare liceret. Mutua enim Italorum invidia, simul- 141
 lates et odia non solum imperium, gloriam, otium et fortunas abs-
 tulere, verum etiam fuere cause, quibus hec omnia funditus per-
 irent. Profusam demum fugam rapiunt, instant contra deseuiuntque 142
 hostes et, qui prius veniam nullis precibus ac muneribus invenerant,
 supplicantibus deinde parcere nesciebant; cesis maxima ex parte
 Christianis ceteri per fugam elapsi sunt. Scythicus furor ulterius 143
 coerceri non potuit, Transpadanam passim regionem diripit vastatque.

Scriptores plerique id addunt aliquantulum a superiore narra- 141
 tione divertentes post fugatum in Ungarie finibus Berengarium Un-
 garos, cum in Taurisimum agrum erupissent et cuncta longe late-
 que vastassent, Taurisium quoque vi captum spoliasse; dum Medi- 145
 olanum post hec contendere statuunt, Venetorum opibus ac fama
 remoratos ab instituto agmen itinere ad eorum sinum divertisse.
 Quorum urbem, ut aiunt, cum sine classe expugnare nequirent, 146
 lembos tumultuarios fabricantur, quos, ut, celerius facerent, asseres
 pellibus rite conglutinant. At comparata huiusmodi classe primo 147
 impetu Civitatem Novam capiunt, mox per litoreas insulas late
 bacchantur. Equilium caput aggeris Clodiamque, quam nunc Clugiam
 dicunt, exinde populantur. Additis ex hoc animis ad occupandum 148
 Rivum Altum se accingunt, sed, cum alia tunc urbis forma et mun-
 itio foret, voti compotes esse nequiverunt. Petrus enim cognomento 149
 Tribunus ea tempestate Venetorum dux, cum Ungaros in Pannonia
 consedissee cognoverat Unnorum quidem posteros, quorum sevitie
 evitande causa in palustres insulas veluti in profugorum asylum e
 Venetia quondam populi convolarant, exemplo urbem, quod natura
 loci abhorrere videtur, a Rivo castelli ad edem dive Marie in Iu-
 banico nominatam perpetuo muro cingendam, Canalem vero ma-
 gnum appellatum ferrea catena claudendum curavit. Verebatur enim 150
 vir ille sapientissimus, ne, veluti Unnorum duce Atila terror con-
 dende urbis causa fuerat, ita Ungarorum furor conditam extirparet,
 ne ab eadem infausta natione initium simul et exitium Veneti pe-
 culiari quodam fato sortirentur. Tantum viri prudentia valuit, ut pa- 151
 triam ingenti periculo liberarit. Cum igitur Ungari Clodia moven-
 tes litus cepissent, quod contra Methamanchum est, ut inde per
 Albiolam Methamanchi Albiolaque potirentur, Veneti Petro duce
 obnoxius obstitere. In variis quoque locis acerrime pugnatum, per 152

que barbari multitudine freti irrumpere conabantur. Et, cum diebus 153
 aliquot undique ad festum usque divi Petri Paulique diem oppu-
 gnassent, tandem desperata victoria, quando munitissima et prepo-
 tenti classe et non tumultuaria et commenticia opus erat, se in Pa-
 tavinum agrum ad castra receperunt. Iam primus annus Ungarorum 154
 in Italiam ingressus agebatur, cum Berengarius publice saluti con-
 sulens datis obsidibus ingentique pecunia se universamque Italiam
 a barbarica servitute redemit.

Eodem quoque tempore imperante apud Grecos Constantino, 155
 cum Romanus prefectus eius Apulos, Calabros nonnullosque po-
 pulos sub imperatoria condicione facile retinere non posset, homo
 facinorosissimus quoque scelere perditus Saracenorum regem cum
 maxima classe in rebelles sibi Calabros Apulosque concitavit. Qui, 156
 cum ad extremam Italie oram appulisset, Calabros Apulosque, Sa-
 lentinos et Lucanos non modo Greco imperatori servire coegit, sed
 cedibus, incendiis et rapinis sic afflixit, ut ad internecionem pene
 redegerit. Item a Supero Inferoque mari et a freto Siculo ad urbis 157
 usque menia Rome ita omnia occupavit, ut deleta Constantinopoli-
 tane dicionis memoria barbarico et profano cuncta imperio vendi-
 caret. Cui quidem malo nisi Iohannes decimus pontifex maximus 158
 vir circumspectus et magnanimus prospexisset, iam de orthodoxa
 simul fide Italaque salute fuisset actum. Hic enim Albericum Etru-
 rie principem magistrum equitum declaravit, qui habito repente
 delectu et coactis undique auxiliaribus copiis imprimis profanum
 hostem e Latio reppulit. Fugientem insecutus ad Lirim fluvium, 160
 quem nunc Garlianum appellant, conserto prelio profligavit partaque
 victoria Romam ovans ingressus est. Saraceni accepta ingenti clade 161
 consternati in Garganum montem confugere, unde munita arce mul-
 tis postea temporibus Italiam longe lateque vexarunt.

Post hec inter optimates urbis dissensio oritur; magna Albe- 162
 ricus, quem pontificis fratrem plerique reputabant, afficitur invidia;
 urbe Roma propter livorem et ingratitude eicitur. Qui Ortam 163
 Etrurie oppidum confugiens contra invidorum impetum se accura-
 tissima munitione tuetur et, ut Romanorum ingratitude et invi-
 dorum iniurias abunde ulciscatur, ad Ungaros litteras mittit, quibus
 eos hortatur et exorat, ut ad capiendam urbem Romam, qua nun-
 quam hucusque potiri valuerant, maximis exercitibus Italiam repe-
 tant. Quod si fecerint, facultates viresque suas non ignobiles polli- 164
 cetur; fedus cum Berengario imperatore initum rescindant. Oblatam
 Ungari occasionem gens imperandi cupidissima haudquaquam pa-
 tiuntur elabi. Insanos extemplo comparant exercitus, per Illyricum 165
 iter faciunt et usitata quondam via per Foroiulianum agrum et
 Venetiam in Flaminiam erumpunt, oppida et vicos passim diripi-
 unt. Contempto Alberici mandato, qui in Romanum agrum eos acci- 166
 verat, in Etruriam penetrant, quam ex compacto Albericus salvam
 et incolumem fore iusserat; eam cedibus universam fedant, incen- 11.7
 diis et rapinis omnia vastant, universam imbellium multitudinem,
 que aut ex clade supererat aut fuga nequiverat elabi, in servitutem

assertam in Ungariam abducunt. Postquam igitur Ungari ab Alberico in Italiam evocati sunt, opulentissima eius preda deinde allecti quotannis fere, ut Ricardus auctor est, populandi causa, ut, quicquid remanserit, eraderent, repetere consueverunt. A duplici tunc gente eademque immitissima veluti a duplici lupo misella dilaniebatur Italia; a Tiberi enim amne usque in Calabros et ab Aterno, quem Piscariam dicimus, in Salentinos, quicquid erat, Saracenus populatur Afer, ceteram vero partem Dalmatie Pannonique finitimam Ungarus incursat. Berengarius autem, cum utrique hosti obstare non posset, in Cisalpinam Galliam imperii sui vires revocarat ibique pro virili parte se tuebatur et cuncta Italie mala tanquam a specula tristis prospectabat.

Hac igitur tempestate defuncto Lodovico Corradus Francorum genere oriundus vir domi forisque clarus omnium consensu populorum imperator creatur, quo quidem imperante varii principes amplissimis potentatibus freti claruere, ex quibus imprimis Arnulphus Bavarie dux, Burchardus Suevie, Eberardus Francie, Gisilbertus Luringie atque ceterorum, quos diximus, potentissimus Henricus, qui Saxonibus et Turingis imperabat. Secundo imperii anno hi principes a Corrado defecere imprimisque Henricus sue gentis robore fretus rebellavit, sed Corradus prudentia ac viribus pollens ad gratissimum omnes obsequium revocavit. Solus Arnulphus Bavorum dux terrore percitus nequaquam Corradi misericordie fisus cum uxore ac liberis ad Ungaros confugit, ne Corrado invitus parere cogereetur neve facile contumacie sue penas exolveret. Et hac mente abiit se nunquam rediturum, donec infensum sibi imperatorem extremum diem clausisse noverit.

Imperante Corrado Berengarius rex Italie diem obiit, cui Berengarius secundus eius filius in regno successit, quo quidem regnante Lodovicus Bosonis filius, qui Romane provincie et Burgundie rex erat, per Taurinos Italiam ingressus a Berengario secundo victus et captus est atque ea condicione dimissus, quam iureiurando asseveraverat, se nunquam posthac cum exercitu in Italiam rediturum. Sed paulo post non servata condicione ac rescisso federe per Tridentinos in Italiam reversus imprimis Veronam occupat, sed a Berengario mox obsessus, cum Veronenses urbem dedidissent, cum copiis interceptus eritis peierator oculis dimissus est. Berengarius Burgundionum victoria potitus ad redintegrandam Italie quietem animum advertit, quam assequi desperabat, ni cum Ungarorum ferocissima gente pacem ac fedus iniret, quippe qui quotannis incursionibus et rapinis Italiam vexare solebant. Quod ubi factum est, Ungari rabiem, qua in Italos diu seivere consueverant, in regiones alias plane verterunt. Alemanos repetunt, quos bello sepe sollicitarant, atque solita crudelitate diripiunt et trucidant, quod quidem immanitatis vitium apud hanc gentem nondum exolevit. Neque adhuc icto cum Ungaris federe quiescit Italia, quando populus Romanus Alberti Spoletani ducis functus auxiliis obsessa Orta captoque Alberico, qui in Italiam Ungaros evocarat, cumulatissimas

de patrie inimico penas sumpsit. Interea Saraceni, qui in Gargano monte conederant, Apulia Calabriaque vastata Beneventum vi caput- 181
tum incendunt. Adaucis animis regnum amplificare conati a multis 182
oppidis promissa obsequia accepere, sed a Guidone repressi Romanis finibus excessere.

Ast, ut ad Ungaros redeamus, post factam cum Berengario imperatore pacem populatamque Alemaniam ingrediuntur Alesatiam, 183
quam cum Saxonia pariter predantur et ex eorum instituto cedi-
bus omnia complent ac homines cum pecoribus abigunt. Sed ad 184
Moresburgum Germanie oppidum, quod in Saxonum, Turingorum
et Sclavorum finibus situm est, ab Henrico rege gravissima clade
affecti sunt. Nam, ut Leoprandus tradit, Corradus, ubi mortem propius 185
adesse conspicatus est, advocato procerum concilio Henricum
Saxonum et Turingorum ducem regem et imperatorem creandum
esse censuit, cuius paulo post exspirantis auctoritate omnium suf-
fragiis ad imperatoriam dignitatem evectus est et tunc primum a
Francis in Germanos translatum est imperium. Cum omnes ei prin- 186
cipes legitima obsequia solverent, Arnulphum tantum habuit adver-
sum, quippe qui cum uxore ac liberis post Corradi mortem ex
Ungaria reversus et honorificentissime non modo a Bavaris, sed
Francis quoque orientalibus susceptus et, ut oblatum sibi regnum
obiret, hortatus Henrici imperio adversari ceperat. Henricus id egre 187
ferens coactis magnis copiis in Bavariam contendit; extra Bavarie
fines Arnulphus occurrit. Cum utrinque instructe acies constitissent, 188
Henricus vir sapiens, ne quid temere ageret, quod penitentia sub-
sequeretur, ad singulare colloquium Arnulphum vocat, ibi mitissimis
verbis sibi hominem reconciliat creandorumque pontificum po-
testatem in regione Bavarie, quod maiores eius nunquam assequi
potuere, sponte donat. Is Henrici oratione victus depositis armis 189
debitum pollicetur obsequium semperque recepit se pro imperatore
dominoque suo Henricum unicum habiturum. Compositis his rebus 190
Ungarorum incursiones, rapine ac cedes vulgo referuntur, quibus
cum ad illud, quod diximus, oppidum occurrisset, cesis fugatisque
Ungaris recuperata preda ac ingenti captivorum manu memorabili
victoria potitus est.

Dum hec omnia ita geruntur, ecce miserrima in pristina mala 191
recidit Italia. Nam, dum Berengarius secundus icto cum Ungaris
federe Romanum imperium instaurare conatur, tyranni, quibus eius
potentia formidolosa videbatur, Rodulphi Burgundie regis suasioni-
bus agitati eum e Galliis in Italiam advocant, cuius viribus Beren- 192
garium imperio eiiciant. Rodolphus Italiam ingressus factionibus
optimatum eiecto Berengario tribus tantum annis rerum potitur, sed
Italas artes et intestina odia Ungarica continuo ulciscitur immani-
tas. Berengarius enim ad Ungaros, quos sibi semper amicos habere 193
studuerat, repente confugit, eorum opem, ut in imperium restitua-
tur, implorat. Ungari Salardo duce Italiam repetunt, quacun-
que iter faciunt, omnia rapinis, cedibus et incendio vastant. At, ubi Tici- 194
num pervenere, obsessam urbem vi ceperunt captamque ferro igni-

que absumere conati sunt. Quicumque Rodulphum in Italiam ad-¹⁹⁵
 vocarunt, cum parum in eo presidii esse intuerentur, contemplo
 eo Ugonem Arelatensem principem acciunt, qui magnis exerci-
 tibus Italiam ingressus imperioque potitus suspectos optimates, a
 quibus fuerat accitus, ne se iuxta ac Rodulphum tractarent, dato
 Samsoni negotio, qui legionis prefectus erat, omnes in exilium egit.
 Neque sat Ugoni providentia profuit, nam alii optimates et vel¹⁹⁶
 maxime hi, qui nuperrime exilio multati fuerant, Arnoldum Bava-
 rorum ducem in Italiam evocant, qui adita extemplo Italia a prin-
 cipio Veronam venit et admissus a civibus rex Italie ac imperator
 a populo consulatus est. Quo cum Ugo cum maximo equitatu¹⁹⁷
 multisque cohortibus occurrisset, conserto prelio profligatur Arnol-
 dus. Berengarium secundum Italia eiectum, qui ad Ungaros confu-¹⁹⁸
 gerat, quorum semper amicitiam et auxilium omni studio, fide of-
 ficioque coluerat, plerique in Ungaria, apud Suevos alii obiisse
 tradunt. Tertius vero Berengarius primi Berengarii ex filia nepos¹⁹⁹
 ab exilio multis auxiliis adiutus in Italiam rediit, sed quorum po-
 tentatum ope id fecerit preterquam Ungarorum, haud satis com-
 pertum habeo. Hic, cum suarum partium promissum favorem et²⁰⁰
 auxilium non invenisset Ugonemque in se arma parare sensisset,
 ab incepto destitit in Sueviamque se recepit. Id autem Ioanne²⁰¹
 decimo pontifice maximo a Christiana salute anno nongentesimo
 trigesimo quinto plerique accidisse prodidere. Eadem tempestate²⁰²
 Saraceni cum ingenti classe Genuam appulisse dicuntur, quam
 ubi expugnarunt, inaudita omnis etatis ac sexus cede patrata
 immaniter cuncta diripuerunt, incredibili preda ditati in Africam
 rediere.

Sed, que et quomodo nonnulla Corradi Henricive temporibus²⁰³
 gesta sint, ex Ungarorum breviter annalibus haud ab re adiicienda
 esse duxi. Referunt enim eos post Moraviam et Bohemiam hostili²⁰⁴
 manu populatas, que ultra Danubium magne Germanie partes sunt,
 citra Danubium mox arma vertisse imprimisque finitimas sibi Car-
 norum ac Noricorum regiones, quas Carniolam, Carinthiam Styriam-
 que nunc dicimus, superioris Pannonie caput attingentes inva-
 sisse; dum eorum incursiones ac imperium Gothfredus Moravie dux²⁰⁵
 et Eberardus Carinthie princeps cum Gregorio Aquileiensi patriar-
 cha coercere nituntur, acerrimam pugnam conseruisse, ubi, quam-
 vis multi ex Ungaris occubuissent, desideratis tamen ducibus pro-
 fligatoque patriarcha Alemanos quoque fusos et fugatos fuisse; at²⁰⁶
 illos direptis tribus regionibus preda oneratos in Pannoniam cum
 victoria rediisse; Corradum levis imperii sui finibus admodum com-
 motum Augustam Vindelicam petiisse, ut comparato exercitu se-
 cundo amne Pannonias adoriretur immanitatemque Scythice gen-
 tis omnium populorum otia perturbantis pro viribus ulcisceretur,
 sed Italorum factionibus remoratum ab incepto destitisse. Quin²⁰⁷
 etiam addunt Ungaros post hec tribus annis quievisse, quarto vero
 in Bulgaros memorabilem expeditionem suscepisse, in qua, cum
 omnia e sententia evenissent, cepisse hostium castra, civitates et

oppida expugnasse, omnia eorum spolia tot annis parta, item, quicquid auri argentique illis erat, asportasse, abegisse armenta omnia et ad nostra usque tempora erepta illis oppida retinere commemorant; 208
 item post hec Italiam, quam sepiissime infestabant, repetiisse; Patavium igni ac ferro ab his absumptum; adita Gallia Cisalpina Liutharium Vercellensem episcopum populata basilica trucidasse; 209
 demum universa Gallia spoliata opulentissimos in patriam fuisse reversos, deinceps annos decem servasse quietem; deinde Saxoniam, Turingiam, Franciam et Burgundiam incursasse; dum preda onusti 210
 redeunt, ab Alemanis ex improvise interceptos grave cum his prelium commisisse; fugatis hostibus tria Ungarorum milia cecidisse, 211
 qui vero pugna superfuere, reversos in patriam annos circiter sexdecim quievisse. Preterea, cum diutino otio uti non possent, quando ad 212
 flagella gentium nati fuerant, Sueviam repetunt, obsident Augustam. Urbanum Corradi primi iussu urbi cum Italo Alemanicoque exercitu 213
 subvenisse, quod quomodo temporibus congruere possit, haud facile dixerim, cum annis hic septem tantum imperaverit et hec omnia, que diximus, sub Corrado primo gesta eorum annales fuisse prodant. Ex quo facile annalium deprehenduntur errores et non gestorum, cum non modo hec Ungari, sed longe maiora omnium scriptorum testimonio gesserint. Sed, que referunt, prosequamur. Ungari ab utroque exercitu in Auguste obsidione obcluduntur et ita, inquam, obcluduntur, ut obsessi potius quam obsidere viderentur; nam hinc fluvio ex inundatione excrescente, hinc ab Alemano Italoque hoste arcebantur; nullus fuge patebat exitus. Alter Ungarorum exercitus haud procul ab Augusta in sylva delituerat et, suis qua arte subveniret, haud facile succurrebat. Numerus erat quadraginta milium, li, dum suos sentiunt partim obtruncari crucibusque suffigi, partim in captivitatem duci, alterutrum hostium exercitum secedentem prestolantur; quod ubi factum est, Corradi copias ad Rhenum descendentes adoriuntur; ex quibus tot capiunt, quot redimendis rependendisque suis sat esse poterant. Ne spes quidem eos frustrata est, quando ex his, qui circumventi fuerant et capti, quicumque superfuere, facta commutatione restituti sunt. Ex his, qui cesi sunt, nobile Lehelis facinus predicant; hunc cum 219
 Bulcho captum ad Corradumque ductum referunt. Post hec percontanti principi, cur tam diro Christianos animo insectarentur, eum ita respondisse aiunt. Humanorum, inquit, scelerum sumus ultores et ad supplicia vestra a deo editi; cum vos persequi desinimus, tunc a vobis irato numine capimur et obtruncamur. Admiratus hec 220
 imperator optande mortis potestatem obtulit. Lehel, antequam optaret, tubam, qua in bello utebatur, postulavit, qua data Corradi caput letali vulnere extemplo confregit. Preibus, inquit, ad inferos 221
 et ibi mihi servies. Credebant enim Scythe, quoscumque in hac vita cederent, eorum in altera servitio esse potituros. Sed, quid credendum sit, quando hec tempori parum quadrant, alii iudicent.

Ceteri redemptis sociis ultra progredientes ditissimum Ulte cenobium predantur traiecto que Rheno Lotoringiam invadunt. Apud 223
 224

Argentam occurrentem sibi Erardum eius provincie ducem et Bertoldum Brabantie tyrannum conserto prelio captos obruncant. Deinde victoria elati per Gallias effunduntur, templa passim diruunt et incendunt. Metensem, Trevirenses et Aquisgranensem agrum incursant. Omnia et sacra et profana populantur cedibusque fedant. Senones diripiunt, Sagusam et Taurinam diruunt. Per Alpes denique in Italiam relati direpta Transpadana regione in Pannonias ditati redeunt ac XX annis in otio permansere.

Exacto hoc otii tempore fastidita quiete post hec ab Ungaris in Bulgaros instaurata expeditio. Hydropolis expugnatur. Thraciam ingressi, ut intermissum a Grecis tributum recuperarent, Constantinopolim acerrima obsidione circumveniunt. Tunc Grecus quidam Gigantee proceritatis roborisque ex urbe prodiens ad singulare certamen Ungaros provocat, quin etiam se cum duobus una depugnaturum pollicetur. Cui Bolhondus Ungarus obversatus, Ego quidem, inquit, Scythice gentis minimus tecum singulari pugna decertare dedignarer, nisi duos tibi socios adiunxeris, quorum exituram tibi animam alter observet, alter cadaver tibi humandum curet, quare imperatorem vestrum omnino nostre gentis vectigalem tributariumque reddam. His dictis Opouri ducis imperio in obiectam urbis portam suas vires experiri iussus vibrata bipenni ita portam illisit, ut infantibus pateret ingressus. Statuta temporanea pro menibus monomachia, cum uterque in certamen descendisset, postquam aliquamdiu decertatum est, interfecto tandem Greco Ungarus victor evasit. Imperator cum uxore ac civibus a muris despectantes, infausta belli auspicia dum egre ferunt, faciem avertunt, e singulari pacto certaminis Ungari tributa repetunt. Dum Grecorum principi ludibrio habentur, longe maiore furore succensi Grecorum passim vicos et oppida diripiunt et incendunt tantaque sevitia usquequaque grassantur, ut exinanita ubique Grecia Macedoniaque opulentissimi redierint. Sed de his hactenus, que veluti digressoria narratione retulimus.

Ad Henrici exitum redeamus, qui primus e Francis in Germanos imperium transtulit Germanieque regnum cum laude gessit. Post eius mortem Otho filius suffectus est, qui Matilde Theodorici Saxonum regis filie suspectus erat. Otho non minus animi quam corporis dotibus excellens mira virtutum commixtione conditus erat; nam in bello ingens ac ferox animus, alioquin comis et benignus et preter patrie morem perquam humanus. Pro domandis Germanorum hostibus elsi multa feliciter gessit, nullum tamen tutius feliciusque gessit, quam id, quo rebelles contumacesque proceres equanimitate, clementia et comitate in amicitiam societatemque reduxit. Et ea vel maxime ratione fidelissimos habuit, qua se absente Saxones Ungaricam gentem agrum longe lateque predantem clade usque adeo magna confecerint, ut ad multorum otium annorum revocarint. Deinde Henricus Bavarie dux, ut Italie commodo bene consuleret, Aquileia capta in proximas urbes castra movit. Ungari quietem abominati veluti resarciende iacture ignavie gratia Italiam

repetentes Iustinopolim proficiscuntur. Et, dum ultra progredi con- 243
 tendunt, Henricus occurrit, quos uno alteroque prelio ita profliga-
 vit, ut relato pede Pannonias repetierint. Henricus victoria elatus 244
 Ticinum usque Transpadanum agrum incursat, sed, ubi Berenga-
 rium, qui cum Lothario Ugonis filio in Italia regnare ceperat, mul-
 tas in se cohortes ac maximum equitatum comparare novit, con-
 tinuato itinere in Austriam se recepit. Vix Berengarii opera tumultus 245
 Italie plane desederat, cum Toxis Ungarorum rex, quem ipsi
 Toxun dicunt, divi Stephani regis avus et Geyse pater, cum Henri-
 cum in Italia pulsus Ungaris regnare rumor esset, incredibili copia-
 rum apparatu Italiam invadere statuit, ne Bavaros in Italia domi-
 nari pateretur et ut contumeliosam sue gentis repulsam ulcisceretur.
 Itali audito Ungarorum apparatu, quem, ut fieri solet, multo maio- 246
 rem fama reddiderat, ingenti pavore deterrentur. Berengarius tertius, 247
 cui non prudentia minus quam fortuna favit, Albertum filium ad
 exorandum Toxim extemplo misit obviam, ut in promissa ingenti
 pecunia Scytharum tempestatem deprecaretur. Ita victus adolescen- 248
 tis promissis et precibus est Toxis, ut acceptis decem argentei
 nummi modiis Italie parceret Pannoniasque repeteret.

Post hec pacata Italia Berengarius Alunda Lotharii uxore in 249
 carcerem coniecta post viri mortem, qui solo nomine regni frueba-
 tur, Albertum filium data Lombardia Italie regem pronunciauit, se
 vero Augustum et imperatorem Romanum appellavit. Verum enim- 250
 vero eorum imperiosa tyrannis cum omnibus fere odio esse cepis-
 set et de pontifice ac optimatibus uterque male mereretur, Otho-
 nem in Germania et Francia res magnas cum summa laude ge-
 rentem Agapitus pontifex maximus et pars maxima procerum in
 Italiam convocant ac rebus opem afflictis exposcunt. Oblatam in- 251
 gentis glorie occasionem accepit Otho; quinquaginta milium com-
 parat exercitum et usitata per Foroiulianum agrum via Italiam adit.
 Cum Berengario et Alberto congressus utrunque superat. Potitus 252
 Italia Alundam Lotharii quondam uxorem apud Ticinum carcere
 liberat liberatamque uxorem accipit. Victis ac supplicibus Berenga- 253
 rio Albertoque filio non solum facile pepercit, sed Lombardiam
 omnem preter Veronam et Aquileiam precario nomine gubernandam
 delegavit. Albertus paulo post apud Ravennam mercatores Venetos 254
 variis incommodis affectit, quippe qui Comaclensium classe fretus
 Adriaticum sinum piratico more late discurrens Venetos admodum
 infestabat. Quare adacti Veneti tumultuaria classe Comaclum adori- 255
 untur, incautum atque mox vi captum una cum oppidana classe
 succendunt. Dum Berengarius et Albertus in Cisalpina Gallia et
 Flaminia dominantur, Greci simul et Saraceni Apuliam, Calabriam,
 Lucanos et Salentinos miserabili bello vexabant. Romana respublica 257
 a duobus consulibus more maiorum et prefecto urbis, qui populo
 ius dicebat, XI'que tribunis e plebe delectis eo tempore regebatur,
 quorum magistratus decarchon Grece, Latine decemviratus diceba-
 tur. Et, quicquid ab Etruria intra Tudertum et Urbem Veterem, 258
 item intra Marsos, Reatinos atque Neapolim continetur, Romane

reipublice dicionis erat.

Otho Ugonem Parisiensem, ut aiunt, comitem in Ludovicum 259
 Francie regem nova molientem duplici expeditione ad regie pote-
 statis obsequium rededit, Boizlaum Bohemie regem sibi quando-
 que reluctantem perdomuit. Quod Ungari iniquo animo ferentes 260
 instauratis utrinque odiis comparatis munitissimis legionibus et
 equitatu more plus quam hostili Germaniam repetunt rati Oihonem
 Francie rebus implicitum patriis populis haud facile subven-
 turum. At imperator Otho audita Germanie vastitate contractis undi- 261
 que auxiliis patriam repetit, Ungaris, qua potuit, pernecitate oc-
 currit. Cum acies utrinque constitissent, tantis ardoribus ac odiis 262
 ab utrisque concursum, ut supra excrescentem in medio cadave-
 rum aggerem diebus aliquot dimicarent; sola tantum nocte a pug-
 na cessatum. Quamvis tunc Germanis victoria cesserit et illa 263
 quidem cruentissima, Ungari tamen victi et superati dici non pos-
 sunt, quia nunquam cessere, sed obstinatissimis animis ad inter-
 necionem usque fere depugnarunt. Quo quidem bello, cum innu- 264
 mera multitudo occubisset, Ungarorum vires adeo enervate sunt
 et exhauste, ut multis annis in Pannonia ab omni se expeditione
 continuerint. Tres in eo prelio Ungarice gentis reguli capti sunt, 265
 quos Germani preter virorum dignitatem Othonis imperio, ut perpetuum
 nativis hostibus facerent stomachum, dum infami morte sugillarent,
 laqueo suspenderunt. Quare Othonis fama ita passim diffusa 266
 vagatur, ut ad liberandam a Ioannis XII. lue imperioque Italiam
 et a Berengarii seva tyrannide asserendam omnes ultro proceres ac
 populi convenirent. Otho vero tanti momenti expeditionem subitu- 267
 rus filium septimum vix nactum annum apud Aquisgranum Ger-
 manie regem declaravit, ipse cum multis legionibus in Italiam pro-
 ficiscitur. Ne defuere quidem nonnulli Italie populi, qui montibus 268
 editissimis freti Saracenorum adversus Othonem auxilia implorarunt.
 Ioannes vero pontifex omnis intemperantie nota sugillatus duos car- 269
 dinales, quos Othonem litteris accersisse noverat, alterum naso,
 manu alterum mutilasse fertur. Otho pacata Italia Berengarium Al- 270
 bertumque filium in suam potestatem redactos alterum Constantino-
 polim, in Austriam alterum relegavit, qui squalore situque obducti
 miserrime periire. Hunc igitur finem, postquam Franci Italie regno im- 271
 perioque eiectione sunt, imperatores, reges et tyranni Italia oriundi, qui ad
 annum usque quintum et quinquagesimum imperarunt, sortiti sunt.

Sed ad Toxim redeamus Stephani beatissimi regis avum, de 272
 quo Ungaricarum rerum scriptores, que referant, noscere erit haud
 dubie opere pretium. Hic, cum omnium Scythice gentis procerum 273
 suffragiis regnum obiisset, ne ingrato Ungaricam ferociam otio
 torpescere pateretur et ut priscas Francorum iniurias et imperia
 ulcisceretur atque his imperare studeret, qui Caroli tempore diu
 Pannoniis imperarunt, Gallicam affectatius expeditionem suscepit.
 Cum provinciam per legatos invasisset eaque late direpta oneratus 274
 exercitus Rhenum in reditu traiecisset, quamprimum Germaniam
 attigit. In partes tris dividitur, ex quibus cum due sine honore, 275

contra vero tertia cum victoria Pannonias repeteret, quam victricem Saxones redire intellexerant, ad Isinacum Turingie civitatem adoriuntur; preter septem, quos vivos ceperant, ex hac ad unum omnes crudelissime trucidant. Septem, quos captivos reserant, ut illatam suis cladem referrent, amputatis auribus in Pannoniam dimiserunt. Quibus hec mandata dedere. Ite, inquit, ad vestros redite Ungaros et nostro nomine nunciate atque re ipsa et exemplo admonete vestro, ne suppliciorum regionem repetant. Due vero partes, que superfuerant, audito suorum casu, antequam Sueviam attigissent, spolia deiecere, ut expeditius dimicarent, depositisque spoliis, quicquid hominum pecorumque occurrerat, contrucidarunt magnificasque inferias ad placandos suorum manes factitarunt. Illi vero septem, qui auribus deformati rediere, quia cum suis mori recusaverant aut post eorum cedem in captivitate superstites esse passi fuerant, hac severa iudicum sententia multati sunt. Omnia eorum bona in erarium publicum relata, ipsi ab uxoribus ac liberis abdicati, nudis semper pedibus incedere, per singula in castris mendicare tentoria, nihil usquam, quoad vixerint, possidere iussi sunt. Perpetua demum ignominie nota his inusta, que a cognomento profluxit; Lazari nanque et mendici sunt appellati.

Sed Othonis mentio repetatur, qui profligatis Italie tyrannis Romam profectus honorificentissimeque in urbe admissus, quando universus Romanus populus in eius obscurum effusus fuisse dicitur, a Leone octavo pontifice maximo ex more imperiali corona donatus est et imperator Augustus appellatus primusque fuit, qui post translatum in Germaniam Romanum imperium imperiales titulos ac faustas acclamationes rite susciperet, quod in presens usque tempus observatum est. Quin etiam eo insolentie provecta est Germana superbia, ut ob hanc unam calamitosam et cruentam Othonis victoriam ex Ungaro neque fuso neque cedente relatam imperii quoque Pannonie titulos usurpet. Blandiri sibi potius ex re parva, quam alienam gloriam recensere studet; illud quandoque succurrere debuit, etsi Romanis aliquando formidolosa fuit, Ungarice tamen devitit, vastationis et rapine fuisse gymnasium. Utinam hec r' inus vere quam affectate cuique dicere liceret. Sed Itali sepius et Greci Ungaris incursantibus pependere stipendia aut eorum pacem carioris mercati sunt, quam fari liceat. Galli Europe populi haudquaquam ignobiles propter Unnorum incendia, vastationes et excidia vix per multa tempora respirarunt. Divinum Unno flagellum a principio e celo datum, Ungarice nunc dextre orthodoxe fidei propugnaculum. At re ac meritis potius quam nomine umbrave imperatorum nomen adipisci id omnium sapientum iudicio gloriosius iure censetur. Sed, quando apud nobiles plerasque nationes virtus elanguit ardorque glorie tepuit, cum omnium sit vicissitudo rerum, a peregrinis quandoque gentibus, si qua gestarum rerum gloria polleant, opus est, equo animo superari patiamur vel, si id pati nolimus, viribus et ingenio superemus. Sed ad diverticulum revocetur oratio.

Urbem Romam Otho imperator sepe revisit, ut pontificum
 contumelias et vexationes quandoque corriperet. Paulo post Sara-
 ceni, quos ad Garganum montem consedissee haud procul a Sipon-
 tino sinu ac Italiam diu vexasse diximus, quos neque Greca Ita-
 licaque nobilitas neque Gallicus denique Germanusve fastus eiicere
 potuit, a peregrina Sclavorum gente, que Dalmatiam olim occupa-
 rat, cum maxima cede extrusi dicuntur. Atque hi Sclavi fuisse
 affirmantur, quos sub Sueropylo rege Adriani secundi pontificis tem-
 poribus Christianos factos fuisse legimus. Quin etiam, si Crescen-
 tino metropolitae credendum est, Ungaros ille refert post Sclavos
 in Italiam classe delatos reliquas Sarancenorum copias, que re-
 manserant, extrema clade confecisse, quin etiam Grecis omnem
 eam Italiae oram Saracena manu liberatam redimentibus concessit.
 Paucis post annis, dum Otho in Germania versatur, Saraceni ma-
 gna cum classe redeunt et in Calabriam delati Consentiam metro-
 polim acerrima obsidione premunt et captam tandem populatam-
 que succendunt. Greci interea, ut sue populorumque saluti consu-
 lerent et Calabros, Salentinos et Apulos sine detrimento servarent,
 cum Saracenis indutias constituere. Pandulphus Campanus prin-
 ceptus Cephaleneus cognomento dictus, cum ad Othonis adventum
 Romam venisset, pontifici imperatorique suasit, ut is Germanicas le-
 giones, quas secum attulerat, ad expellendos Italia Saracenos conver-
 teret. Quare persuasus imperator Othonem filium bello haud dubie
 immaturum copiis prefecit Pandulphumque collegam vel moderato-
 rem potius adiecit. Saraceni audito Germanorum adventu corrasa
 undique preda in Africam abnavigarunt. Quod, si Greci, qui cum
 Saracenis federe coniuncti erant, resistere tentassent, haudquaquam
 facile illi abiissent.

Sunt, qui dicant Othonem expeditionem illam non in Sarace-
 nos, sed in Grecos suscitasse, qui desponsatam sibi Nicephori
 imperatoris Constantinopolitani filiam a patre tradi minime tole-
 rabant; Othonem iuniorem conserto prelio Grecos non modo fu-
 gasse, sed universa Calabria et Apulia eiecisse Romamque cum
 insigni victoria reversum, a patre imperii consortem ascitum et a
 Ioanne XIII. pontifice maximo triumphalibus insignibus rite donatum
 a populoque Romano imperatorem, Augustum ac Cesarem appel-
 latum. Sed, cum imperatores in Germaniam secundum coronationis
 celebritatem ambo rediissent, paulo post Vienne Danubii accolae
 Otho maior vita excessit. Otho igitur secundus extincto patre Hen-
 ricum Bavarorum ducem ab imperatoria fide desciscentem domuit.
 Interea Lotharius rex Francorum Lotoringiam invadit; dum Otho-
 nem Bavarico bello videt implicitum, capta provincia Aquisgranum
 agrum populatur Parisiumque revertitur. Otho pacata Bavaria Loto-
 ringiam recipit. In Galliam conversus Lugdunensium Suessionum-
 que agrum diripit et incendit ultraque profectus Parisiorum subur-
 bia ferro ignique vastavit.

Mox a Grecis Othoni in Italia bellum instauratur, nam Ba-
 silius et Constantinus nulla habita affinitatis ratione cum exactis

e Creta insula Saracenis pacta stipe conductis, ut oram Italie sibi ereptam recuperent, Barum imprimis urbem capiunt, quod ne amplius rebellare posset, eius cives partim cesi, partim in Greciam relegati sunt. Ultra progressi Matheram diruunt, quare Apuliam et Calabriam, cum ultro se dedidissent, in potestatem repente redigunt. Cum hec omnia Othoni nunciarentur, facta cum Lothario pace in Italiam rediit. Theophoniam uxorem Ioannis Constantinopolitani imperatoris sororem secum duxisse fertur. Sicardus auctor est Othonem prius, quam in Grecos copias duceret, Scлавoniam et Dalmatiam eorum provincias presidio carentes incendiis, cedibus et rapinis admodum affecisse; mox exercitum in Italiam traiecisse, venisse Romam ibique delectum habuisse et tumultuaria undique auxilia contraxisse, ad prestitutum omnes diem convenisse Romam, mox cum exercitu in Apuliam profectum ad Beneventum habuisse stativa, quo Beneventani, Campani et cum Salernitantis Neapolitani ex edicto convenere. Quibus ante ceteros ordines premissis ad Basentellum mox oppidum pre oculis hostem habuere; cum ibi congregi placuisset, pari utrique odio et ardore a principio dimicarunt. Sed, cum Romani Beneventanique ex acie profugi non solum prelium detrectassent, verum etiam signa deseruissent, cetera imperatoris copie omnibus fere auxiliis destitute dare terga cogebantur, quare non modo fuse et fugate, sed ad interneconem usque cese. Othonis quoque vires eousque enervate, ut, si Greci victoria potiri scivissent, iam tunc de universa Italia fuisset actum. Otho ad litus devolans cum scapham conscendisset, ut ea salutem fuga quereret, a piratis interceptus in Siciliam delatus promissaque ingenti pecunia Romam dimissus est, quod ubi sensere Siculi, a piratis supplicia sumpsere. Legendis fugati exercitus reliquiis omnem, quam potuit, operam imperator intendit copiarum presidio destitutus; cum in Romanos signorum desertores sevre non auderet, in Beneventanos iram exercuit. Nam ceteram Romani populi multitudinem armorum compotem cum reducibus eduxit, Beneventanos nil tale timentes adortus sub pretextu defensionis urbem cepit captamque populatur, diruit et incendit. Otho Romam deleto Benevento reversus paucis post diebus diem obiit, corpus in divi Petri basilica reconditum. Cum Rome Germani de eligendo imperatore decernerent, alii Othonem tertium huius filium, alii Henricum Bavarie ducem Othonis primi ex fratre nepotem optarunt. Contra Romani imperium in Italiam revocandum esse censentes Crescentium Nomentanum consulem crearunt, ut sub specie consulatus subiret imperium. Germani tandem in patriam relati Othonem tertium imperatorem designarunt.

Dum hec in Italia Germaniique geruntur, Ungari primi Othonis conflictu enervati, de quo paulo supra dictum est, cum nihil aliud ab his gestum inveniam preter ea, que de Toxe retulimus, quiete mansere. Sed, ut Ungarici referunt annales, post regis Toxis obitum Geysa filius Pannoniarum regnum vel ducatum potius hereditatio iure suscepit vir quidem religiosissimus, amator otii, sanc-

titatis et iusti ie Nume Pompilii more. Trucem feramque gentem 321
 ac bello semper obnoxiam contra instituta maiorum a belli studiis
 avertere et ad mansuetudinem cultumque divinum revocare cepit.
 Neque ignorabat sapientissimus ille princeps prima post Carolum 322
 Magnum fidei fundamenta iactus Ungaricam gentem, quancun-
 que opinionem admitteret, pertinacissime sectaturam; quod si facere
 posset, ut Christianam fidem pregustaret, eam haud dubie semper
 retenturam. Bella in Austriam tantum aliquanto obstinatius gessit, 323
 quam mortuo Rudigerio tyranno occupavit. Sed Henricus primus 324
 Cesar in Germania declaratus Leopoldo illustri Suevie duci, qui
 sororem eius uxorem duxerat, Austriam imperio Romano reci-
 dentem ea condicione delegavit, ut, si Ungaros hinc eiceret, ea,
 que quondam Orientalis Marchia dicebatur, ducis primus nomine
 potiretur. Leopoldus expeditionis condicionem accepit, in Geysam 325
 comparato exercitu proficiscitur. Ad Mellicum oppidum, quod Da-
 nubio prominet, cum hoste congreditur; cedentibus Ungaris Geysa,
 ne rem alienam vi occupatam pervicacius tenere videretur, Austria
 excidit et cum Alemanis pacem fecit. Henricus ex cognomento re- 326
 bellis Leopoldi filius post mortem patris in ducatu successit, sed,
 cum imperio parere recusaret, dominatus iure privatur. Quod ubi 327
 sensere Ungari, ut armis olim parta recuperarent, regnante Aba,
 quem Alboinum vel Ovonem annales plerique nominant, ea validis-
 simis copiis repetit occupantque. Sed, cum Henricus deposita 328
 contumacia ad imperii fidem rediisset, ut auxilium pro recuperando
 ducatu imploraret, ex Ungarorum manibus eruere nequivit. De- 329
 mum Albertus eius filius et Leopoldi frater impetrata ab Henrico
 divo provincia paucis mensibus in potestatem suam redegit, unde
 ceteri Austrie duces ac divus Leopoldus rite profluxere. Sed ad
 Geysam redeamus.

Imperante igitur Carolo Magno Pannonia prima orthodoxe fi- 330
 dei rudimenta habuit a paucis tamen imbibita. Sed Carolo vita ex- 331
 cedente, cum paucis post annis rebellare cepisset, pregustata religio
 exolevit et, si qua eius vestigia remansere, in tanta feritate aboleta
 sunt. Nonnulli divinitus inspirati, que de vera religione sentiebant, 332
 in publicum edere non audebant, e quibus, si qui aliquo indicio
 delati fuissent, aut publice ludibrio habebantur aut profani reputa-
 bantur, quando deos patrios contemnerent et peregrinas supersti-
 tiones sectarentur. Sacra clandestina ab his fieri, qui catholica fide 333
 fuerant initiati, nocturni conventus haberi, finitimorum sepe con-
 suetudine, ut ab his in sacra lege erudirentur, uti. Carni enim et 334
 Norici, item Bavari et Germani ultro Christi nomen profitebantur;
 vicinos sibi Ungaros, qui in finibus habitabant, fidei coniunctione
 mitiores reddebant et ad propagandam in alios fidem hortabantur.
 Hi sepe cunctis votis optarant aliquem quandoque dari principem, 335
 qui potentia et auctoritate tanta polleret, ut in salutarem sapien-
 tiam Ungaricum genus assereret idque ita institueret, ut non minus
 animi incolumitate quam robore corporis precellere videretur. Sed, 336
 veluti ea, que intempestivius precoquantur, citius quoque deficiunt,

contra vero, que tardius, exactiorem ac magis diuturnam maturitatem assequuntur. Ita populi divinam sero nacti gratiam fidei eam multo pertinacius retinere consueverunt. Cito nanque orta cito quoque occidere solent. Piorum votis Geysa princeps occurrit, qui acceptam Christi fidem regno potitus amplificare contendit. Animum salutem multo impensius, quam seculi gloriam et corporum voluptates curare videbatur. Vehementer indolebat vir publice salutis natus progenitorum feritatem nondum mitescere eorumque labem adhuc aboleri non posse egre ferebat. Contra maiorum instituta obnitebatur, qui preter rapinas, cedes et incendia nil utile ac gloriosum reputarant. Ne minus quidem ipsorum cecitatem deplorabat, quando eos tot et tantas vires, conatus et labores incassum effudisse intelligebat. Non preteribat mortalia dumtaxat curare mortalibus tantum esse animi; illud quotidie succurrebat se a divina benignitate idcirco regno donatum, ut non tam corporibus, quam animis hominum imperaret; item se divino fidei lumine idcirco divinitus illustratum, ut, qui solus pre ceteris divina sapientia saperet, alios auctoritate sua ad resipiscentiam revocaret. Quare sanctos undique viros acciri iubet, qui per Ungarie populos effusi vere fidei rudimenta traderent, falsam ac barbaram religionem abrogarent, erudirent feros homines eosque patria religione exuerent et Iesu Christi nomen unigeniti dei filii pro virili parte predicarent.

A principio maxima pars procerum haud parum regis superstitionem mirari ceperat ac illud imprimis, quod cerimoniis potius quam bello intentum conspicerentur. Quin et sepe incusare parum sibi esse negotii, indicenda bella negligere; ad inopiam ac inopiam omnes extremam continuo redigi, nisi foris incursionibus et rapinis exercebantur; obdurandam assiduo bello iuventutem. Novas religiones disquirere affectatius muliebris esse stoliditatis. Ne derant quidem sepe aliqui maiestati regie illudere ausi et eam pro nihilo ducere, item, qui imperia detrectarent, necnon et multi, qui profana mente vesanius agitati stultitiam regis liberius increparent. Quin etiam et sepe ioco ab his multa obiici solebant, que animorum iniquitatem indicabant. Omnibus tamen, prout cuiusque res postulabat, prudentia regia recte prospexit. Mites verbis, difficiles minis, obstinatos armis aliqua ex parte perquam commode curavit et divine lucis compotes effecit. Cum proceres multique tyranni obnixius reluctarentur et longe maiora curanda esse inclamarent neque sua vi facile coercere posset, finitimorum auxilia imploravit, quibus ad veram sapientiam pernicaces animos retraheret. Quin illos populos sibi studiosius reconciliare curavit, qui maiora ab Ungaris detrimenta acceperant. Omnes nanque finitime regiones, cum Christianum regem Ungaris imperare novissent, insperato affecte gaudio societatem et federa ultro detulere, item, ut ad sacrosanctam eos fidem redigerent, omnes fortunas et auxilia promiserunt. Bavari, Saxones et Suevi ceterique Germani Geysam non modo pecuniis, sed auxiliariis quoque copiis adiuvarunt sperantes, si forte Ungaris Iesu Christi fidem acciperent, ne amplius quidem latro-

ciniis ac cedibus grassaturos, divino timore peditos Scythicam
 facilius immanitatem exuturos. Quare, cum nostri salvatoris nomen 352
 per Pannonias libere promulgaretur, falsum deorum cultum, homicidia,
 furta, crudelitatem publice abominari fere cepere omnes, item
 prelibare fidei dulcedinem, utranque intelligere charitatem, pietatem
 et iustitiam amare, detestari falsa numina et divino denique amore
 succendi. Geysa quoque sacras edes erigere, disponere collegia 353
